8930

LIBER
APOLOGETICUS
ARTIS MAGNÆ
B. RAYMUNDI
LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS
Scriptus intus & foris

AD JUSTAM ET PLENARIAM DEFENSIONEM famæ Sanctitatis & doctrinæ ejusdem ab injuriosâ calumniâ ipsi iniquè, opinativè & qualitercumque illatâ.

AUTHORE
R. P. F. BARTHOLOMÆO FORNES
Prædicatore Apostolico & Generali, S. Theol. Lectore, & in Salmantina Universitate Philosophiæ ac S. Theol. Baccalaureo, ac Linguæ Hebraicæ & S. Theol. Procathedratico.

VERBO DEI
INCARNATO DICATUS
PER TRIPLICEM LULLIANAM ACADEMIAM
Majoricensem, Moguntinam, & Salmanticensem.

Salmanticæ: apud Nicolaum Josephum Villargordo Typographum. Anno 1746.

DEDICATIO LIBRI
VERBO DEI
INCARNATO.

TRIPLEX LULLIANA ACADEMIA AD DEI VERBUM Incarnatum:

BEnedictus ſis tu Domine Jeſu, qui es Summa ſapientia genita de Patris Sapientia, unde omnis creaturalis Sapientia ſuæ perfectibilitatis ſortitur complementum. Tu es Verbum abbreviatum, in quo Divina Poteſtas (ſic loquendo) omnia verba vaſtiſsimi totius mundi voluminis ſcripſit & realiter compendiavit; nam teſte tuo ſervo B. Raymundo, mundus eſt magnus liber ſcientibus legere; ideoque es Liber ſcriptus intùs & foris, teſte D. Hilario; intùs per omnes Divinas Perfectiones, foris per omnia creaturalia attributa. Tibi igitur Rex regum & Domine omnium dominantium dignè & juſtè Liber iſte dicatur ſcriptus foris Demonſtrationibus ſenſu attingibilibus, ûtpote per claras rationes naturales & præclaras Authoritates efformatis; & intùs Demonſtrationibus ſolo intellectu perceptibilibus, ûtpote per Divina Attributa, Fidem & Rationem ſupernaturales conſtructis, artificialitate ita ſignificativâ, ut tua inviſibilia per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur, (etsi per viam hanc illos errare contingat, qui diligunt plùs tenebras, quàm lucem) quare Liber iſte eſt ſignum tui, tu verò res ſignificata per ipſum.

Sicut enim, Domine Jeſu diligibilis ſuper omnes creatos amores, dediſti dilecto tuo Joanni palàm facere ſervis tuis Apocalypſin, & quæ vidit de te teſtificari; ſic reſpectivè dediſti ſervo tuo B. Raymundo Artem compendioſam inveniendi veritatem, & demonſtrandi ipſam omnibus ſcire deſiderantibus; quę Ars eſt pulcherrima tui imago, qui es ipſa Via Veritas & Vita, & Ars compendioſa ſuprema inveniendi omnem veritatem; in te enim eſt Scientia omnis veritatis; ſci-

licèt Scientia de Divina Eſſentia ; per quam ſcit tua Deificata Anima quidquid Deo eſt eſſentiale , Scientia de Divina Natura , per quam Divinam ipſam Naturam & ejus æternam Operationem intelligit; Scientia de Divina ſubſtantia, per quam videt quidquid eſſentialiter , naturaliter & perfectè in Deitate ſinè omni accidente ſubſiſtit ; quæ ſunt tres Scientiæ omninò æquales propter omnimodam æqualitatem Divinæ Eſſentiæ Naturæ & Subſtantiæ. In te etiam eſt Scientia de eſſentia , natura , & ſubſtantia creatis , quibus omne eſſe , operari , & ſubſiſtere omnis creaturæ comprehendis ; ex quibus ſex Scientiis, ſcilicèt duabus ſimplicibus de Divina Eſſentia,& de Divina Natura , & tertiâ compoſita de utraque , nempe Scientiâ de Divina ſubſtantia Eſſe & Operari Divinum complectenti , & tribus Scientiis ſimiliter de creatura, eſt in tua Sanctiſsima Anima coadunata ſeptima Scientia de quatuor ſimplicibus , & duabus compoſitis perfectiſsimè integrata univerſaliſsima per omnem modum ſciendi , ſicut tua ſacroſancta Majeſtas eſt ſubjectum & objectum univerſaliſsimum objecta omnia & ſubjecta omnium Scientiarum per Incarnationem realiter comprehendens. Itaque tu , Domine excellens ſuper omnes creatas excellentias , es medium Verbum , per quod omnia inferiora verba, ſcilicèt omnes creaturæ , ſupremum Verbum attingere poſſunt, cùm ſis mediator Dei , & hominis , qui eſt omnis creatura, cùm in ipſo omnes naturæ inferiores ſint exaltatæ , ut tibi per hominem ſerviant , ſicut in te ſunt Deificatæ , ut Deo, altiſſimo modo poſsibili maximum honorem & gloriam retribuant; in quo clariùs videtur finis , quare ſicut Anima rationalis & caro unus eſt homo , ita tu Deus & Homo unus es Chriſtus. Ideoque feciſti quidquid potuiſti , ut omnes tecum memoraremur , intelligeremus & diligeremus idem ſupremum Objectum æqualiter memorabile intelligibile & diligibile , à quo es tu ipſe beatus.

Es etiam , Domine Jeſu timibilis ſuper omnes timores , cùm ſis univerſalis Judex vivorum & mortuorum , Ars Compendioſa inveniendi omnem veritatem per aſcenſum, deſcenſum & circulum omnium graduum naturæ creatæ , & increatæ , qui ſunt in te per hypoſtaticam unionem realiter compendiati , elementativæ videlicèt naturæ , vegetativæ , ſenſi-

ti-

tivæ ; imaginativæ ; rationativæ , & Naturæ Divinæ ; quod, ut ab omnibus compendiosiùs cognosci valeret , tua ineffabili Liberalitate dignatus es tuo servo B. Raymundo Artem & Scientiam Universalem infusam elargiri cum septem liberalium Artium Universalium clavibus , ut ipse sensu & intellectu aperiret & legeret in te intùs & foris omnia scibilia in hac mortali vita , & in scriptis palàm faceret , ut quicumque dignè & justè vellet ea studio juxta sui captûs mensuram adquirere valeret ; ita ut nemo asserere quiret , te vineæ tuę non feciſſe, quidquid ultra facere debuisti. Hoc enim, Domine Jesu sapiens & perfecte super omnem creatam sapientiam & perfectionem, verbo & exemplo docuisti , ût tui S. Evangelii Historia testatur.

Ille enim Princeps Judæorum Nicodemus signa in te foris apparentia attentè legens , Divinas intùs latentes intelligebat Perfectiones ; ideoque se scire asseverans dicebat : *Rabbi scimus , quia à Deo veniſti Magister* Joan. c. 3. & reddens rationem talis Scientiæ ait : *Nemo enim potest hæc signa facere , quæ tu facis , nisi fuerit Deus cum eo.* Ibid. Idem intellexit cum aliis pluribus Centurio videns te morienrem in Cruce , & ideo dixit : *Verè Filius Dei erat iste* ; quia argentum tuæ Humanitatis foris apparens (sic loquendo juxta illud , quod tuæ dilectæ Sponsæ dixisti : *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento* Cantic. 1.) aurum Divinitatis in oculis diligentium plùs lucem , quàm tenebras , radiare faciebat. In te enim, nedùm inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporalitèr, ût ait Apostolus , verùm spiritualitèr & subsantialitèr in Unitate Personali , ut omnis homo , in quo spiritualitas animalitati prædominatur , & Fidei lumen non est mortuum , valeat in te cognoscere de gradu in gradum omnes veritates , & usque ad incomprehensibile & ineffabile SS. Trinitatis Mysterium transcendere , nam tu es suprema illius imago , quia , sicut in te est Unitas Personæ in Trinitate naturarum, corporalis scilicèt , spiritualis creatæ, & Divinæ , ita in illa est Unitas Divinæ Naturæ in Trinitate Personarum. Ideoque tua dilecta Sponsa desiderans te videre pascentem & requiescentem in meridie splendorum Divinarum Perfectionum , ex quibus omnibus per tuum Patrem æternaliter gigneris , cùm sis simul perfectè genitus ; rogabat in hunc modum : *Indica mihi ubi pascas , ubi cu-*

cubes in meridie ; & conſecuta eſt te cognoſcere abſconditum poſt parietem ſive nubem noſtræ Humanitatis, ût ipſa demonſtrat dicens : *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* Cantic. 2. Quæ cognitio provenit ex Divina Incarnatione, qua Deus modo poſsibili ſe noſtræ naturæ adaptavit, & illam ſibi proportionavit, de quo reddens rationem Tamayus ait : *Quia immenſam Divinitatis lucem hominis oculus non perciperet, nisi ſe Deus poſt parietem humanitatis noſtræ abſconderet.*

En qualiter, Domine Jeſu, qui es Deus verus de Deo vero, & verus Homo de Matre Virgine per totum principium, medium & finem ſemper verè immaculatâ, te donante, videmus, & qui credunt poſſunt videre mediante Arte, quam dediſti tuo Martyri B. Raymundo (nisi ſinant ſe decipi ab inimico communi fingente obſcuritatem & impoſsibilitatem illam addiſcendi, ut quæ intro eſt aſpicienda ſalutetur à longè & impediatur veritatis cognitio & fructus ejus) te eſſe Verbum, in quo poſſunt legi & intelligi omnia verba tam intrinſeca, quàm extrinſeca, & eſſe Artem Compendioſam inveniendi omnem veritatem tam naturalem, quàm ſupernaturalem, quia cum tuo Patre & Spiritu S. poſuiſti in omnibus creaturis à ſuprema uſque ad infimam claras ſimilitudines & imagines Divinæ Unitatis, Trinitatis, Incarnationis & omnium Divinarum Perfectionum. Quilibet enim Philoſophus clarè videt, quòd quælibet creatura ſubſiſtens eſt *una*, & quòd eſt activa, paſsiva & actualis ; activa quidem per ſuam formam, paſsiva per ſuam materiam, & actualis per ſuum actum ab utraque diſtinctè procedentem ; & ſic neceſſario eſt trina.

Videt etiam verę Philoſophiæ conſcius, quamlibet creaturam ad operandum ad extra debere in ſe internam & naturalem operationem præhabere ; ut patet in igne, qui non poteſt lignum ignificare, nisi ſit receptum in ſuo intrinſeco eſſentiali & naturali ignificabili, quod ignificabile, (detur venia latinitati, quia coruſcus Ciceronis Titan ſuis deauratis ſpiculis non valet iſta clarificare) eſt propria & intrinſeca materia ipſius ignis, cujus forma eſt & rectè vocatur ignificativum inceſſanter ignificans ſuum coeſſentiale ignificabile, & conſequentèr etiam ignificat quidquid in ipſo ignificabili receptum ab extra invenit ; & iſti termini ignificativum, ignificabile, ignificans, ignificat, ignificatum, ignificatio, ignificatus, ignificatum, ignificatio, ignificatus, ignificatum, ignificatio, ignificatus

hificabile, & ignificare ſunt ſimplices & naturales; per quos meliùs & ſimpliciùs ſignificantur tria ignis eſſentialia correlativa, ſcilicèt forma ignis, quæ ſignificatur per *ignificativum*, materia ignis, quæ ſignificatur per *ignificabile*, & actus ignis, qui ſignificatur per *ignificare*; & idem eſt de omni alia *unitate* ſubſtantiali creata, quæ per *Trinitatem* ſuorum relativorum coeſſentialium ſimilitèr nominandorum operatur ad intra & ad extra ſignificans Unitatem Dei in Trinitate & Trinitatem in Unitate, & Incarnationem per operationem ad extra neceſſariò ſupponentem Operationem ad intra ſic: ſicut lignum nequit ſubſtantialitèr ignificari, nisi intrinſecè recipiatur in intrinſeco ignis ignificabili; ſic Humana Natura non poteſt Deificari ſubſtantialitèr, nisi aſſumatur intrinſecè in intrinſeco Dei Deificabili, quod es tu Filius, in quo Pater inceſſantèr & ęternalitèr Deificat per ſuam intrinſecam & naturalem Operationem.

Similiter quælibet creatura ſignificat infinitum circulum Divinarum Perfectionum infinitè æqualium, quia in ipſarum creaturarum qualibet eſt circulus finitarum perfectionum, quæ ſunt Divinarum ſimilitudines, ſcilicèt Bonitas, Magnitudo, Duratio, Poteſtas, & cæteræ, quæ nominantur in Tabula inferiùs poſita pag. 252. & iſtæ inter ſe ſunt arithmeticè æquales in proprio circulo; ſed de uno circulo ad alium non eſt nisi æqualitas live proportio geometrica, ita ut ex cognitione circuli minoris, ad majoris circuli cognitionem gradatim uſque ad ſupremum aſcendatur; & è converſo per deſcenſum; quod totum prætèr alia plura, docetur & demonſtratur in hoc Libro per tuam gratiam intùs & foris ſcripto; ideoque, Domine Jeſu Lumen de Lumine & Veritas de Veritate, petit lucem & benedictionem à te ad expellendas falſitatis tenebras & conſequendam veritatem ad majorem tui SS. Nominis gloriam, univerſalem Animarum ſalutem, & ipſius Lullianæ Academiæ incrementum, ut ſis ab omnibus benedictus per omne tempus & per infinita ſæcula. Amen.

Ad tuæ Supræmæ Majeſtatis
pedes provoluta triplex
LULLIANA ACADEMIA.

Cen-

✠

CENSURA RR. PP. Fr. JOANNIS VALCARZE LECT. JUB. *Supremæ Inquiſit. Qualificatoris S. Theolog. Doct. Salmantini ac Primariæ Cath. Moderatoris, & Fr. Joſephi Carantoña S. Theolog. Doct. & Mag. Salmantini & Veſpertinæ Cath. Moderatoris.*

JUſſu Rmi. P. N. Fr. Joannis de la Torre Lectoris Jubilati Marianæ Neuburg Hiſpaniarum Reginæ quondam à Confeſsionibus, totius Serap. Ciſmontanæ Familiæ Commiſſarii Generalis, & pro Regali Immaculatę Conceptionis congreſſu Theologi, Librum ſcriptum intùs, & foris &c. ſic inſcriptum, & elaboratum à R. P. Fr. Bartholomæo Fornès Majoricenſis Provinciæ alumno, & in hoc Regali Conventu, Generalique Collegio S. P. N. Franciſci Salmant. Sac. Theolog. Lectore, Viro probo, pariter docto, accuratè volvimus mirantes totius operis decurſu Auctoris modeſtiam, qua Lullianam Doctrinam vindicat in aſſertum Rmi. P. Magiſtri Fr. Benedicti Feijoò Literarum Theatro Viri Spectabilis, dignam ſane tanto Viro, & noſtro inſtituto exoptatiſsimam Modeſtiam parat Auctor ad palmam, veritatem ad pugnam, humilitatem ad pacem. Sic fit gratum opus, laudabile, & circuſpectum. At quoniam ſapientibus, & inſipientibus debitores ſumus, ne quis, vel prima fronte operis, audeat nigrum præfigere theta, palam facimus quod in toto Libro (ſunt verba Bleſenſis Epiſt. 77.) *nil Reſideat quod Lectorem offendat, quod inducat errorem, quod virtutem non exerceat, quod non ædificet fidem, quod non ſapiat honeſtatem.* Quapropter permaximè cenſemus præli beneficio dignum, uti munimen, ac non vulgare præſidium Lullianæ Doctrinę. E Regio Seraph. P. N. Franciſci Conventu, die 20. menſis Auguſti anno Dni. 1744.

M. Fr. Joannes Valcarze
Cathedraticus Primarius.

Fr. Joſephus Carantoña
Mag. & Cathedraticus Veſpertinus.

CEN-

✠

CENSURA ET JUDICIUM RR. PP. Fr. IGNATII Moraleda Doctoris Theol.; Jub. Lectoris, Vesp. Cathedræ V. D. Scoti in Universitate Complutensi Moderatoris, & in Conventu S. Didaci Compluti Guardiani, & Fr. Joannis Picazo Doctoris Theol. Lectoris bis jub. & in eadem Universitate Primariæ Cath. Scoti moderatoris.

JUssu Rmi P. N. Fr. Joannis de la Torre Lectoris Jub. in Congressu Regio pro Immaculata Conceptione Theologi, olim Serenis. Reginæ Marianæ de Neuburg Confessoris, & in præsentiarum totius Familiæ Cismontanæ S. F. P. N. Generalis Commissarii; ingenti cum exultatione & gaudentes gaudio magno valde Opus vivificatum vidimus, expendimus, examinavimus; iterùm atque iterùm totum ejus pondus traximus ad libram emunctę naris, serioſi judicii, & crisîs acrîs. Hæc enim omnia postulare videbantur tempora, quæ labuntur; quamvis Liber iste *intùs*, & *foris scriptus* (hæc est superscriptio Operis) Nomen Authoris, & Causa, quæ defensanda assumitur, faustum & felix Omen præseferant secum.

Igitur totius rei causam, & facti seriem aperte pandit, & in propatulo ponit Erudita Epistola Viri Eruditissimi, & in toto Literatorum Theatro jure merito Celeberrimi; & ad oculum ostenditur in ipso istius Operis fronte, atque sedem habet, dum fama volat Eloquentissimi Authoris, & Erudita Epistola forsàn numerat amicos multos. Sed an Amatores Candidi Veritatis, & diligentissimi illius Exploratores isti sint? Deus scit. Nos in præsentiarum tantùm scimus unum; quod, & summa & Apex totius nostræ causæ est: Noster igitur Inclytus Martyr Christi Lullius, tamquàm reus sistitur ante, & in Theatro Critico Universali: sic stat Vir Sanctitatis Eximiæ, Fama Celeberrimus, miraculorum frequentia ante, etiam post mortem, & ad usque præsentem diem clarissimus, & in SS. Scientia Illuminatissimus, teste Eminentissimo Cisneros, & aliis, non inferioris notæ Ecclesiasticis Principibus. Sic stat homo barbatus, sacco vestitus, cinere conspersus; qui olim ante Crucifixum orans; super

geſtis Crucis plorans, arborem tenentem Cœlum, in quo ſunt omnes theſauri Scientię, & Sapientiæ Dei, aſpiciens, Chriſtum dicentem audivit, *tua erunt hęc omnia.* O Bonitas! hoc ſtema eſt Corona & Character Noſtri B. Raymundi Lullii, qui apud Inſulas Baleares reverenter colitur, & ut in Altario totius Eccleſiæ dignum habeat loculum inſtantiſsimè agit Sacra Minorum Religio tota apud Sanctiſsimum Antiſtitem Romanum, ac Supremum totius Eccleſiæ Caput, cujus eſt de hac re certum, & infallibile judicium ferre, & ſententiam dicere.

Hæc omnia, quamvis veriſsima ſint, & ab æquis rerum ęſtimatoribus medullitùs amplectenda, & neque jota, vel apicem tranſgrediendo, ad rectum, & verum judicium efformandum; tamen in noſtra hac tempeſtate, jam res judicata eſt ab Univerſali Critico: jam Noſter Lullus, giret hinc, giret inde oculus, jam aſpiciendo ea, quæ foris ſunt, jam ea, quæ intrinſecùs latent, introſpiciendo, Subjectum ſatis problematicum eſt, et ſi ad Artem, quam Univerſalem vocant (& revera univerſaliſsima eſt) vertatur oculus, dubio procul *inutilis pronunciatur, & vana prorsùs judicatur ad finem propoſitum*; hęc eſt Sententia in Noſtrum B. Lullium lata ab Univerſali Critico, & in alba papyro ſcripta. Hęc ſi de Roma venirent; cum Auguſtino Serm. 2. de Verb. Apoſt. in vet. imp., vox prompta omnium noſtrûm foret: *Reſcripta venerunt: res jam finita eſt.* Verùm enim verò, cùm de tam alto vertice non deſcendant, & res longiſsimè aliter ſe habeant; & *cum Fratrum negotia defendere, pia, & honeſta, curatio ſit*, ut inquit Symacus, *imò etiam, qui non repellit à ſocio injuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille, qui fecit*, ût D. Ambroſius docet Lib. 1. de Off. cap. 37. relatus in Canone non inferenda 23. q. 3. propterea neceſſarium plurimùm duxit Noſter Generalis Præſul, & amantiſsimus Parens, ut verbo doctrinæ, & ſcriptis agatur bellum, & aperto Marte dimicetur contra falſitatem aſſerti Eruditæ Epiſtolæ, uſque ad interemptionem illius, ſi fieri poteſt. Enim verò cùm pax Chriſtiana belligeratrix ſit, & debeat, ut vera pax ſervetur; falſitatem de medio tollere, ſtudere (maximè in cauſa, quam verſamur) Sanctum & Religioſum eſſe, nemo eſt, qui auſus ſit, infitias ire.

Ad hoc ſingulare certamen incedit Sapmus Fornès mirabi-

lis

lis Artis Lullianæ eruditus Magiſter, ſed tam pacifico ingreſſu, ut nobis videatur, veniſſe ad ſacrificandum Domino, & Deo noſtro vero totius veritatis inexhauribili fonti, & fontali origini. Sic galeatus, ſic accinctus Veritatis gladio ſtrenuè pugnat, ut quasi ad oculum intellectualem oſtendat, aſſertum prę-memoratæ Epiſtolæ in ſtatera veritatis appenſum, inventum iri longè minùs habens. Sic modeſtiâ in Magiſtrum Antilulliſtam debitâ, obſervatâ, oſtendit mirabilia Dei in Arte Lullii, & Sanctitatem Artificis, tanto pondere rationis, & tam intergiverſabilibus momentis, monumentis & Argumentis, ut nos ad uſque ſtuporem ducant, & inducant, ut talia ad Deum ardentiſsima protendamus vota: utinam Domine aperiantur oculi noſtri, ut videamus illa, quæ revelaſti tuo Lullio Parvulo, & nobis ſcripta reliquit in ſua mirabili Arte! Hanc, quamvis velutì à longè ſalutaverimus, & vix per Portam voluntatis ad illam introitum fecimus: & ecce O ſtupor & gaudium! Aliud non vidimus, nisì copioſiſsimam, & velutì inexauribilem Doctrinam ad majorem Dei gloriam, ad dilatandam Catholicam Fidem, ad vivificandas virtutes, ad mortificanda vitia, ad declaranda Myſteria Religionis noſtræ, ad convincendos Gentiles; & hoc, ſemper tenens in ore, & corde illud S. Paginæ: *Nisi credideritis, non intelligetis*; & cum perpetua ſubmiſsione, ad Chriſti Vicarium: Sic cum Fide, & intellectu procedit Ars, & quod in extaſim quasì rapit, tam mirabili artificio, ut quocumque termino aſſumpto; N. B. vitâ, morte, lapide, cœlo, &c. Statim formetur ratio prompta, & vera ad quodcumque S. Myſterium declarandum; hoc, ût minùs ſapientes dicimus, quasi experti ſumus in ipſo Artis veſtibulo, & cùm vix Literas didicerimus, ſic ſentimus; quia nihil deprehendimus ex his, quæ lucem impedire poſſunt. Hoc eſt noſtrum judicium, ſalvo &c. in hoc S. Didaci Compluti Conventu die 29. Septembris anni 1744.

Fr. Ignatius Andres Moraleda. *Fr. Joannes Picazo.*

LICENTIA ORDINIS.

FR. Joannes de la Torre, Lector Jubilatus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu pro Immaculata Conceptione Theologus, Commiſſarius Generalis Ordinis Minorum S.P. N. Franciſci in hac Familia Ciſmontana, & Servus &c. Dilecto Nobis in Chriſto P. Fr. Bartholomæo Fornès noſtrę Majoricenſis Provincię Alumno, & in noſtro S. Franciſci Salmanticenſi Collegio Lectori Theologo, ſalutem in Domino ſempiternam.

Certiores Nos facti à RR. PP. Fr. Ignatio Moraleda Doctore Theologo, Jubilato Lectore, Veſpertinę Cathedræ V. D. Scoti in Univerſitate Complutenſi moderatore, & in Conventu S. Didaci Complutenſi Guardiano, & Fr. Joanne Picazo Doctore Theologo, Lectore bis Jubilato, & in eadem Univerſitate Primariæ Cathedræ Scoti Moderatore, Reviſoribus, quibus commiſimus, & commendavimus Operam à te elaboratam, cujus titulis eſt: *Liber Apologeticus Artis magnæ B. Raymundi Lullii Doctoris Illuminati, & Martyris, ſcriptus intùs, & foris*: nullam in ea advertiſſe propoſitionem, vel verbum Catholicæ Fidei diſſonum, nec bonis moribus quidquam diforme, vel aliquo modo piarum aurium eſſe ofenſivum; eapropter, præſentibus noſtris his Litteris, & pro eo, quod Nobis pertinet, digniſimam, ut à te Typis publicis commendetur judicamus, ad eumdem effectum, ut exequatur, tibi licentiam cum noſtra benedictione concedimus. Servatis in reliquo cæteris de jure ſervandis. Dat. in hoc noſtro S. Franciſci Matritenſi conventu die 3. Octobris, anni 1744.

Fr. Joannes de la Torre,
Commiſſarius Generalis.

D. M. S. Pat. Rmæ.

Fr. Eugenius de Olozaga,
Secret. Gener. Ordinis.

CEN-

✠

CENSURA Rmi. P. Fr. EMMANUELIS CALDERON DE la Barca in inclyta Salmanticenſi Academia Doctoris Theologi, Durandi Cathedræ poſt alias nunc Moderatoris digniſsimi, hujus Diœceſeos Synodici Examinatoris æquiſsimi, ſui Sanctiſsimæ Trinitatis Collegii Miniſtri muneri bis præfecti, Studiorumque Regentis, & ejuſdem totius Ordinis Redemptionis Captivorum generalis Definitoris.

EX commiſsione perilluſtris D. D. Sebaſtiani Flores Pavon Univerſitatis Salmantinæ in Jure C. Licentiaturæ, ût ajunt, laurea digniſsimè decorati, hujuſque totius Diœceſeos pro Illuſtriſsimo Epiſcopo Vicarii Generalis, diligenter perlegi, maturiùſque opus conſideravi, cui titulus: *Liber Apologeticus Artis Magnæ B. Raymundi Lullii Doct. Il. & Martyris ſtriptus intùs & foris &c.* Authore RR. P. Fr. Bartholomæo Fornès Sacræ Theologiæ Lectore, & in hac præſtantiſsima Academia Philoſophiæ & S. Theologiæ Baccalaureâ inſignito. Quod cum attentè perpenderem duo inter plurima non parum mirabilia in admirationem me rapuerunt. Jam primum Antilulliſtarum deſes incuria ſine cunctatione aſſeverantium *Artem Magnam* Illuminati Doctoris prorſus eſſe vanam & inutilem, præſertim quoad ſcopum ſapientiſsimo Authori propoſitum. Dum apertiſsimè conſtat Artem hanc alioſque Inclyti Martyris Libros innumeris doctiſsimis, piiſsimiſque Viris ingentis fuiſſe venerationis & utilitatis. Patriarcha namque Venetus, quatuor Archiepiſcopi totidemque Epiſcopi, Abbas unus, duo Ordinum Generales, quatuorque Doctores ex univerſo ferme Orbe Chriſtiano Catholico à toto Concilio Tridentino ſelecti poſt exactam excuſsionem, ſcrupuloſumque examen per biennium fere non interruptum, ejus fuere ſententiæ ut exiſtimarent expungendam eſſe quamcumque Librorum Raymundi Lullii improbationem.

Quadraginta quoque Pariſienſes Doctores ex tota illa celeberrima Academia aſſumpti Juſſu Clementis V. Pontif. Max. Jurejurando obſtricti ſine hæſitatione affirmarunt: *Artem & Scientiam Lullianam eſſe bonam, utilem, & neceſſa-*

riam,

riam, & in ea nihil esse contra Fidem Catholicam, immò multa ad ejus conservationem, & defensionem necessaria. Sic testati fuere perillustris Canonicus Segui in Vita B. Lullii cap. 12., Cancellarius Barcinonensis Universitatis Vileta, Mut. & alii. Quod ipsum Author hujus Libri authenticis instrumentis per ipsius decursum tentat, suadet, convincit.

His igitur benè trutinatis & perpensis, cuinam sententiarum prudens exhibebitur assensus? Asserentine *Artem & Scientiam Lullianam esse bonam, utilem, & necessariam &c.* an ejus oppositum tenaciter defensitanti? Primæ Sententiæ unanimem præbuere consensum Sac. Concilii Tridentini Patres Conscripti, Doctores, & Magistri Parisienses, plurimique Illustrissimi ac sapientissimi viri. Hanc eamdem sententiam acerrimis, validisque rationibus propugnat tota Lulliana, æquè ac doctissima Majoricensis Universitas B. Lullium cultu vetustissimo ût suum adorans Patronum, ejusque doctrinam publicè, palamque edocens, immisque radicibus propagans. Videsis eruditissimum & sapientissimum Custurerium Sacræ Societatis Jesu in 1. & 2. Dissertat. hanc sententiam valde diffusè explanantem, & inexpugnabilibus argumentis contra eos, qui secùs sentiunt, communientem.

Alii vero contrariam sententiam pro virili amplectuntur, asserentes Artem Lullianam nihil commodi ad faciliorem studiorum cognitionem posse conferre. Sed eos crediderim ex seipsis Artis, Doctrinæque Lullianæ periculum non feciſſe. Quod si feciſſent, non dubito quin in B. Lullii partes tantum non inviti futuri essent propensiores. Cæterum cum nullam aut minimam operam in studio Doctrinæ Lullianæ impenderint, ipsam despectui tradere, & vilipendio non sunt reveriti; immemores sanè illius sententiæ D. Hieronymi ad Paulinum dicentis: *Periculosum est de egregii viri Opusculis judicare*: necnon Mellifluï Doct. D. Bernardi Epist. 109. ad Magnum Ægidium dicentis: *Quidam prius judicant, & postea probant; ego autem de potione, utrum sit dulcis, vel amara, ante gustum non judicabo.*

Alterum quod me admiratione afficit est grandis modestia Authoris pariter humilitas & prudentia in impugnan-

nando adverſantium dicteria ; argumentorum efficacia , quibus Antilulliſtarum diſſolvit ſophiſmata , Authoritatum , rationumque robur & pondus , quibus ſuum Magiſtrum Illuminatum , Chriſtique Martyrem B. Raymundum Lullium ab injuriosâ contradicentium calumnia vindicat , & defendit ; veritatemque famæ ſanctitatis , & Doctrinæ ejus per diverſa capita (objectionis contrariæ neque Jota neque apice , ût ajunt , prætermiſsis) firmat , roborat , ſtabilit, evidenter , & concluſivè demonſtrat. Præſentis Operis Authori merito jure dicere poſſum , quæ olim Doctorum Maximus D. Hieronymus Epiſt. 23. ad Paulinum ſic ajebat: *Libŭm tuum , quem pro gloria* (B. Raymundi Lullii) *prudenter , ornateque compoſitum tranſmiſiſti , libenter legi , & præcipue mihi in eo ſubdiviſio placuit , cumque in primis partibus vincas alios , in penultimis te ipſum ſuperas.* Quid dicam de ultimis ? Qui habet intellectum intelligendi judicabit.

Quapropter cum per omnia noverim Librum hunc (idem de Prologo Præcurſorio judicium eſto) ſanam & undequaque ſolidam ſapere doctrinam Fidei Catholicæ , boniſque moribus omninò conformem , Lulliſtis , cæteriſque bene legentibus perutilem , nec in minimo Catholicæ Majeſtatis ordinationibus , Regiæque poteſtati contrariam ; propterea (ſalvo meliori) publica luce frui dignum , & in communem utilitatem proditurum exiſtimo. Salmanticæ in SS. Trinitatis Collegio Idibus Junii anno D. 1745.

Fr. Emmanuel Calderon de la Barca.

LICEN-

LICENCIA DE EL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Sebaſtian Flores Pabon de el Gremio de la Univerſidad de eſta Ciudad de Salamanca, Proviſor, y Vicario General en ella, y ſu Obiſpado, &c.

Por la preſente damos licencia à qualquier Impreſſor de eſta dicha Ciudad, para que ſin incurrir en pena pueda imprimir el Libro intitulado, *Libro Apologetico de el Arte Magno* de el B. Raymundo Lulio, Doctor Illuminado y Martyr. Su Author el R. P. Fr. Bartholomè Fornès de la Orden de San Franciſco de la Regular Obſervancia, Lector de Sagrada Theologia en el Convento, y Colegio General de San Franciſco de eſta miſma Ciudad de Salamanca; mediante à conſtarnos por la Cenſura de arriba no contener coſa contra nueſtra Santa Fé, y buenas coſtumbres. Fecha en Salamanca à diez y ocho dias del mes de Junio de mil ſetecientos y quarenta y cinco años.

Licenciado Don Sebaſtian Flores Pabon.

Por mandado de el Señor Proviſor,

Lorenzo Vicente.

PRO-

✠

CENSURA Rmi. P. M. ANTONII GUTIERREZ DE LA SAL quondàm in Univerſitate Complutenſi Primariæ S. Theolog. Cath. Moderatoris, Supremi S. Inquiſitionis Tribunalis Cenſoris & Qualificatoris, Archiepiſcopatûs Toletani Examinatoris Synodalis, & in Collegio Imperiali Matritenſi Soc. Jeſu Sacrorum Dogmatũ Magiſter, &c.

EX Supremi Senatûs commiſsione vidi Librum Apologeticum concinnatum à Rmo. P.M.Fr.Bartholomæo Fornès Ordinis S.Franciſci, & in Doctrina Lulliana Profeſſore Sapientiſsimo omnique prorsùs laude digno. Omiſsis igitùr elogiis, quibus mos eſt Librorum approbationes exornare, quæ fortè extra chorum pſallere ſolent, ſolùm ad argumentum hujus Libri verè & mirabilitèr ſcripti intùs & foris, oculos convertamus: & ſi fas eſt dicere, non ſine lacrymis multùm madefacientibus ora. Quis enim ſiccis oculis, præexcelſum Virum, innumeros labores ad majorem ſemper Dei gloriam aſſumentem, & penè immenſos Libros ad majorem Fidei exaltationem ſcribentem, & flexo poplite ad pedes Vicarii Chriſti offerentem; & quem Rmus P.Sollerius de Societate noſtra, & in Orbe literario notiſsimus, aperto ore pronuntiat: *Magnum Divini, & humani amoris ſpecimen, magnumque naturæ ſimul ac gratiæ prodigium*, tamquàm problematicum quaquaversùs proponi, ejuſque ſcripta apud Generales Inquiſitores tam venerata, prorsùs inutilia vocitari? Hæc ſine intimo cordis dolore fortè non poſſunt legi à Viris Seraphicæ Religionis. Et hoc plurimis de cauſis: tum quia à tota Religione tam Sancta ſtatutum & ſancitum eſt, ejus Doctrinam propugnari & defendi maximè apud Baleares Inſulas, ſtatuto Generali confirmato per Sedem Apoſtolicam: tum, quia duodecim Reges Catholici illam ampliſsimis Privilegiis decorarunt: tum ob ingentiſsima alia monumenta & momenta in decurſu hujus Libri videnda & in 1. Tomo editionis Moguntinæ, quę promovetur & continuatur authoritate Celciſsimi Archiepiſcopi & Principis Electoris Moguntini.

Equidem nè tam contemptibilia fiant ſcripta Inclyti Martyris Lulli, & ut integritas ejus, honor, nomen, & fama, ſecura permaneant, & inviolata conſiſtant, ſapientiſsimus M.Fornès, obviam eundum eſſe talia dicenti, plurimùm neceſſarium eſſe dixit, ut & tollatur problema, & utilitas in Arte mira iſtius V. Magiſtri patens fiat, & in plano ſit poſita. Verum enim verò, quamvis apologeticum ſit hoc opus, eſt tamen valde pacificum, & meo judicio, omnibus aliàs non præoccupatis perutile ſatis. Sic etenim, quę in Critico Univerſali pronuntia-

ta ſunt, & non niſi ex pio, atque Chriſtiano zelo, apparebunt non eſſe ita vera ex parte materiæ, ſicut dubio procul pronuntiantur, ſcriptis inde cum ſcriptis hinc collatis. Ita ſentio, nec quidquàm deprehendi in horum lectura ex his, quæ impedire poſſunt publicam lucem, ſed plurima, quæ illam jure merito exigunt. Matriti in hoc Collegio Imperiali die 9. Decembtis anni Dñi. 1744.

JESUS

Pater Antonius Gutierrez de la Sal.

Suma de la Licencia, y Taſſa.

Tiene licencia de los Señores de el Real Conſejo el R. P. Fr. Bartholomè Fornès Author de eſte Libro intitulado *Liber Apologeticus Artis Magnæ B. Raymundi Lulli &c.* para imprimirle, y darle à la luz publica, como conſta por Certificacion de Don Miguèl Fernandez Munilla, Secretario de Camara mas antiguo, y de Govierno de el Conſejo. Dada en Madrid à 3. de Julio de 1745. Y dichos Señores taſſaron dichoLibro à ſolos ſeis maravedis cada pliego, como conſta por Certificacion de Don Joſeph Antonio de Yarza Secretario del Rey nueſtro Señor, ſu Eſcribano de Camara de los que en ſu Conſejo reſiden, y de dicho Secretario Munilla (que con la precedente, para en poder de dicho Author.) Dada en Madrid à 29. de Agoſto de 1746.

Fè de Erratas.

PAG. 63. col. 1. lin. 24. centeſsima lee centeſima. Ibid. col. 2. lin. 34. lee ditionem. P. 158. col. 2. lin. 3. lee Alphabeti. P. 168. col. 2. lin. 22. lee ſpecificandi. P. 171. col. 1. lin. 1. lee infinitè. P. 179. col. 1. n. 3. lin. 22. lee diſtinctis. P. 295. col. 2. lin. 16. lee ſpectant. P. 305. col. 2. lin. 9. lee diſcuſsâ. P. 312. col. 2. lin. 5. lee palliatis. P. 318. col. 1. lin. penult. lee Alſtedii. P. 335. col. 2. lin. 33. lee ſimile. P. 338. col. 2. n. 29. lin. 2. lee contradicere. p. 340. col. 2. lin. 26. lee Defectu. P. 390. col. 2. lin. 10. lee velit. P. 443. col. 2. lin. 15. lee poſsideri. P. 444. col. 2. lin. 3. lee poſsibilis. P. 477. col. 2. lin. ult. lee effuſus.

Correſponde con eſtas Erratas à ſu original eſte Libro con el nombre *Apologeticus Artis Magnæ B. Raymundi Lulli Doct. Illuminati & Martyris ſcriptus intùs & foris, &c.* Su Author el R. P. Fr. Bartholomè Fornès del Orden de N. P. S. Franciſco. Madrid 11. de Agoſto de 1746.

Lic. D. Manuel Licardo de Rivera,
Correct. Gener. por ſu Mag.

JU-

VIDI Apologeticum tractatum à R. P. Fr. Bartholomæo Fornès Provinciæ Majoricenſis alumno, Seraphicique P. N.S.Franciſci Salmantino in Cœnobio Lectore S. Theologiæ elaboratum. Et primum, quod intuenti apparuit mihi eſt, quanta humilitate velit nominari Diſcipulus Illuminati Doct.; imò nec Diſcipulus ejus reputari, qui eſt verè Magiſter. Hanc laudabilem, nimis gratioſam ſapientiam, & Philoſophicum angularem lapidem ab ipſo oretenus audivi collectum ex libris hujus Sapientiſsimi Magiſtri Lullii; quaſi ſit impoſsibile intrare in iſtud Regnum Philoſophorum, nisi quis priùs ût parvulus efficiatur; qui enim cum parvulis, non ætate, ſed mente, renuerit litteras alphabeti Lulliani cordetenus legere, ſciat ſe ab iſto arcano, pluſqàm terra à Cœlo diſtare. Et qui necdum ſcit litteras, quomodò poterit legere, libroſque ex illis compoſitos judicare? Poſt iſtam elucubrationem adeò timidum cogito ipſum, ut non nisì obedientia coactus foret, Tractatum non oſtenderet. Rationem aſsignat; ſi fortè aliquis Lulliſtarum, quos per tot ſæcula Divina Providentia profert in lucem, legat quæ dico, non ſine fundamento reprehendet me in Lulliſtarum numero collocari. Et en ſecundum, quod mihi apparet: Si Diſcipulus, jam Magiſter, talia profert, quid ego dicere poſſem? Hæc eſt una ex rationibus præcipuis quare Prælato meo enixè poſtulavi ne injungeret mihi reſpondere ad Epiſtolam eruditam Sapientiſsimi Feijoò. Si enim ego ſuæ Paternit. Rmæ. dicerem dum legebat Lullianam Artem: *Putaſne intelligis quæ legis*? Fortè tunc reſponderet, poteris tu, quæ de Lulliana Arte non intelligo, altiùs explanare? Quodnam in iſto caſu caput meum reſponſum haberet? Rogo te, dicerem, habeas me excuſatum; benevolentia tamen ductus ſuæ Rmæ. dicerem, audi, ſi vis, Authorem Apologetici hujus, ut quæ legas intelligas. Sed abſit tantum Magiſtrum mittere ad Diſcipulum minimum (ut ipſe corde fatetur) in Schola Lullii: ſed quid dico? Minimè abſit: Quid in Critico Theatro perſæpè ſæpius legitur nisi humilis proteſtatio ad omnes, qui meliùs, quàm

ſua Rma. Paternit. de veritate diſputent? Hanc mundo infallibilem regulam dedit pro Hęreticis dignoſcendis, & tam mortifera peſte fugienda: ſcilicèt, hęretici licèt his, & aliis vitiis variè Eccleſiam Dei prophanaverint, radix tamen in omnibus unica & characteriſtica, ſuperbia eſt. Quam altè penetraverit ad detegendum Hæreticos ex iſta regula, quam ex Magno Gregorio deſumpſit, dignoſcitur. Minimè ergo renuet Apologeticum & ejus Auctorem legere, vel audire. Et ſi aliunde in aliis altiſsimis habitans noluerit deſcendere, legat Eminentiſsimum Bellarminum Proceribus Societatis Jeſu, totique Religioni ſic altiſsimè loquentem, lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. ad ann. 1290. edito ann. 1613. „ Quamvis autem hic quis objicere poſſet, non omnes ex „ prædictis Auctoribus approbare in omnibus doctrinam „ B. Raymundi, licèt nemo illorum contrarius ſit Pietati „ illius, item inveniri quoſdam ex PP. Societatis, hic non „ nominatos, qui eam prorſus aſpernentur, cui reſpondeo, „ me, nec unum, nec alterum illorum ignorare, vel negare; nec tamen hoc præallegatę auctoritati quidquam of„ ficère exinde demonſtro; quod aliqui laudatorum PP. „ Soc. qui Artem, aut particularem quamdam ſcientiam „ *B. Doctor.* Noſtri in aliquibus impugnant, id egerint ſe„ cundùm præconceptam, quam de Doctrina ipſius tunc po„ terant habere, hypoteſin, quamque potiùs aliunde, quàm „ è propriis ſuis libris deſumere cogebantur; ſi verò ea, „ quæ nunc Orbi litterario communicamus vidiſſent, legiſ„ ſent, & intellexiſſent opera, nullus dubito, quin viri „ hi ſapientes, & æquiſsimi veritatis defenſores longè aliud „ judicium protuliſſent; quod ipſum à poſteris hujus Sa„ cræ Societatis Doctoribus indubitanter & cum fœnore ob„ tenturum *Illuminatum Doct. Noſtrum*, ſperamus.

In hac hujus Præclariſsimi Principis ſapientiſsima, modeſtiſsima criſi, & cenſura poteſt Rmus. Feijoò, quod deſidero reſponderi ad ſuam valde eruditam Epiſt. legere, ex illaque aſſumo, quid dicendum ad hoc argumentum, quod non ſemel audivi contra Feijoo. Vel vidit omnia opera Illuminati Lullii, vel aliqua? Et iſta vel ſuperficialiter, vel ſufficienti notitia ad criſim? Si primum, quomodò conqueritur libros Lullianos fermè extinctos? Si ſecundum,

quo-

quomodò ignorando majora, poteſt ex tam paucis perlectis, dare ſententiam, cum in omnibus ſuis libris Theatri, nil de punctis tranſcendentibus proferat, quod erat neceſſum ſimplicitèr, ut judicaret ex ungue Leonem? Defecerunt ergo ſcrutantes ſcrutinio, quod Auguſtino docente teſtes dormientes protulerunt, *dicite quia vobis dormientibus*. Reſpondeo, dum ipſe reſpondeat, quia ſi ea, quæ tunc orbi litterario communicavit Eminentiſsimus Bellarm. vidiſſet Feijoò, legiſſet, & intellexiſſet opera, & quæ nunc ſapientiſsimus Salzinger ſcripſit, nullus dubito quin vir iſte ſapiens, & æquiſſimus veritatis defenſor, ſicut Criticus ſolet, longè aliud judicium protuliſſet, quod ipſum in poſterum à ſapientia Feijoò indubitantèr ſpero cum fœnore obtineri; habet enim ad mentem Illum. penetrandam, plures laudabiles conditiones à Doctore Illumin. deſideratas; ſcilicèt, humilitatem, docilitatem ingenii, applicationem, inſuper ac bonam intentionem concordantem cum ipſiſsima intentione Lullii; ſcilicèt, mundum ab erroribus liberare. Si ergo concordat in fine, *in quo omnia principia quieſcunt*, quomodò contrariabitur in mediis ad finem neceſſariis? Immò concordat cum titulo Operis: in quo diſtinguit, arguens rogo, nomina iſta: *Theatrum Criticum Univerſale*: *Ars Univerſalis*? Quis autem horum, mundum ab erroribus liberabit, Feijoò, vel Lullius, non eſt meum judicare; ex fructibus eorum cognoſcetis eos.

Per hoc etiam ſolvitur aliud argumentum, ſcilicèt, Quomodò Rm. Feijoò non vidit teſtimonia virorum illuſtrium, quos Salzinger tom. 1. tradit? Reſpondeo, ſi tot viri ſapientiſſimi Societatis Jeſu, amatores veritatis non viderunt plurima, quæ tunc ſcripta, quare ſapientiſsimus Feijoò arguetur, quòd non viderit, quæ nunc exarata? Fortè ad manus ſuas pervenit Trevoux memoria afferens Salzinger minimè talia opera edidiſſe, ſed alium, cujus ipſe honorem arripuit. Et hæc eſt alia ratio, quare puto neceſſum, hunc Tractatum à Diſcipulo illius sapient. Magiſtri Salzinger laborari, ut convincat, quàm ſine fundamento Amanuenſis Salzingèr, nominetur à Trevoux memoria Magiſter. Si hæc omnia ex teſtibus vigilantibus prolata Reverendiſ. Feijoò credat, de quo non dubito, cum fœnore obtinebit veritatem, quam aviditsimè quærit. Iterùm in favorem Feijoò arguo ſic: Nullus dubitat, quid ſua Rma. dicat

de

de Muſica, & Medicina,& bene dicit,quia impoſsibile eſt perpetuam & continuatam conſonantiam in Muſica,& infallibilitatem in Medicina reperiri. Sed quibus eſt impoſsibile? Dico: non Lulliſtis.Unus qui nec nomen Lulliſtę habere poteſt, apud ſe retinet inſtrumentum muſicum , in quo ſectio monochordii eſt ita accuratè regulata ſecundùm tria genera Muſicę, ſcilicèt enarmonicum , cromaticum, & diatonicum, de quibus in Muſurgis nullus eſt uſus, ut omnes chordæ, & idem dicendum de fiſtulis per prædictam temperatæ habeant perpetuam conſonantiam in aſcenſu , deſcenſu , & circulo , quod apud omnes, extra Scholam Lullianrm , viſum fuit impoſsibile. Non minus impoſsibile reputabitur à Medicis , aliquem tangendo pulſum hominis firma ſalute gaudentis , cognoſcere quot infirmitates graves paſſus, vel ſi nullas paſſus fuerit , qui tangitur. Experimentum hujus impoſsibilis factum fuit coram primis Regis noſtri proceribus, inter quos eminet Marchio à S. Joanne: Ipſum interrogare poterit , qui dubitet. Repetitum fuit non ſemel in hac alma Univerſitate : Teſtes invocari poſſunt tres Sapientiſsimi Magiſtri ex Benedictina Familia,inter quos laudandus Rmus. Magiſter Marin S. Anſelmi Cathedræ Primarię Moderator, & alii , quos eſſet longum enarrare. Sed non eſt omittendum, quod in ſuo pulſu expertus fuit Medicus Excellent.D. ComitisBenaventani;huicMedico erudito prædictus nonLulliſta , infirmitates quas paſſus fuerat , dixit; &, lumine ex Lullio habito dixit: Si talia vidiſſet , & intellexiſſet Sapient. Feijoò æquiſsimus veritatis defenſor longè aliud judicium protuliſſet de Muſica, & Medicina.Et tunc ſicut ex Arte Generali judicavit innutilem Scientiam Lullianam,ex iis ſolis experimentis judicaret ipſam utiliſsimam, & neceſſariiſsimã ad veritatem poſſidendam. Non aliud credam, nisi prius ſciam totam ſuam humilitatem in ſuperbiam mutatam, ingenuitatem in dolum, docilitatem in proterviam converſam,quod abſit judicare.

Si dicas, quare tam deſideratum experimentum profundo ſilentio manet incarceratum? Reſpondeo: propter eamdem rationem, ob quam cætera experimenta à Sapientiſsimis Lulliſtis edita , vel negantur, vel contemnuntur. Qui ſciat hoc ſecundum, ſciet primum. Ego ſcio, quod vidi , & certus ſum de eo, quod credidi, & teſtes quos invoco,non negabunt, & ſi negaverint, quod non eſt dicendum, prædictus non Lulliſta, iterum

ex-

experimentò convincet: Si ergo in Muſica & Medicina aliunde inexpertus totaliter, talia ex Lullio quaſi ex otio, vel pro otio vitando eruere potuit, quid Sapient. Feijoò accideret, ſi totis viribus huic ſcientię operam daret? Non ſemel lachrymis rigavi deſiderium, quo deſideravi ingenium, hujus ſæculi Fœnix, in montibus hujus Arabiæ aurum ſupræmæ ſcientiæ eruere. Adhuc Deo dante cum fœnore obtenturum ſpero, ſi Rmus. Prædictus opera, quæ retuli, ingenio & docilitate, qua pollet legerit, et ſi omnia legat, intelliget.

Sit exemplum; non poſſet non ſummopere gaudere Rmus. iſte ſi pro ſuo diſcurſu de rationalitate brutorum legiſſet caput 36. Magni Libri contemplationis Lulli ubi altiſsima de brutorum ſpiritu diſſerit; & ejus diſcipulus A.R.P. Magiſter Fr. Michael Fornès Doctor. & Cathedræ Lullianæ Doctrinæ Moderator inclytus, tanto pondere authoritatis Sacræ Scripturæ, PP. Auguſtini & Fulgentii præcipuè, aſſumptum probat, ut videre eſt in præfatione ad lectorem hujus libri, qui lucem publicam avidè poſtulat, quòd legens diſcipulum & Magiſtrum non niſi altiorem conceptum de prædicto diſcurſu critico poterit efformare, quoque efformato priùs etſi ingenioſo immo etſi ingenioſiſsimo, ni falor; dubitare poterit lector ingenuus, cujus ſit, Feijo, an Lulli diſcurſus? Verùm, ſi cum Eunucho dixerit: Et quomodò poſſum intelligere, ſi non aliquis oſtenderet mihi? Roget Bartholomæum, vel ei præcipiat ut aſcendat, & ſedeat ſecum; & Autor Tractatûs hujus aperiet os ſuum, incipiendo ab alphabeto Lulliano, & evangelizabit ſuæ Rmæ. Donum Dei. Certe credo, quòd ſi per hanc viam ambulet, veniet ad quamdam aquam ita perlucidam, ut poſsit dicere: Ecce aqua, quid prohibet me Lulliana ſapientia repleri? Si ex toto corde ſtudeat, licet. Jubeat ergo ſtare currum; deſcendat uterque in aquam, & fiet in eo fons ſapientiæ contra errores totius mundi, ibitque per viam ſuam Criticam gaudens. Non venit Bartholomæus ex Azoto ſicut Philippus, ſed ex Baleari Regno, ex Moguntino Cœlo, ut omnes docere poſsit uſque dum veniat ad patriam æternam, pro qua ſolum ſuſpiria mittit. Qui attentè legat, agnoſcat apologeticum hoc ſcriptum fuiſſe oculis in æternitate defixis, ut ad vitam omnes perducere poſſet.

Ultima mihi valde efficax ratio, ne prædictæ Epiſtolæ reſpon-

ponderem eſt veneratio, quam ſuæ Rmæ debeo. Commutare liceat verba mei Seraphici Parentis pro reverentia danda Sacerdotibus: *Et nolo in eis conſiderare peccatum, quia Filium Dei cerno in eis, & Domini mei ſunt: & propter hoc facio, quia nil video corporaliter in hoc ſæculo de ipſo Altiſſimo Filio Dei, niſi Sacratiſſimum Corpus ejus, & Sanctiſſimum Sanguinem ſuum, quem ipſi conficiunt, & ipſi ſoli aliis adminiſtrant.* Et nolo in Benedictinis conſiderare peccatum, quia Benedictum Parentem cerno in eis, & ipſi Domini mei ſunt. Et propter hoc facio, quia nil video corporaliter in Religione Seraphica, niſi Portiunculæ locum, & Dominæ Angelorum Domum, quam ipſi poſsidebant, & ipſi ſoli nobis conceſſerunt. Ex iis ſolvi poteſt replica, quam fortè aliquis efformabit; ſcilicet. Quarè lingua latina eſt reſponſio, ſi lingua vulgari interrogatio fuit? Mecum penſitabam ſi obedientiæ quærenda eſt ratio, Prælatum expreſsè præcipere latino idiomate reſpondere ne in tumultu vulgari ſermo iſte volaret; Benedicti & Franciſci filii jam non Fratres nominari, quia inimicus homo ſuperſeminavit zizaniam. Reſpondeat etiam pro me obedientia, quæ expreſsè voluit, ut quid de Apologetico ſentiam, aperiam. Hoc unum ſpeciali laude dignum in hoc Apologetico reperitur, ni fallor, non plus contra Benedictinum, quam contra domeſticos efformari, ut omnibus notum ſit, non perſonas, ſed ſententias in D. Illuminatum duras, poſsibili ſuavitate pellere. Et ſi aliquando in apologetico iſto etiam acidum dulce miſceatur, ex neceſsitate digeſtivæ factum reputetur; & ut ſi quis parvulus legerit, ſciat ſtimulum remanere, quo omnia adverſantia poſſent vulnerari. Et quia in Apologetico nil contra bonos mores fidei dogmata, Patrum Doctrinam repetiri potuit; imò in favorem prædictorum omnia; in lucem publicam dari deſidero, & humiliter peto; ſicut & omnibus, Sanctæ R. E. præcipuè, cui omnia dicta & facta mea toto corde omni tempore ſubdo. In hoc Seraph. P. N. Franciſci Salmantino Cœnobio, Generalique Collegio die 13. Septembris, Ann. 1743.

M. Fr. Joannes Valcarze
Cath. Prim. Moderator.

PRO

PROLOGUS.

LECTOR benevole ac veritatis amator: non pauca nec levia fuere motiva, quæ ad ſcribendum hunc Apologeticum Librum me omni jure compulerunt, quorum *primum* fuit Obedientia, cui mea ex profeſsione adſtringor. *Secundum* debita fuit gratitudo & Pietas, quibus gratiſsimè teneor tum erga Lullianam Pontificiam & Regiam Univerſitatem, tamquàm unus de minimis ejus Alumnis; tum erga meam charam Majoricenſem S. Franciſci Provinciam, tamquàm unus de minimis ejus Filiis, & totum Majoricarum Regnum, propter ſuum nobiliſsimum Civem & indigenam B. Raymundum Lullium Doctorem Divinitùs Illuminatum & Inclytum Martyrem Chriſti, toto terrarum orbe famoſum, in quibus ipſe Doctor & Martyr à tempore immemoriali publico & ſolemniſsimo gaudet Sanctitatis Cultu, Scholiſque Apoſtolica Authoritate inſtitutis, in quibus Regno Provincia & Univerſitate ſemper florent Inſignes Litterati, Doctores & Magiſtri tam in Lulliana, quam in cæterarum Scholarum Sententia, qui pleniùs & ſublimiùs valerent hujuſcemodi antilulliſticis aſſertionibus reſpondere; quia tamen ipſæ contrariæ aſſertiones jure merito, ut per ſe patet, non reputantur tantâ reſponſione dignæ; fuit ideircò dignius & congruentius, meam qualemcumque pro meis Patria Univerſitate & Provincia reſponſionem adhiberi, qua Rmus. P. M. Feijoò per aſcenſum minimi ad maximum quiret rectiùs criticare ex pennula Aquilam & totum ex ungue Leonem.

Tertium motivum fuit chariſsimorum confirmatio Diſcipulorum & meorum prænobilium ſapientiſsimorumque Condiſcipulorum honor, qui poſthabitis æmulorum oblocutionibus, humilitate & devotione non modicâ dignati ſunt mecum hìc Salmanticæ Arti Lullianæ & univerſali Scientiæ operam dare. *Quartum* tandem *motivum* fuit præcautio damni communis, quod maximum eſſet timendum, nisi eſſet, qui bonum hoc univerſale ab infinita Dei Libe-

ralitate orbi collatum, ab indigniſsimis vilipenſionibus defenderet; magìs enim reus tantæ Veritatis eſſet, qui ſcienter ipſam ſilentio ſupprimeret, quàm qui ignorantèr, & bona forſan intentione, illam exterminare conantur. Plurima adhuc ſuperſunt motiva, quæ per diſcurſum hujus Libri ſapientibus innoteſcent.

Ratio quare in 2. Capite 1. Diſtinctionis jam præponuntur Dignitates & proprietates Lullianæ Artis, eſt, ut legentes tanti promiſsione boni ineſcati, vel ſaltèm novitatis curioſitate allecti lectionem protendere non dedignentur. Ponuntur etiam Illuſtrium Virorum Authoritates, licèt longè facilius ſit veritatem rei Lullianæ rationibus demonſtrare, ut minùs ſcientes, quos ratio adeò non movet, ad ipſam veritatem inducantur Authoritate. Nihilominùs etiam rationes adducuntur Authoritatibus connexæ & admixtæ, ut ſcientifici ſuadeantur, & alterum non appretiantes, utrumque legere & perpendere opportuniùs invitentur. Et hęc eſt una de rationibus, quare Liber iſte dicitur intùs & foris ſcriptus; intùs ſcilicèt *ratione*; foris autem *Authoritate*; intùs juxta ſenſum *metaphoricum* & ſpiritualem; foris juxta ſenſum *literalem*; intùs per infinita *implicita*; foris per finita *explicita*; intùs, quia *abſconditus & ſignatus*; foris, quia ex parte *revelatus & apertus*, cùm ſit imago Chriſti, qui eſt ille realis Liber, quem vidit D. Joannes Evangeliſta intùs & foris ſcriptum, de quo D. Hilarius ait: *Liber ſcriptus Chriſtus paſſus.*

Licèt enim numquam me traxerit inclinatio ſcripta multiplicandi, & multò minùs in publicum producendi; cùm mihi planè videretur, Antiquorum ſapientiam ſupereſſe, ut quicumque ſapientior fiat, & hanc ſapientiam penitùs B. Raymundi Univerſalem confirmare Doctrinam, quæ per ſe ipſam valet, niſi oculo livido & nimìs feſtino legatur, ab omni adverſitate defendi; & hoc eſt, quod reſpondi meo Generali Prælato dum onus reſpondendi mihi injungeret; nihilominùs, quia moderno tempore, tam Antiquorum ſapientię, quàm Generalis & Univerſalis Doctrinæ non adeo viget uſus; ideò neceſſe fuit ſpecialibus aſſertionibus Rmi P. M. Feijoò & quorumcumque Antilul-

liſ-

liſtarum ; ſpecialiter reſpondere ; ut amicis ; & inimicis plena pro meo poſſe exiberetur ſatisfactio ; nam licèt utroſque non valeat admittere intellectus, eos tamen æqualiter complectitur mea voluntas.

Eſt etiam iſte qualiſcumque labor in gratiam tum eorum, qui magni Operis Lulliani aliquam præviam deſiderant notitiam, tum eorum, qui ob penuriam ipſo Opere coguntur deſtitui ; & tamen ejuſdem Divinæ Artis cognoſcendæ laudabili & ſatis utili deſiderio poſsidentur. Unde tibi benevole Lector, & omnibus, qui plùs diligunt veritatem, quàm ſeipſos, quod per Dei gratiam *vidimus & audivimus annunciamus vobis, & hæc ſcribimus vobis, ut gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum*; recipite gratanter à Deo, *cujus eſt totum, quod eſt optimum.*

Et ût pauper & humilis S. Franciſci Filius, omniumque verorum Sapientum Servus, ipſorum judicio hanc primam hujus Libri Partem libenter ſubmitto, & rogo ut ipſam impartialiter examinare dignentur, quæ licèt ſufficiat ad omnium oppoſitarum aſſertionum ſolutionem, ſi æquè à juſtis veritatis amatoribus acceptetur ; nihilominùs adhuc 2. Pars de induſtria reſervata magis ſufficiet ad intrinſecam & claram Artis Magnæ intelligentiam, quæ, Deo dante, & Obedientia ſic diſponente, ſicut de 1. hac Parte diſpoſuit, & juſta acceptatione 1. ejuſdem Partis exigente, in lucem prodibit, alitèr nequaquàm ; ubi, ſi aliquid minùs rectum, vel erratum offendatur, meæ ignorantiæ & inadvertentiæ eſt adſcribendum ; ſi verò ibi, donum cœlitùs datum omni Animæ veritatem fortitèr quærenti reperiatur, Deo eſt tribuendum, qui ſit ab omnibus benedictus temporalitèr & æternè. Amen.

VALETE.

APPENDICIALIS PRÆCEDENTIS PROLOGI *Prologus, & ſequentis Libri præcurſorius, prava convertens in directa, & aſpera in vias planas reducens.*

1 QUONIAM, dum præſens Liber jam prælo ſubderetur, ſecundam Eruditiſsimi Sapientiſsimique P. Magiſtri Feijoò Epiſtolam Tom. 2. Epiſt. Erud. pag. 158. Reverendiſsimis Apologiſtis Capucinis ſatisfacere conantis, non minori attentione, quàm admiratione perlegi; ſimulque animadverti, dictis Apologiſtis facillimum, ab oppoſitis in dicta Epiſtola, ſe extricare; meam qualemcumque omnibus & ſingulis reſpondendi aviditatem repreſsi. Cumque adhuc non ſit ſpecialitèr & directè Feijoana Sermocinatio mecum; & nè tantis Viris ſe defendendi abs tali auxilio, honorem in aliquo deferre viderer; ideò aliqua dumtaxàt non parùm noſtram ad rem facientia, in quibus ipſe Rmus Feijoò præ inſufficienti præſentis puncti (licèt de eo aſſerat & concludat) informatione, nimiam pati æquivocationem videtur; fuit mihi hìc prænotare neceſſe.

2 Primò omnibus Catholicis ſanè videbitur, prædictos Apologiſtas meliorem aſſumpſiſſe cauſam defendendi Artem cœlitùs datam (ût piè creditur, & infrà ratione demonſtratur) Raymundi Catholici, quàm ipſam impugnandi hæretici Baconis dicterio; nam Raymundus Catholicus eſt *Doctor barbatus in ſuis Artibus & Scientiis approbatus*, ût in Encomiis authenticis Pariſiorum in primi Tomi Moguntinæ impreſsionis frontiſpicio eluceſcit. Licèt enim Rmus Feijoò num. 10. Suæ ſecundæ Epiſt. Baconem in Philoſophia, ſe elogiaſſe prætendat, ſicque Lullianæ Arti hæreticum ipſum oppoſuiſſe; res tamen in prima Epiſtola longè aliter ſe habere videtur; ibi enim de omnibus conſulenti Scientiis, dicta Arte mediante, addiſcendis, reſpondet ſine aliqua proferens perplexitate, ipſam Artem eſſe omninò vanam ad finem ab Authore propoſitum; & rationem hujus latæ ſententiæ reddit: quia ſcilicèt magnus Criticus in materia Scientiarum Baco ipſam Artem impoſturæ appellat. Vid. pag. 315. n. 1.

Si

3 Si enim à B. Authore quæratur ; quinam ſit finis principalis ſuæ Artis ? in Prooemio Artis Demonſ. , & pluribus aliis in locis , Sac. Theologiam eſſe reſpondet ; & ſi idem à dicto conſulente quæratur , ſi Religioſus eſt , idem reſpondere deberet , ſe videlicèt principaliter dicta Arte intendere Sac. Theologiam comparare. Hoc tamen non obſtanti, & etiam ſuppoſito , de dicti Conſulentis profeſsione Sac. Theologiæ Magiſterio , & ejus manſione in Benedictinorum Collegio S. Vincentii Salmantino , me nil Scire ; Rmus Feijoò hanc mihi debet humanitatem , qui ſuum Baconem ei Philoſophali de materia expoſui. Si enim cum quocumque Infidelium genere conferre & diſputare deberem , charitativè & honorificè pro toto poſſe cum ipſis agerem , ut, captata voluntate , ipſorum convincerem intellectum ; ſic enim didici à meo B. Magiſtro ; aſt , ab ipſorum dicteriis copias emendicare auxiliares ad impugnandum Artem vel Scientiam alicujus Doctoris Catholici , mihi piaculum eſſe , & nefas , ſinè perplexitate proferrem.

4 Supponitur etiam , Rmum Feijoò in utraque Epiſtola eſſe cum ſerietate locutum , verumque dixiſſe , tum in Authoritatibus , tum ſuis in ratiociniis prætendere ; ita ut ſit ejus animus , à ſe dicta debere pro dictis tranſire ; aliter enim valde egregia eſſet nuga , de ſerietate , eruditione & ſapientia tanti Authoris non præſumenda. Hancque ſuppoſitionem in omnibus Scriptoribus Catholicis tacitè & implicitè ſupponendam (propter dicta ab ipſo Rmo Feijoò num. 83. ſuæ 2. Epiſt.) debui non reticendo explicare ; ſi enim in aliquo à me ſcripto & aſſerto erraſſe deprehenderer , ſanè erubeſcerem ex ipſo errore qualemcumque mei intenti probationem efformare. In hac enim ſuppoſitione primæ Epiſtolæ reſpondetur , & in eâdem per ſubſequentes ſecundæ Epiſtolę numeros procedetur.

5 Numero 2. dictæ 2. Epiſtolæ laudatus Magiſter Lullianam incipit Artem deſcribere , ſeu potiùs irridere Ovidianis metris in hunc modum : Rudis indigeſtaque moles;

Nec quidquam , nisi pondus iners , congeſtaque eodem
Non benè junctarum diſcordia ſemina rerum.

Hìc cum bona venia dicitur , acceptam eſſe muſtellam pro vul-

vulpe ; nam chaos, de quo Ovidius, est natura universalis realis & corporea, & Ars est perfectio ipsius & etiam naturæ rationalis. Quia tamen Lulliana Ars indagatrix & perfectiva Naturæ tam corporalis, quàm rationalis, & utriusque auxiliatrix existens, metaphoricè & altiori in sensu chaos valet appellari ; debent carmina juxta ipsius Artis leges tantispèr hanc mutationem subire: Natura chaos, quæ est rudis indigestaque moles;

Nec quidquam, nisi pondus iners; Lulli Arte levatur,
Cùm benè demonstret concordia semina rerum.

Videatur Liber Chaos Tomo 3. magni Operis Lulliani, ubi demonstratur, qualitèr omnia rerum semina concordent, ût principia universalia à Deo ita benè conjuncta, ut semper sint inseparabilitèr permansura, nè fundamentum Naturæ concuti valeat & mutari, quod primum chaos est & genus realiter universale, in quo omnes speciales & individuales differentiæ debent semper realitèr concordari & convenire. In quo planè videtur, Ovidium in illis verbis: *non benè junctarum, & discordia semina*, vehementèr errasse; alitèr enim in perfecto Dei opere originalis defectus inveniretur; quod est impossibile juxta Fidei testimonium, & Lullianę Artis rationem, qua statim novit Artista, in quo Philosophi, & Poetæ antiqui benè dixerint vel erraverint: unde ex hac minima ipsius Artis utilitate, jure merito de illa verificatur:

Non pro toto mundi Ars Lulli venditur auro.

6 Dixi, Lullianam Artem altiori in sensu metaphorico posse etiam chaos appellari; quia, sicut, literalitèr loquendo, universalis natura primi chaos, mediantibus agentibus naturalibus & specificis, in quibus incessantèr recipitur, per naturalem contractionem generationem specificationem individuationem & clarificationem realitèr ad omnes descendit species minerales, vegetales & animales usque ad ultimata & completa earum individua, in quibus est penitus clarificata, ût videtur in arbore, in qua vegetativa in stipite confusa, in ramos, folia, flores & fructus distinguitur & clarissimè manifestatur.

7 Ita paritèr, allegoricè loquendo, Ars Lulliana est

Chaos

Chaos ſcientiale & ſcientia univerſalis, cujus univerſaliſſima principia ſunt concordia ſemina optimè junctarum omnium Artium & Scientiarum ſpecialium; & cujus univerſalitas, artificialiter ſpecificando, mediantibus artefactivis Agentibus, ſive Artiſtis, artificialitèr, juxta infallibiles Regulas, & indefectibiles leges naturæ, deſcendit ad omnes Scientias, & Artes particulares & ſpeciales uſque ad ultimata ipſarum individua artificiosè inventibilia & ſcibilia, in quibus clariſsimè ad oculum intellectualem ſe oſtendit; plùs adhuc quàm confuſæ vegetativę univerſalitas ad oculum corporalem, in ramis, foliis, floribus & fructibus claram & diſtinctam ſe manifeſtat. Unde, quicumque in naturæ corporalis Libro rectè legere novit, lectionem ad naturam Artis & Scientiæ univerſalis extendat, & clarè videbit, quàm miſerrimè tantum Dei donum irrideatur.

8 Numero 4. ejuſdem Epiſt. proſequitur laudatus Magiſter imaginariâ ſuperficialique eruditiſsimi Waddingi opinione ſuffultus ſic: ſecundùm meum dictamen debuiſſent Impreſſores in ipſius Artis fronte impreſsiſſe:

Hìc Labyrinthus adeſt; verùm ſi laberis intus,
Non Labyrinthus erit, ſed labor intus erit.

Verùm, ſalvo omni Waddingi, & ejus phantaſticam cogitationem ſequentis reſpectu; dicitur, rem omninò alitèr ſe habere. Optimo enim Waddingo accidit, ſicut illi, de quo D. Auguſtinus Ser. 44. de Verb. Dom. ait: „ quemadmodum qui videt literas in codice optimè ſcripto, & non „ novit legere, laudat quidem antiquarii manum, admirans apicum pulchitudinem, ſed quid ſibi velint, quid „ indicent illi apices, neſcit, & eſt oculis laudator, mente „ non cognitor, alius autem & laudat artificium, & capit intellectum, ille utique, qui non ſolùm videre, quod „ commune eſt omnibus, poteſt, ſed etiam legere; quod „ qui non didicit non poteſt. Sicque videns ipſe Waddingus in Arte, quod commune eſt omnibus, miratus eſt apicum pulchritudinem, prout infra ex ipſius confeſsione convincitur, quando de hac Arte dicit: *Mirabiles habet ambages*; ſed defecit in hoc, quod non laudans antiquarii manum, mente non cognitum deſpexit; quod, ût per ſe

pater,

patet, temeritatis notâ nequit omnino carere. Hujus defectûs nonnullos habet Waddingus imitatores, qui apud ſemetipſos cogitantes, nullum intelligere poſſe, quod ipſi non capiunt, facti ipſius Artis maximi inimici, multos decipiunt & retrahunt innocentes à maxima, quam ex ipſa Arte juxta ſui applicationem exhaurirent, utilitate. Qui verò Lulliana in Arte intus legere norunt, artificium laudant & capiunt intellectum; ſicque juxta hos, & rei veritatem in Artis frontiſpicio debet diſtichon ſic ſtatui:

Hinc Labyrinthus abeſt; nam ſi perlegeris intùs
Non Labyrinthus erit, ſed ſtupor intùs erit.

9 Numero 19. dictæ 2. Epiſt. pergit prælaudatus Magiſter dicens: *Credo, me poſſe cum veritate dicere, Apologiſtas non tot citaſſe cum ducentis pro Arte Lulli, quot ego cum duobus contra illam*; (cum Bacone hæretico ſcilicèt, & R. P. Rapin, quem non dedignatus eſt huic ſocium exhibere) rationemque reddit; *quia*, ſcilicèt, *totus iſtè ducentorum catalogus fuit copiatus ex paſsione affectiſsimo Lulliſta Germano Ivone Zabzinger*: (Salzinger debet vocari Anthor iſte, notus apprimè in tota Germania, Gallia, Italia, & in Hiſpania magnum eſt nomen ejus; quia, quod uni eſt obſcurum, aliis eſt præclariſsimum;) *& ſic in rigore non citatur, niſi unus, omneſque citationes ad cero rediguntur*; hoc eſt ad nihil.

10 Nunc, Lector veritatis & æquitatis æſtimator, in dicti Argumenti acuitate & veritate inſpicienda ſiſte paumper iter, dum illud ſic retorqueo: aliquis Faijoana ab Epiſtola, duos Authores citatos, & octo, qui infrà citantur Lullianam Artem reprobantes tranſcripſit & copiavit: ergo iſti decem non ſunt, niſi unus, eorumque citationes ad cero, ſive ad nil rediguntur. Nonnè valde egregia eſſet hujuſmodi conſequentia? Neutiquàm, Rmus Feijoò reſpondebit. Cui regero: quarè igitur ſequitur, ducentos Lullianam Artem approbantes ad cero, ſivè nil debere reduci, ex eo, quod eorum catalogus ſit Salzingeriano ab opere copiatus? Ad hoc cogitur Rmus Feijoò reſpondere: quia ſicut ego ratione contra Lulli Artem, ita Salzinger pro ipſa Arte erat paſsione affectiſsimus. Hæc enim eſt unica ratio

tio Feijoano in Argumento allegabilis, ut in cerò ducentorum authoritates redigantur.

11 Datâ igitur, & minimè conceſsâ, quia veritati contradicit, hac Feijoanâ ratione; ipſam nil facere ad rem evidentèr oſtendirur; quia nullus ex Authoribus pro Lulliana Arte citatis, ſuam ex Salzingerio tranſcripſit ſententiam; quia omnes ipſo longè antiquiores fuere. Si enim omnes pecudum modò pergentes, quò itur, & non quà eundum eſt, Salzingeriana veſtigia eſſent ſecuti; benè poſſent ad ipſum unum tamquam ad caput reduci. Sicut Eimerici ſectatores in hoc puncto ad ipſum tamquam ad unum caput reducuntur; ipſe enim, teſte Auditore & Sacræ Rotæ Decano Franciſco Peña, utí videbitur infrà, *fuit B. Raymundi Calumniator Anteſignanus.* At in noſtro caſu res è converſo ſe habet; quia Ivo Salzingerius dicta recopilavit teſtimonia à Viris Illuſtriſsimis, omnibus, nemine excepto, ipſo antiquioribus, ût ex 1. Tomi præliminio nitidiſsimè eluceſcit; quos Authores ipſe Salzinger propriis perlegerat oculis, Librorumque formam, Tractatus, Capita, folia, necnon Titulos Authorum, nomina Impreſſorum, tempus, locumque impreſsionis deſcripſit, nè vacuum Salzingeriano in Opere Feijoani oculi invenire valerent.

12 Quod Opus, ſi Rmus Feijoò eſſet dignatus priùs rimari in Libro Regum & Principum, in Lullianis Perſpiciliis, & in Revelatione Secretorum Artis 1. Tomi, in 2. Tomi Præliminaribus, & in 3. Tomi Præcurſore, & non ante hujus inſpectionis tempus de Authore judicare; juxta Chriſti teſtimonium: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*; evidentèr ex dictis vidiſſet operibus, Salzingerium re & nomine Doctorem in quatuor principalibus Scientis & Facultatibus præſtantiſsimum extitiſſe; obſervanſque Quintiliani præceptum in 10 Inſtit. Orator. dicentis: *Modeſtè & circumſpecto judicio de tantis Viris pronuntiandum eſſe, nè (quod pleriſque accidit) damnent, quod non intelligunt*: vide pag. 73. n. 2.; de noſtri Antilulliſtæ probitate & ingenuitate non dubito, quin de tali ac tanto Viro, cujus nec nomen cognoverat, alitèr fuiſſet locutus. Luculentèr enim vidiſſet, uter rationabiliùs eſſet paſſione circa Lullianam Artem affectus, qui in pro, an, qui in contra?

13 Prætereà si Feijoana Sententia de præsumptione passionis Discipulorum pro suo Magistro, teneret; non modicam infidelibus porrigeret ansam, ut Christi Discipulorum Authoritatem respuerent, in testimoniis, quæ de suo Divino Magistro perhibent; sicque nos Catholicos valerent ad hominem arguere, quia ipsorum testimonia de Fide credenda tenemus. Quo, quid absurdius? Nec valet disparitatis enormitas inter Christi Discipulorum, & B. Raymundi Authoritatem allegari; nam, si ratio formalis, quare Discipulorum testimonium de suo Magistro perhibitum debet respui; est passio ipsorum erga ipsum præsumenda; cum ipsa ratio ubicumque sit, tenere debeat, etiam in Christi Discipulis proportionatè teneret; certissimum enim est, SS. Petrum, & Jacobum, & Joannem, alios Evangelistas, & D. Paulum pro suo Divino Magistro esse passione affectissimos; sed omninò absurdum esset ex hac passione eorum respuere testimonium de suo Magistro perhibitum: ergo Feijoana sententia in hoc puncto nil penitùs ad rem efficere valet.

14 Inde prosequitur laudatus Magister contra Lullianam Artem acritèr pugnans, & acriùs pugnaturus octo Authorum magnâ comitatus catervâ, quos alii postquam viderint hinc inde illos in conflictu cum insurgentibus pro Artis defensione in hujus Libri discursu, dijudicabunt; eos tamen debito prosequens honore, hic nolo nominare passione affectos, sed in hujus rei notitia minùs sufficienter effectos.

15 Numero 22. ejusdem 2. Epist. iterùm contra Lullianam Artem, & Artistas idem Author cum Eimericana Authoritate apud R. P. Joannem de Mariana aggreditur. Cui obitèr respondetur, dictam Authoritatem nihil omninò valere (ût fusiùs demonstratur infrà) & quia Eimericus erat nimis passione aversus contra Immaculatæ Deiparæ Conceptionis Defensores; cumque B. Raymundus ejusdem originalis Immunitatis esset defensor egregius, ût suis claresçit in Libris: hinc illi prima mali labes, hinc dira Doctrinæ ejus & famæ ab Eimerico persecutio, utì Memorialę Romæ versatum pro ipsius Canonizatione demonstrativè testatur.

16 Hæcque Eimerici adversa passio ex verbo & facto ipsius convincitur: ex verbo, quia ipse Originalis Reginæ cœli

li honoris propugnatores, Scribicetos, Phariſæos, & hæreticos nominabat: ex facto, quia Inquiſitoris munere fungens, contra eos procedebat, ipſoſque non ſuavitèr puniebat. Sic in Tractatu, quem miſit ad Clementem, & Benedictum antipapas, in cujus Prologo ſic exorditur: „ Sanctiſsimo ac „ Beatiſsimo in Chriſto Patri ac Domino, Dño. noſtro D. Be„ nedicto, digna Dei providentia Sacr. Rom., ac univerſalis „ Eccleſiæ hujus nominis Papæ Tertiodecimo Frater Nicolaus „ Eimerici &c... Sanè Beatiſsime Pater, nupèr tempore Do„ mini Clementis Prædeceſſoris veſtræ Sanctitatis quemdam „ Tractatum Satis extenſum *de peccato originali*, &c. com„ pilavi,... quem tunc ejuſdem Domini Clementis Sanctitati„ deſtinavi: quem & nunc veſtræ Sanctitati... offero pari mo„ do... Ecce Beatiſsime Pater, Scribiceti, Phariſæi, hæretici „ inſurrexerunt, &c....contra quos nonnullos *proceſsi & pu„ nivi*. Et in fine ſic ait: „ Conflatus per fratrem Nicolaum „ Eimerici... Aragoniæ Inquiſitorem, editus Avinion. incep„ tus & terminatus anno Domini 1396. Pontificatûs SS. Dñi „ noſtri Benedicti Papæ XIII. anno 2. Relegationis verò ejuſ„ dem Inquiſitoris pro Fidei defenſione cum Joanne filio „ Zebedæi anno 3. Hucuſque Eimericus. Videatur, quàm „ laudabilitèr à ſuis fuit Inquiſitoris Officio privatus, pag. 470., & quàm indignantèr à Rege ex Hiſpania relegatus, pag. 467.

17 At, regeret Antilulliſta: Articuli contra Lullianam Doctrinam in Eimerici Directorio ſunt proſcripti & damnati. Cui dicitur, hoc non obeſſe, quia illi Articuli B. Raymundo fuere falsò attributi, prout in ſolemni Sententiæ Definitivę examine contra ipſum Eimericum à pag. 27. uſque ad pag. 66. evidenter demonſtratur; & ex ſiniſtra Eimerici perſecutione hìc aliqualitèr tacta, & infrà tangenda clareſcit; ideoque hujuſmodi proſcriptio nec in Sac. Concilio Tridentino, nec in Sac. Indicis Congregationibus, nec in aliis Tribunalibus, in quibus detecta fuit calumnia, obfuit. Sicut nec S. Jacobi de Marchia opinio in Directorio damnata ipſius obfuit canonizationi, teſte, omni exceptione digniori, Emin. Cardinali Proſpero Lambertino, qui Tom. 2. de Servor. Dei Beat. f. 330. n. 12. circa finem ait: *Quintò Congregationem Bellar-*

mini Sententiæ quidem adhæsisse, cùm Jacobi opinio fuerit tam quam hæretica proscripta in solo Directorio Inquisitorum, Autore Eymerico Fratre Ordinis Prædicatorum.

18 Et mirabilius quidem est, Eimericum id feciſſe post Constitutionem Clementis VI., *quæ* (ût idem Em. Lambertinus) *est undecima Bullarii Tom. 1., in qua sub pœna anathematis latæ sententiæ statuit, quod nulli Fratrum, &c. in posterum liceret de sæpe dicta controversia prædicare, vel publicè, aut privatim verbum facere, vel aliis suadere, hæresim esse, vel peccatum tenere, &c.* Ita Em. Lambertinus eodem Tom. 2. f. 329. Unde non potest capi, quomodò Eimerico licuerit opinionem in Directorio proscribere ût hæreticam, quam, obsistente omnibus anathemate, non licebat *aliis suadere hæresim esse, vel peccatum tenere*? Et, si Papale latæ sententiæ anathema ad dictam damnationem ipsi non obstitit; quid eidem, né damnaret Articulos, ipsosque B. Raymundo falsò attribueret, obsistere poterat, nisi sola Dei Omnipotentia? Quarè nostrum rogo Antilullistam (minùs enim malum erit) nè velit iterùm, cum Eimerico in hoc puncto nullius fidei Authore, Lullistas cogere infandum renovare dolorem.

19 Numero 23. intrepidè certat laudatus Magister incomparabili (ût ipse putat) Waddingi authoritate armatus; at, suum jam præventum reperiet ausum, deprehensos videns vanos illius conatus. Pag. 240. Hic tamen obitèr dicitur: Si Eruditissimus Antilullista nostrum Waddingo longissimè incomparabiliorem Petrum de Alba æquitate perpendisset, non obscurè intueretur, qualiter ipse Alba utì Aurora contra athomos Veritatis Soli obsistere nitentes flans, B. Raymundum, ejusque Doctrinam divina ab Arte profluxam magnificè laudet, originemque Eimericanæ persecutionis patefaciens, ipsius Eimerici gravem virilitatem proprio in sensu declaret. Nihilominùs aliqualitèr laudabilis est noster incomparabilis Annalista cùm in materia, in qua ejus pollebat peritia, scilicèt Historiali in *narratione*, verum sincerumque de B. Raymundi Scriptis judicium protulerit dicens de illorum narratione: *Vera tamen & sincera narratio.* Tom. 6. Annal. ad annum 1315. cap. 6. In subsequentibus ejusdem Epist. numeris notabile pro nostro speciali intento immoratione dignum non potuit reperiri.

Nu-

20 Numero 37. idem Magiſter victoriam incipit decantare cum decem putans proſtraviſſe ducentos, quorum catalogum vocitat tædioſum : & benè dicit ; eſt etenim ; nam ducentorum millium exercitus ex adverſo pugnans , non parùm tædii pugnanti cum decem millibus affert. Nonnè magis tædioſum eſſet Rmo Antigoniſtæ,ſi evidenti veritate demonſtrarem, unicum ex ducentis pro Lulliana Arte citatis , plùs in hoc conflictu , quàm ſui decem , valere ? Si ita utile eſſet , utì facile ; catalogum libentiſsimè reſumerem , ab Emin. Cardinali Ximenio exordiens, qui (ût infrà pag. 75. n. 5.) B. Raymundum vocat *Illuminatiſsimum* , ejuſque ſcripta *valde utilia*. Inde ad Emin. Robertum Bellarminum S.R.E.Cardinalem tranſirem , qui in Lib. de Scrip. Eccleſ. ad annum 1290. edito Anno 1613. loquens de contrariantibus Lullianæ Arti ait: „ Qui Artem aut particularem quamdam ſententiam Beati „ Doctoris noſtri in aliquibus impugnant ; id egerint ſecun„ dùm præconceptam , quam de Doctrina ipſius tunc pote„ rant habere hypotheſin , quamque potiùs aliunde quàm è „ propriis ſuis Libris deſumere cogebantur ; ſi verò ea , quæ „ nunc Orbi literario communicamus , vidiſſent , legiſſent & „ intellexiſſent Opera , nullus dubito , quin Viri hi ſapientes „ & æquiſsimi veritatis Defenſores longè aliud judicium pro„ tuliſſent ; quod ipſum à poſteris hujus Sacræ Societatis „ Doctoribus indubitantèr & cum fœnore obtenturum Illu„ minatum Doctorem noſtrum ſperamus. Huc uſque Emin. „ Bellarminus.

21 Jam mihi nunc liceat illos plures aſſumere Bellarminos , quos Rmus Feijoò num. 74. de uno fecit Bellarmino, ſicut de uno Suarezio plures, ſimilitèr de Vazquezio, & ſic de aliis; (abſit, per Dei Miſericordiam, de uno Bacone fieri plures) utì num. 19. de ducentis facere novit unum. Præclara quidem , omnemque ſupereminens imaginationem habilitas! de uno individuali ſuppoſito plura efficere , & de pluribus facere unum ! Quid hoc eſt Omnipotens Deus? audeo cum veritate aſſerere , non eſſe factum tale Opus , nedùm in univerſis Regnis , verùm nec in Sacroſancto Incarnationis Myſterio. Acceptô igitur Bellarmino multiplicato, inquiro: numquid iſte cum ſuis Gigantibus non valet plus pro Lulliana Arte, quàm

quàm decem illi, quibus noſter Antilulliſta illam exterminare conatur? Ipſe utique ſolus plus valet ſinè tali multiplicatione. Similitèr pergere in aliis valerem, quorum plures, ſuis in locis videndos, nunc, majoris tædii noſtro Antilulliſtæ excuſandi, brevitatiſque ergò dimitto.

22 Numero 39. caput recuſabilitatis teſtimonii Authorum pro Lulliana Arte citatorum laudatus Magiſter aſſumit; *quia, ſe credere dicit majorem illorum partem eſſe Lulliſtas.* Et num. 40. aliud recuſationis caput allegat, *ex eo, quòd plures ex citatis Majoricenſes ſint.* Cui dicitur, nec majorem dictorum partem Authorum Lulliſtas, nec Majoricenſes eſſe, ût cuilibet Critico ipſos intuenti in principio Tomi 1. patebit; Criticus enim non per credere ſed per videre affirmat. Et, dato, quòd ita eſſet, ſi dicta duo capita ad recuſandum teſtimonium (prout ipſe recuſat) aliquid valerent, nimium inde ſequeretur. Sequeretur quidem (nimiò relicto, ſufficientique accepto) teſtimonium à Diſcipulis de ſuis Scholiarchis exhibitum, eſſe recuſandum (idem de compatriotæ cujatibus) ſicque veridicum teſtimonium de alicujus Magiſtri Doctrina, à non ſequentibus eam, eſſet neceſſe inquiri. Quo, quid abſurdius? Nisi eſſet, nullum Diſcipulorum ſuo pro Scholiarcha paſsione affectum eſſe, nisi ſolos Lulliſtas: quod ita non eſſe, & docet experientia, & conſcientia convincit. Unde alicujus ſequela Doctrinæ ad verum teſtimonium de illa perhibendum non obſiſtit; ſicque verum Doctrinæ Chriſti teſtimonium, à Chriſtianis, Divi Thomæ, à Thomiſtis, Subtilis Doctoris, ab Scotiſtis, Eximii Doctoris, à Suariſtis, Architecturæ, ab Architectis, & ſic de aliis, eſt quærendum. Quia, ſecundùm rectam moralitatem, nemo præſumendus eſt mendax, nisi probetur; nec aptior ad reddendam de aliquo rationem, nisi conſcius & expertus.

Hanc ſententiam egregiè approbat idem Rmus Feijoò Tomo 2. Epiſt. Erud. Epiſt. 2. pag. 22. nu. 27., ubi ſuam improbans ait: *Unius votum Architecti plùs valere* (in dubio ſcilicèt huc ſpectanti) *quàm ſex millia votorum ignorantium Architecturam. Unicuique in ſua Arte credendum eſt.* Unde legitimè infero: ſi votum unius Artiſtæ ſex millibus non artiſtarum votis præponderat; licèt Rmus Feijoò unicuique Lul-

Lullianorum Artiſtarum voto, ſex millia Artis Lullianæ inſciorum contraria vota opponeret, ad æquilibrium adhuc pervenire nequiret. Et, ſi unicuique in ſua Arte credendum eſt; quare Doctori cœlitùs Illuminato, ût ſole clarius milleni ejus libri demonſtrant, & infra clariùs eluceſcet, in ſua Arte non eſt credendum?

23 Numero 41. aliud teſtimonii recuſandi caput à dicto Magiſtro allegatur, *ab exceſsivis* (inquit ipſe) *& verè in tolerabilibus laudibus Lullo ab aliquibus citatorum Authorum exhibitis, quæ clarè demonſtrant ipſos Authores ex cæca paſsionis agitatione eſſe locutos.* Hæc Rmi Feijò formalia verba exiſtunt, quæ, ſi Grammaticorum aliquis ſinè additione & ſubtractione, vel ſenſûs mutatione meliùs traducat; ejus diſcipulus fieri volo, qui plures per annos qualemcumque peregi Oratoriâ in Arte Magiſtrum. Unde, ſi res ita ſe habet, ût ab Antilullifta dictum eſt; Em. Ximenius de Ciſneros omni laude dignus, quando vocavit B. Raymundum, *Illuminatiſsimum*, fuit cæca ex paſsione locutus, & ſimili cæcitate R. P. Kirkerus ei idem exhibuit elogium; & ſimiliter de Chriſtianiſſ. Galliæ Rege Phillippo; & ſic de aliis: quod nefas ab omnibus verè ſapientibus reputabitur. Imò, ut veriùs ſinceriùſque loquamur, ſi noſter Antilullifta cum Waddingo, & hic cum illo, B. Raymundi & ſuæ Artis dignitatem noviſſent, abs dubio, omnia elogia eidem exhibita, jure meritiſsimo, debita faterentur.

34 At, quia nonnulli, ad hoc certâ capiendum intelligentiâ, laborem inſumere nolunt, cùm ſic leviùs & expeditiùs, in ſuis currant opinionibus; ideò debent hi cavere, ne Sententiarum Magiſtri ipſos ſententia comprehendat; qui cap. 3. ſuæ Margaritæ prætioſæ ſic ait: „ Ut verum fatear, dico, „ quòd quicumque veritatem alicujus Artis vel Scientiæ, aut „ alicujus difficultatis in illa radicitus videre intendit, debet „ cognoſcere terminos in illa Arte, & differentias proprias, & „ quid dicatur per nomen; ſi enim hoc ignoravetit, radicem „ & veritatem, quam quærit, aut diſputare intendit, nullo „ modo perpendit; ſed arguet ex extraneis & ignotis, & paralogizabit ſe ipſum, & in hac ignorantia ſtabit & quieſcet... „ Ideo vidimus quàm plurimos Sapientes hujus Artis termi„ nos ignorantes, ... arguentes ex extraneis hanc Artem non „ eſſe

„ esse veram ; & sic in fine concludunt , & determinant , & „ ignorant. Hæc Sent. Magister. Unde , quicumque voluerit nosse , an Elogia B. Lullo, & ejus Arti exhibita, sint excessiva , dignetur terminos , proprias Artis differentias , & Authoris Opera intelligere & cognoscere ; nam hac sine cognitione (ût beneplacet Petro Lombardo) contra hanc Artem & Authorem insipienter concludet. Præterquam quòd , Elogia hæc , quæ Rmus Feijoò nequit sufferre , ab Authoribus Lullianam extra Scholam existentibus , qui nihilominùs Artis & Authoris cognitionem habuere ; (ût visum est, & videbitur) majori ex parte promanant.

35 Numero 42. , Librum Theologiæ Naturalis Raymundi de Sabunde , *esse totaliter prohibitum* laudatus Magister proclamat. Cui dicitur , hanc absolutam dicti Libri qualificationem non parva æquivocatione laborare. Talis quidem qualificatio verificaretur ; dummodò Synechdoche Inquisitorum Expurgatorium ingrederetur , ipsique ponere totum pro parte liceret ; Prologumque Libro extrinsecum ipsius partem esse permisso. At , quia dictus ingressus , & positio non licent , cum ibi pars pro parte , & totum pro toto , & non è converso debeat , nec liceat poni ; inspiciatur ideò dictum Inquisitorum Expurgatorium , & fol. 848. in principio sic legetur : *Raymundus de Sabunde. Ejus Prologus in Theologiam naturalem.* Liber totaliter prohibitus , est ille , quem imprimi fecit Comenius hæreticus 1. classis , jam transactis duobus sæculis ab editione dicti Libri Raymundi de Sabunde. Dignetur etiam Rmus Feijoò secundam ipsius Expurgatorii inspicere & capere Regulam , statimque suâ ab æquivocatione liberabitur. Quinetiam , adhuc minùs eruditos non latet , dictum Librum in Hispaniæ Bibliothecis esse frequentem, liberèque omnibus legere volentibus patescere , & offerri ; quod Feijoanæ qualificationis nullitatem evidenter ostendit.

36 Sicque Emin. Cardinalis Joannes Bona circa finem suorum Operum impress. anno 1694. in Litera R. non ignorantèr dixit : *Raymundi de Sabunde Theologia Naturalis valde ingeniosa praxin continens Artis Magnæ Raymundi Lulli. Adrianus Turnebus dicebat , hunc Librum esse quintam Essentiam Divi Thomæ* : de Turnebo autem ait : *fuit Criticus ce-*

le-

lebris & emunctæ naris. Vide pag. 145. à n. 6. & deinceps.

37 Numero 43. loquitur dictus Magister de Præclarissimo Ludovici 14. Medico Aubrio, & de Titulis, quibus B. Raymundum exaltat. Videantur pag. 71. n. 2., & etiam videantur supradicta n. 41., & patebit, an Inclyto Christi Martyri & Doctori cœlitùs Illuminato dicta elogia rationabilitèr, & jure merito exhibeantur.

38 Numero 44. fit sermo de declaratione, quam Lullistæ Approbationem Universitatis Parisiensis vocamus, & benè dicimus, nam ità reverà est. Videatur hæc Approbatio pag. 352.

39 Numero 45. laudatus Magister, quærere de D. Jacob, ejusque notitias desiderare videtur. Cui dicitur, ipsum esse natione Gallum, Librumque ejus Gallico idiomate impressum in 120. sic Latinè intitulari: *Clavicula vel Scientia Raymundi.* Ejus Impressio facta est Parisiis apud Joannem Remy anno 1647. Qualitèr, qui centrum tangit, etiam omnes lineas ab ipso centro ad circumferentiam ductas tangat, infimus scit Geometra, explicaturque pag. 146. num. 9. & infrà.

40 Num. 46. Magnam displicentiam super B. Raymundi Elogium dicens: Tres sunt Sapientes, quos habuit mundus, Adam, Salomon, & Raymundus, laudatus Magister ostendit. Cui dicitur, hac de displicentiâ minimè dubitari, quia dulce pomum, aliis placens, gustui non sano videri solet amarum. Si tamen Rmus Feijoò os ablueret medicinali B. Raymundi Sapientiæ lymphâ cum accuratâ Lullianorum lectione Librorum, prædictum non ità displiceret Elogium; &, si dignaretur fidelissimam Salzingerii inspicere citationem; publicè videret, Christophorum Suarez de Figueroa in principio Fori Universalis publicum illud exponere. Dignetur etiam eruditissimum legere Custurerium S. I. in Diss. 2. cap. 6. pag. 408. §. 46. lin. 1., statimque dictum (exactissimè sicut citatum est) offendet Elogium, evidenterque, Salzingerianas citationes non esse ad aerem intuebitur; & consequenter modestiùs de tanto Viro esse loquendum.

41 Num. 47. non invenit Rmus Feijoò, quomodò sit possibile, Virum adeò sapientem, uti fuit Magister Ludovi-

cus de Leon, *ita craſſum* (ût ſuprà) *protuliſſe diſparatum. Propoſitio enim: Tres Sapientes habuit mundus, Adam, Salomonem, & Raymundum; juxta ipſius ſenſum naturalem & literalem, eſt aliorum omnium excluſiva.* Ita formaliter Rmus Feijoò. Cui, cum bona venia, dicitur, talem propoſitionem, neminem aliorum Sapientum à ſuo gradu excludere; ſed, ſalvis omnium juribus, proverbialiter verificari. Et retorquetur ſic argumentum: ſi dicta propoſitio omnium eſſet aliorum Sapientum excluſiva; magis excluſiva eſſet hæc, quam de SS. Confeſſoribus Pontificibus S. concinit Eccleſia: *Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi.* V. g. in feſto S. Ludovici Epiſcopi, verè de ipſo canitur: *Non eſt inventus ſimilis illi, &c.*; ſed ex hac, nec D. Auguſtini, nec D. Anſelmi, nec aliorum excluſio in conſervatione legis Excelſi infertur: ergo minùs ex illa, omnium aliorum Sapientum excluſionem in ratione ſapientiæ ſimpliciter, inferre licebit.

42 Unde, ſicut mirabilis Deus in omnibus creaturis, ſingulare ſanctitatis ſtatuit diſtinctivum, quo Sanctorum ſingulus à cæteris ſecernatur; ſimiliter in Sapientia, peculiaria condidit inſignia, quibus Sapientum quilibet ab aliis Sapientibus diſtinguatur. Cumque B. Raymundus, ût evidenter milleni ipſius Libri teſtantur, ſingulare inſigne Sapientiæ & Scientiæ univerſalis, infuſę, acquiſitæ, & mediæ ab ambabus procedentis, & utràque perfectioris poſſederit; ideò non eſt inventus ſimilis illi, qui Arte prorsùs ſupernâ omni de ſcibili ſcriberet, rationeque neceſſariâ omnis generis Infidelibus Excelſi legem demonſtraret; & idcircò jure merito in mirabili Sapientum mundi Triumvirato à Sapientibus collocatur. Præterea: dicta propoſitio, prout aſſumpta eſt, & vituperata à Rmo Feijoò, eſt per Lulliſtas modificata, quibus ſufficit ſuum Lullum, B. Martyrem & Doctorem Illuminatum appellare. At, alii Sapientes ſtrictiùs dictam proferunt ſententiam, ût videbitur infrà, à quibus Rmus Feijoò quibit rationem, quarè ſic de B. Raymundo loquantur, inquirere; mihi enim pro nunc ſatis erit rationem ipſi oſtendiſſe, quare aliquo ſinè abſurdo, in dicto Triumvirato collocetur; ipſe enim ſolus ita plenè de omni Arte & Scientia ſcripſit, ut ſingulariter ſufficiat plenam undequaque Literariam ſtabilire Univerſitatem.

Au-

43 Audiatur jam Insignis Doctor Christophorus Suarez de Figueroa, qui in principio Libri, cui titulus, *Forum universale omnium Scientiarum & Artium*, ait:

ARTI ILLUSTRATI DOCT. RAYMUNDI LULLI Encomium.

EO quia in Arte hujus Glorioſi Martyris, ità ſolidum ſupponitur fundamentum, ut cum illâ brevi alta omnium Scientiarum & Artium ſecreta penetrari valeant, ipſam Artem, utì ſumptuoſum, inſigni fabricæ hujus Libri frontiſpicium, volui inſervire. Compoſuit iſte Inſignis Vir in Catalonico, Arabico & Latino idiomate ultrà mille & quingenta volumina. In omnibus eruditionem adeò exquiſitam & profundam, & modum demonſtrandi adeò novum & ſubtilem manifeſtavit, ut curioſiores, & capaciores Literatos in admirationem rapiat.

44 Dum ipſius Operum accurata conſideratio crevit, viſus eſt omnibus Author, in illis excedere gravioribus Authoribus Platonicis, & Peripateticis, Græcis, & Latinis, quì de fundamentis, ſtructurâ, & theoricâ Scientiarum & Artium ſcripſere. Hæc artificioſa methodus præcipuè detegitur in Arte generali, quam compoſuit Inventivam omnis veritatis ſcientificæ, naturalis, moralis, mathematicæ, & Divinæ, per ſua vera & legitima media, unde omnes alios Tractatus deduxit... Habetur maximus Philoſophorum, qui mundo aliquando innotuere... (N.B., hìc non excipi hæreticum Baconem.) Communitèr expedire judicatur, Doctrinam ejus in omnibus Univerſitatibus ſtatui & ſtabiliri; eò quia magis perfecta integra & methodica eſt, Doctrinâ titulo Platonicæ, & Ariſtotelicæ introductâ. In iſta conformitate, præter alios, Doctiſsimus Frater Ludovicus de Leon aſſerebat, tres *tantùm* Sapientes fuiſſe in mundo (addit ſcriptor ad ſcrupulum adimendum: univerſaliter notos cum peculiari omnium Scientiarum & Artium manifeſtato charactere) Adam, Salomonem, Raymundum. Hæc Doctor citatus: B. Raymundum, ejuſque Doctrinam poſteà egregiè vindicans à contrariâ Eimerici, Thomę Garzonis dicti Libri Authoris, & R. P. Joannis de Mariana, Sententiâ.

45 Ad numerum 52. prælaudato dicitur Magiſtro, pro B. Raymundo, & ejus Arte, in hoc Libro, nec Waddingum, nec alios produci Authores, in iis, in quibus ejus minùs informatum fuerint judicium ſecuti. Prout clarè jam viſum eſt, & clariùs videbitur infrà pag. 240.

46 Num. 53. Litigio de generis nobilitate Baudovini Catholici, & Baconis hæretici mulierculis derelicto; dicitur, Fidei Catholicæ nobilitatem, plurimùm quidèm juvare, ut Philoſophicâ de veritate judicetur. Nam, cùm naturalis veritas, ſupernaturalis veritatis ſignum exiſtat, ideo Fidelis Fidei lumine ſignificatum ſupernaturale & Theologicum cognoſcens, ſignum naturale & Philoſophicum meliùs novit, quàm Infidelis Fidei lumine carens. Quod clarè patet in illo, qui Regem vidit, vel veras notitias de eo auditas credit; iſte quidem meliùs & citiùs Regiam novit imaginem, quàm qui numquam vidit, nec quidquam de eo audivit, vel veras notitias ipſo de Rege auditas credere renuit. Idcircò ad Philoſophiæ Scientiam ingrediens *per habitum Fidei*, poteſt breviori tempore eſſe Philoſophus, & magnum habere intellectum, quàm ſinè Fidei habitu ingrediens: ideoque, cæteris paribus, meliùs valet Philoſophus Fidelis Philoſophicis de veritatibus judicare, quàm Infidelis; &, ſi contrarium aſſererem, Fidei injuriam irrogarem, contrà num. 54., in quo benè poteſt Rmus Feijoò, ſi non verbis Lulliſtarum, ſaltèm ipſorum credere rationi.

47 Num. 55. idem Magiſter ſuo pro Bacone conqueritur, quia ſemper à Concertatoribus cum nigra hæretici notâ nominatur. Cui obitèr dicitur, quòd, licèt non ſemper, frequentiùs ſic nominatur, magis ad exprobandam indecentem, quam ipſo de Bacone dignatus eſt facere electionem contra Artem à Deo datam, ut per ipſam & fructus ejus clareſcit, quàm ad ipſius Baconis contemptum, qui non ita eſſet intitulatus, ſi res cum ipſo directè verſaretur.

48 Ad num. 57. dicitur, non eſſe undecim tantùm, ſed cum Galliæ Chriſtianiſſimo Rege, tredecim Catholicos Reges Catholici Doctoris Catholicam Doctrinam defendentes, ùt Clientis & maximi totius Hiſpaniæ, & Chriſtianitatis Ornamenti. Vide Privilegia Regum à pag. 115. uſque ad 138.

49 In num. 58. videtur Rmus Feijoò aliqualitèr æquivocari.

cari. Sententia enim, de qua hìc loquitur, per Rmum Inquisitorem Bernardum Ermengandi Ordinis Prædicatorum data in novem Examinatorum congressu in Lullianæ favorem Doctrinæ; fuit ex dicti Inquisitoris munere & officio lata; alia verò posterior & solemnior sententia, fuit lata ex Commissione & mandato Apostolici Legati Martini V., Alamani S. R. Ecc. Cardinalis, ût videri potest hæc posterior pag. 61.; prior verò pag. 42. §. Primò, & infrà. Quibus benè visis, Rmus Feijoò omnem à se scrupulum repellere quibit; insimùl videns omnia recusationis testimonii capita in sequenti numero 59. recollecta, penitùs infirmata, & nihil ampliùs ad rem efficere posse. Si dignetur etiam in 1. Tomo Operis Lulliani Moguntiæ impresso inspicere de Authoribus 1. classis pag. 51., videbit dubium sui numeri 63. facillimè, & sinè omni contradictione solutum.

50 Num. 64. Laudatus Magister, quin fuerit de unico dumtaxàt Lulliſtarum, nec de controversiæ puncto, scilicèt de terminis, & differentiis propriis & intrinsecis Lullianę Artis prout in se, sufficienter informatus, ut ipsemet fatetur dicens: se nec Lullianam Artem in se, nec Lulliſtas nosse; imò nec velle perdere tempus in Arte legenda, sed sufficere ei extrinsecam Gassendi, & Amort de Arte notitiam. Sic, contra Petri Lombardi sententiam, ût suprà num. 41. §. *At, quia*, extrà quæstionis terminos stabilitus examen & analysin controversiæ dictæ Artis exhibet pro egregiè à se confectis; inde asserens multùm strepitûs, & ferè nihil ampliùs inferri. Quod quidem libentèr conceditur; quia ab examine, & analysi Artis factis sinè intrinseca & certa ipsius Artis, & adhuc nominum Artiſtarum cognitione, quid valet sequi, nisì inanis strepitus?

51 Inde, ad refutandum ducentorum pro Lulliana Arte testimonium, egregium (ût putat) format hujusmodì argumentum: *Ferè omnes Sapientes Seraphicæ Religionîs sunt contrà dictam Artem; imò potest assecurari, Corpus hujus Religionis esse tacitè declaratum contrà illam, saltèm elogia ipsi Arti attributa nec admittere, nec approbare.* Et n. 65. hanc suam confirmat opinionem, ex eo, quòd, *si Lulliana Ars esset ità utilis, ût à Panægyriſtis asseritur; dicta Religio ejus studium introduceret, foveret, & promoveret in suis innumerabilibus Scholis; ità non*

se-

fecit, nec facit: ergo &c. Ità formaliter Rmus Feijoò. Cui regeritur: ergo, ſi Seraphicus Ordo pro Lulliana Arte feciſſet, & faceret, quod in argumento aſſeritur nec feciſſe, nec facere; nedùm argumenti fundamentum evidentèr appareret falſum; verùm omnia, inde emanata ruerent. Conſequentia eſt legitima & infallibilis, quia antecedentis eſt contradictoria, unde, ſi hæc eſt vera, illa neceſſariò eſt falſa.

52 Jam igitur ad rem: Seraphicus Ordo reverà fecit, & facit, quod in argumento negatur: fecit quidem, ût demonſtrant patentes Literæ à Generali totius noſtri Ordinis ipſi B. Raymundo datę, ut in omnibus Provinciis ſuam Artem docere valeret, in quibus Literis ſic dicitur: *Si aliqui Fratres Provinciarum veſtrarum audire dictam Artem fuerint conſolati, dictis Fratribus, & dicto Raymundo de Conventu idoneo opportunitatem provideatis, in quo poſsit Fratribus oſtendere Artem illam.* Vide pag. 300. Fecit quidem, ût patet ex Literis Rmi P. Joannis Marineri Generalis noſtri Ordinis, expeditis die 7. Martii anno 1640. Fecit quidem, ût teſtatur Generalis Conſtitutio Capituli Romæ celebrati anno 1688. Vide pag. 309. Facit etiam, ût patet ex Decreto *pro ſolicitandis Cathedris in omnibus Univerſitatibus* emanato à Capitulo Generali ultimo Valliſoleti anno 1740. celebrato. Facit etiam, ût patet ex variis Literis patentibus, quibus Generales Prælati noſtri temporis, à tempore ſcilicèt Emin. Laurentii à S. Laurentio ſuccetsivè uſque modó dignati ſunt nobis in ſtudio Lulliano promovendo laborantibus favores & honores impendere. Facit etiam, ût patet ex Lulliana Schola in hoc Generali Collegio Salmantino, per me, licèt indignum, moderatâ, ex facultate & diſpoſitione noſtri Rmi P. Joannis Bermejo tunc Generalis totius Ordinis Seraphici, & per tres Prælatos hujus S. Jacobi Provinciæ Provinciales jam cuſtoditâ & obſervatâ: ergo Seraphicus Ordo pro Lulliana Arte fecit, & facit, quod pro ipſa in contrario argumento, nec feciſſe, nec facere aſſeritur; & conſequentèr ejus Corpus pro ipſa Arte expreſsè declaratum eſt. Nec Artis, Beatique Raymundi elogia reſpuit, nec reprobat; quia hæc non ſunt ab ignorantibus, & ſtupidis prolata (quod debuiſſet priùs noſter Waddingus inſpexiſſe) ſed à Viris ſapientiſsimis, & ſin-

ſincerioris judicii, quos ipſe Seraphicus Ordo jure omninò debito magna veneratione proſequitur. Utì eſt Emin. Ciſneros, & alii infrà videndi.

53 Nunc ad omnem tergiverſationis aditum propoſitioni indefinitæ Rmi Feijoò obturandum, ſcilicèt: *Seraphica Religio non ità fecit in ſuis innumeris Scholis*; dicitur: vel *ly innumeris Scholis*, intelligitur de omnibus, vel de aliquibus dumtaxàt Scholis: ſi de omnibus intelligatur, inde ſequitur, Seraphici Doctoris Doctrinam, aliorumque ejuſdem Ordinis Scholiarcharum, eſſe à Seraphico Ordine vilipenſam, & contradictam, quia non eſt introducta, nec fota, nec promota in omnibus ſuis Scholis, quod Rmus Feijoò aſſerere non audebit. Si *ly Scholis*, intelligatur de aliquibus; habetur intentum ex Conſtitutionibus noſtri Ordinis, & Generali Decreto, aliiſque ſupradictis. Conſequentèrque dicti argumenti fundamentum, & omnia ab ipſo emanata ruunt, paritèrque omnia adminicula, & valde exilia fulcimenta; quia Seraphicus Ordo non ſunt aliqui particulares hujus, vel illius Provinciæ, ſive Conventûs; ſed potiùs omnes Provinciæ per ſua Capita in Generali Capitulo inſimul congregatæ.

54 Num. 66. Laudatus inquit Magiſter: *verum eſt in hoc venerabili Seraphicę Religionis corpore aliquot inveniri Lulliſtas. Sunt vero adeò pauci, ut Apologiſtæ, ſive Salzinger pro ipſis, per omnes quærens Nationes, octo tantùm recolligere quiverit, ut ipſos ſuum in catalogum cum nomine & charactere talium introduceret. Sed hi quid ſunt inter tantos? Sicque, cùm S. Franciſci Religio certè ſit ampliſſimum literaturæ & Virtutis mare, verè dici poteſt, quòd Lulliſtæ in ea exiſtentes*

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Hucuſque Rmus Feijoò. Cui dicitur: ſi eſſet operæ pretium numero certare, ſicut ipſe in prima cœpit Epiſtola numero & Authoritate Lullianam Artem impetere, quo ſimilem ſibi exhiberi reſponſionem adegit; cum numero tamen explicito ducentorum ad ſuum numerum implicitum, quem vocat majorem, licèt tali de numero in duabus Epiſtolis decem Authores tantùm eduxerit. Sed quid ſunt hi decem ad ducentos, quorum unus, ût viſum eſt, omnes decem

ĉem incomparabiliter excedit? Si, inquam, numero certare operæ pretium esset; sinè recursu ad omnes Nationes, ex sola S. Franciſci Majoricenſi Provincia, nedùm octo, verùm ultra octuaginta Lulliſtæ adducerentur. Ratio autem hoc probans mathematicè convincet; quia Lulliſtarum nomine & charactere veniunt inſigniti omnes Magiſtri, & Diſcipuli Lullianæ Doctrinæ; his enim tale nomen & character jure debetur.

55 Jam igitur ad rem: Lulliana Doctrina à multis sæculis in Franciſcanis Provinciis Catalonicâ, & Majoricenſi florebat: in Catalonica, ût conſtat ex Epiſtola Petri Aragoniæ Regis ad Summum Pontificem 7. Januarii anni 1377. ſcriptâ, in qua idem Rex ſic ait: *In Catalonia ſunt plures Clerici & Religioſi, qui in dicto Opere* (Lulliano) *libentèr ſtudent: cùm plurima in eo addiſcant utilia valde, &c.* Vide pag. 474. Quòd dicti Religioſi eſſent præcipuè ex Franciſcanis, controverſia de Deiparæ Conceptione demonſtrat; nam hi cum Il. Doctore Immaculatam ejuſdem Deiparæ Conceptionem ſtrenuè propugnabant: unde motus fuit Inquiſitor Eimericus, ut contra ipſos Lulliſtas, & Lullianam Doctrinam procederet. Vide pag. 434. In Majoricenſi S. Franciſci Provincia anno 1444. etiam dicta Doctrina verſabatur, ût deducitur ex Vincentio Mut in Hiſtor. Majoricenſi, ubi inter Inſignes Lullianæ Doctrinæ Magiſtros Cataneum enumerat, qui ſecundùm Eruditiſsimi Cuſturerii S. I. opinionem Diſſ. 2. Cap. 7. pag. 470., & clariùs, ût ipſius Catanei ſcripta demonſtrant, fuit Ven. P. Bartholomæus Cataneus Franſciſcanus, cujus corpus in Conventu à Jeſu per ipſum dicto in anno fundato, hodie integrum aſſervatur. Patet etiam, dictam Doctrinam in Majoricenſi S. Franciſci Provincia florere ex Epiſtola Generalis Marineri, anno 1642., & ex Conſtitutione Generali, ût ſuprà, anni 1688., in qua ſic dicitur: *Pro Provincia Majoricæ in qua Doctrina B. Raymundi Lullii maximè ad hæc uſque tempora floruit, conſultò ſancimus, quòd tertius cujuslibet Studii Theologici Lector, Lectiones juxta ipſius Doctoris Illuminati mentem, ſemper legat, & publicas Concluſiones quolibet anno diſputandas proponat. &c.* In Lulliana etiam Univerſitate Franciſcani ſemper ſolent, tum Philoſophiæ, tum Theologiæ Cathedras Lullianas Magiſtraliter moderari.

Præ-

56 Prædictis omnibus, in gratiam Rmi Feijoò, extra Franciſcanorum Lulliſtarum numerum, conſtitutis; dignabitur ipſemet faciliorem eruere computum ab anno 1688. dictæ Generalis Conſtitutionis, indubiè tenens, quòd omnes Religioſi ipſius Provinciæ Majoricenſis ſtudio Theologico vacantes in omnibus ſtudiis quotidianam à Lectore Lullianę Doctrinæ lectionem indiſpenſabilitèr excipiunt. Numeret igitur Rmus Feijoò omnes Magiſtros ſive Lectores, & Diſcipulos Lullianæ Doctrinæ, quotquot ab anno 1688. uſque hodiè in illa Franciſcana Provincia extitere, & illud cero ex numero 19. ſuæ 2. Epiſt. repulſum, ad quod ducentorum numerum redigere conabatur, nunc ad numerum 80. ſuperaddere cogetur; ſicque in ſola Majoricenſi S. Franciſci Provincia, ultrà octigentos Lulliſtas certiſsimè computabit.

57 At, quia Rmus Feijoò in utraque Epiſtola, cum majoritate numeri Antilulliſtarum, & minoritate Lulliſtarum, egregiè ſua improbat ſcripta in Tomo 1. Theatri Critici pag. 3. n. 4., ubi ſic ait: *Tam longè abſum à cogitare, majorem numerum debere aſſenſum captare, quòd potius cogito, deberi viam contrariam capi; quia rerum natura trahit, quòd in mundo error multò majorem occupet regionem, quàm veritas*; ideo nec majoritatem, nec minoritatem, ſed numeri veritatem amplector. Et, nè nimiùm in nugis videar immorari, quod dico de majoritate numeri Antilulliſtarum pag. 101., hoc idem nunc de numeri Lulliſtarum minoritate affirmo, nihil ſcilicèt ad noſtram rem, hoc eſt, ad utilitatem, vel inutilitatem Lullianæ Artis efficere.

58 Cùm etiam ordinatus non ſit affectus unum ampliare ad aliud coarctandum; dico, in hoc ampliſsimum Seraphicę Religionis mare, multa quidem magnæ literaturæ & virtutis flumina introire, inter quæ B. Raymundus Lullius magnum nomen, numen & omen habet. Regeret tamen Rmus Feijoò: hoc quidem dicunt Lulliſtæ cæca pro ſuo Lullo paſsione agitati, cùm Franciſcani oceani gutta dumtaxàt exiſtat. Ut autem clarè videat, qualis, & quanta hujuſmodi gutta reputetur, non Lulliſtam dignetur audire, in quo nec leviſsimam pro Lullo paſsionem excogitare valebit, R. ſcilicèt Patrem Thomam Campanella Ordinis Prędicatorum, qui flumina fluminibus, & undis undas utriuſque maris contraponens in Apologet. Cotroverſia de Conceptione ait: *Sunt alii Scotiſtæ inferioris nominis, quibus ſuperaſtat Dominicus Soto, & Bannes, & Medina, & alii longè præſtantiores totius orbis conſenſu, Melchior Canus,*

¶¶¶¶¶¶¶ &

& Ambroſius Catharinus, ex Dominicanis adeò excellunt, ut vix nomen Antigoniſtæ ipſorum habeant ullum, excepto Magno Raymundo Lullio. Sic Campanella loco citato.

59 Certè, ſi noſter Waddingus hoc audiſſet tintinabulum, ambæ aures ejus tinniiſſent ſonitum audiens inſperatum non Lulliſtæ Lulli magnitudinem & eminentiam Franciſcano in oceano, tanta adhuc in tempeſtate, videntis, intelligentis & confitentis, quam ipſe ſatis diſcernere tranquilla in ſtatione nequivit. Ideoque, quid mirum, quod Lullianorum excellentiam membrorum non viderit Artis in gurgite vaſto p. 241. n. 2. in fine, qui in ipſo videre non potuit ſupereminentiam Capitis? En igitur Seraphici Oceani Lulliana gutta, cujus longitudinem, latitudinem & profunditatem, etiam non Lulliſtæ reverentur, quia ipſis Raymundus verè apparet Sublimis Doctor & Profundus, cujus Superna Ars mare eſt omnium Artium & Scientiarum omnes per dimenſiones reverà magnũ, cùm omnia, quę ſunt de genere ſcibilis comprehendat, út evidentèr milleni ipſius Libri demõſtrant. Ideoque de raris Lulliſt. ipſa in Arte verſantibus prędictũ carmẽ ſic debet verificari:

Excellunt Lulli nantes in gurgite vaſto.

60 Cætera, de quibus Rmus Feijoò ſparsìm in eadem 2. Epiſt., aliquam, non ſinè ſagacitate, videtur prævenire, & prætextare querelam; de ira videlicèt, indignatione, aere inſultanti, victoriæ fictione, &, ſi forſan hujus farinæ ſint alia, à meliùs videntibus reperibilia; non eſt meum judicare. Impartiales, quantùm eſt ex me, meliùs diſcernent, quo in prato hujuſmodì flores magis apparere videantur. Mihi enim ſatis erit, modeſtâ pro poſſe, efficaci tamen ratione, & vera Authoritate, his, quæ contra Lullianam Artem; utcumque objiciuntur, ſatisfactionem exhibere. Idcircò, quæ ſubſequentibus in numeris opponuntur, eò quòd majori non gaudeant pondere & efficaciâ, prætermitto, & libentiùs ad probationem, quã Rmus Feijoò putat & aſſeverat efficaciſsimã, pertranſeo.

61 Numero itaque 71. laudatus Magiſter effatur in hunc modum: „ At, præter hoc, (quod dictum eſt ſuprà) adhuc habeo con„ tra Artem probationem efficaciſsimam, cujus vis ſubſiſtet, licèt „ Artis principia totalitèr ignorarem; quod eſt videre quàm parũ, „ vel nihil ſervierit ſtudentibus in ea. Quodam ſimili me juvabo. „ Supponamus, me totalitèr ignorare, quam methodum ſequatur, „ & in quibus principiis explicetur Ars Chryſopœię, vel tranſmu„ tationis metallorum in aurum. Aſt, ſupponamus etiam in eodem

„ tem-

„ tempore, me certitudinem habere de eo,quod nullus Profeſſo-
„ rum Chryſopœiæ factus fuit dives per iſtud medium. Quis non
„ dicet,hanc cognitionem,non obſtanti illâ ignorantiâ, dare mihi
„ unum argumentũ, vel motivum efficaciſsimum ad tractandũ de
„ inutili & vanâ Artem tranſmutatoriam?Hucuſque RmusFeijoò.

62 Enque ejus efficaciſsimam inutilitatis Lullianæ Artis probationem.Cui,cum bonâ veniâ,ad proximè factam interrogationem, ego reſpondeo, dictam cognitionem,neutiquàm ſufficere ad inferèndam Chryſopœiæ inutilitatem ; & ratio in conſpectu eſt,quia ſcilicèt finis,ad quem Chryſopœia ſubordinatur,non ſunt divitiæ auri,& argenti;ſicque nequaquàm valet conſequentia:eſt Chryſopœiſta:ergo dives:non eſt dives:ergo non eſt Chryſopœiſta.Verus enim Philoſophus aurum & argentum affectu & effectu contemnens pauperior eſſe valet;ſicut Crates fecit Philoſophus,& alii,qui divitias contempſerunt.Quis enim credet,niſi avarus,B.Albertum Magnum Chryſopœiam didiciſſe, ut fieret dives? & B. Raymundum qui ſuas diſperſit divitias & dedit pauperibus, ipsâ Arte uſum fuiſſe , ut ditaretur?

63 Nunc ad ſuppoſiti rem: dato itaque, & minimè conceſſo, quia veritati opponitur,ût probatum eſt , quod ex dicti ſuppoſiti certitudine,videlicèt,ſi Rmus Feijoò certò ſciret, neminem,Chryſopœia mediante , divitem eſſe factum ; efficaciſsimè dictæ Artis inutilitatem inferret; quis quæſo eſſet ita incautus ac ſtupidus, ût ſuppoſitum tale concederet?Nullus quidem intellectûs lumine dives concedet, Rmum Feijoò certò ſcire,neminem factum eſſe divitem mediante Arte metallorum tranſmutativâ;niſi, ſe hanc certam habere notitiam ex Divina revelatione , vel per ſcientiam, qua certò ſciat omnia , quæ ſub ſole fiunt , demonſtret.

64 Unde magnum quidem verſatur diſcrimen inter ſcire , neminem factum eſſe divitem mediante Chryſopœiâ, & inter neſcire, aliquem illa mediante divitem eſſe factum: hoc enim *neſcire* eſt facillimum, & adhuc à nihil ſcientibus valet communitèr poſsideri;illud autem *ſcire* (ſi eſſet poſsibile) ſolius Dei proprium eſſet, & illorum,quibus ipſe voluiſſet, & vellet revelare.Ideoque, ſi aliquis,ex eo, quòd non ſciat aliquem factum eſſe doctum Lulliana Arte mediante; ſe ſcire, neminem factum eſſe doctum illa mediante,inferret; iſte ſuam ſcientiam vellet, Divinæ æquiparare Scientiç,de qua unicè valet verificari , ſcire neminem vel nullum in aliqua Arte doctum evaſiſſe,ex eo,quod aliquem vel unum non

ſciat,

ſciat, qui in illa doctus evaſerit. Bene quidē, ſi aliquis certò ſciret, impoſsibilem eſſe Chryſopœiam, etiā certò ſciret neminē eſſe factū, nec poſſe fieri divitē illa mediante; ſimilitèr eſſet de Arte Lulliana, ſi eſſet impoſsibilis; quia, ſcitâ cauſę impoſsibilitate, etiā effectûs impoſsibilitas ſcitur. Cùm autē in dicta probatione utraque Ars ſupponatur; ideò probanti negatur, ſe ſcire, neminē factum eſſe divitem mediante Chryſopœia; & paritèr, ſe ſcire, neminem factum eſſe doctum mediante Lulliana Arte, negatur; licèt hac mediante aliquem doctum, & illa mediante aliquem divitem factum eſſe non ſciat; quia ex ſola non ſcientia Dei infertur non exiſtentia rei; non verò ex non ſcientia creaturæ: cùm ſolus Deus (ſic loquendo poſſet dicere: id non ſcio: ergo non eſt.

65 Unde vereor, quid Summuliſtæ de Feijoanæ probationis efficacia ſint dicturi; &, ſi talis indolis eſt probatio efficaciſsima, qualis erunt aliæ probationes non adeò efficaces? Fateor quidem coram Deo, Lullianam Artem cum ſolis hujuſmodi armis poſſe impugnari, quod experimentalitèr didici ipsâ ex adverſitate; veritas enim non eſt contraria veritati; ſicque Ars Lulliana veris non conquaſſabitur armis. Cùmque, demonſtratâ probationis omniū fortiſsimæ & efficaciſsimę nullitate, ſupervacaneum eſſet in aliarum nullitate convincendâ inutilitèr immorari; debellatâ enim Metropoli, ſuburbia & pagi tradi coguntur; idcircò dignetur Rms Antilulliſta hoc unum de Lullianę Artis utilitate benignè & rationabilitèr recipere ſpecimen (quod n. 75. deſiderare videtur) utì non ex ſola paſsione, ſed ſimùl ex verâ ratione oblatum; in quo ſolo, facillimum videns infimo Lulliſtarum, quod aliis Sapientibus impoſsibile videbatur, ſolutio nempe prædictis objectionibus exhibita; poterit quidē de maximâ Lullianę Artis utilitate, & neceſsitate manere certificatus.

66 Et, ſi majus ſpecimen de dicta utilitate requirat; ſui ſit beneplaciti hunc liberis & tranquillis oculis perluſtrare libellum, attentè legere, & mente capere ipſum; ſi autem maximum adhuc deſideret, majores exſerat vires, fortioraque arma opponat, ut rationali mediante conflictu, & Religioſâ animorum concordiâ veritatis honorem honoti proprio præferentium, prout juſtitia poſtulat; in vera pace quieſcamus: Supremâ præſtante Veritate, & B. Raymundo opem præbente, cui etiam Rmus Feijoò tamquam ſupernâ Gloriâ jam Beato, poſt oppoſitam tempeſtatem, mirabili quodam modo in fine ſuę 2. Epiſtolę ſe recommendat.

Omnia à me ſcripta, & ſcribenda indefectibili S.R.Eccl. correctioni, verorumque Sapientum judicio humilitèr ſubjicio. LIBER

LIBER

APOLOGETICUS ARTIS MAGNÆ

B. RAYMUNDI LULLII

DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS

Scriptus intùs, & foris, & ejus

DIVISIO.

LIBER iſte, Artis ſemitas inſequendo, in duas Partes dividitur, quarum prima tractat de contraria opinione Rmi. P. M. Feijoò, & quorumcumque Antilulliſtarum. Et in quatuor Diſtinctiones dividitur. Prima Diſtinctio de primis contrariis aſſertionibus tractat, & in tria dividitur Capita. Caput primum eſt de primo & ſecundo numero contrarię aſſertionis. Pag. 3. Cap. 2. De proprietatibus Artis Lullianæ. P. 4. Cap. 3. De reſponſione ad contrariam aſſertionem primi Capitis. P. 23.

Diſtinctio 2. tractat. de contrariis aſſertionibus numeri 3. Feijoannæ Epiſtolæ, & dividitur in 6. Capita. Cap. 1. de Sanctitate B. Raymundi, ubi etiam ponitur totum Inſtrumentum Sententiæ Diffinitivæ pro ipſo. P. 27. Cap. 2. de aliis Teſtimoniis. p. 66. Ca. 3. de Doctrina B. Raymundi. p. 71. Cap. 4. de illuminatione ejuſdem. p. 73. Cap. 5. de cognitione practica Chryſopœiæ B. Raymundi. p. 77. Cap. 6. de majoritate numeri & qualitatis appretiantium Artem Lullianam & ejus Authorem. P. 100.

Diſtinctio 3. tractat de contrariis aſſertionibus numeri 4. prædictæ Epiſtolæ, & dividitur in 8. Capita. Cap. 1. Quòd Ars Lulliana eſt pluſquàm nova Logicę Species. p. 140. Cap. 2. Quòd hæc Ars præſtat omnem Scientiam. p. 143. Cap. 3. Quòd Ars Lulliana dat omnem notitiam pertinentem

ad omnia objecta omnium Scientiarum, & diffusè exemplificatur per decem Regulas ipsius Artis. p. 154. Cap. 4. Quòd hæc Ars deservit ad faciendum serium ludum Attributorum ad omnia & singula valde utilem. p. 240. Cap. 5. Quòd hæc Ars continet integram Metaphysicam. p. 263. Ca. 6. Quòd excedit Logicam & Metaphysicam Aristotelis. p. 272 Cap. 7. Quòd, nedùm Majoricæ, verùm & alibi publicam obtinuit Lectionem. p. 288. Cap. 8. Quòd hæc Ars debet honorem publicæ Scholæ non pasioni, sed rationi Majoricensium. P. 302.

Distinctio 4.: tractat de reliquis punctis Lullianæ Arti contrariis, & dividitur in quinque Capita. Cap. 1. Quòd magnus Criticus Baco defecit in judicio, quod protulit contra Lullianam Artem. P. 317. Cap. 2. Quòd R. P. Rapinus, in judicio, quod protulit contra eamdem Artem, magis, quàm Baco defecit. P. 322. Cap. 3. Quòd R. P. M. Benedictus Feijoò consilium bonum non dedit. p. 355. In hoc Cap. inseritur justa defensio veritatis contra inimicum anonymum, in qua ponuntur objectiones & solutiones earum valde utiles in materiis Philosophicis & Theologicis. Cap. 4. De discussione Feijoana super eruditam Epistolam, & responsione ejusdem discussionis discussivâ. p. 398. Cap. 5. & ultimum De his quæ circa Examen Cultûs B. Raymundi adducuntur ab Eminentissimo Cardinali Lambertino, & satisfactione iisdem exhibita. p. 462.

LI-

LIBRI APOLOGETICI
PRIMA PARS.

DISTINCTIO I.
DE PRIMIS CONTRARIIS ASSERTIONIBUS Epiſtolæ Feijoanæ.

CAPUT I.
DE PRIMO ET SECUNDO NUMERO ejuſdem Epiſtolæ.

PROPONITUR primò Sententia Rmi. P. M. Benedicti Hieronymi Feijoò circa Rem Lullianam Tom. 1. Epiſtolarum Eruditarum Epiſt. 22. pag. 205., quæ dividitur in ſeptem paragraphos ſuis numeris diſtinctos, prout jacent in ipſa Epiſtola in lingua vulgari hiſpanica in latinam fideliter traducta, ût per ſe patebit, ut nota ſit toti Orbi Literario, cui hic Liber, ſicut Ars Magna debet eſſe univerſalis. Sit ergo

NUMERUS 1.

SOBRE la noticia, que ha tenido (N.) de que Raymundo Lulio compuſo una, que llama *Arte Magna*, en la qual da reglas, para que ſin mas diligencias, que el eſtudio, y uſo de ellas, ſe haga un hombre docto en todas Ciencias, me pregunta, ſi eſto es poſsible por medio de dicho Arte, ſiendo ſu animo, en caſo de hallar mi dictamen favorable buſcar, y eſtudiar aquel libro de Lulio. Latinè ſic ſonat: ſuper notitiam, quam habuit (N.) de eo, quòd Raymundus Lullius compoſuit quamdam Artem, quam vocat Magnam, in qua dat regulas, ut ſinè aliis

diligentiis, ſolo ſtudio & uſu illarum, fiat aliquis Vir doctus in omnibus Scientiis; interrogat me, an hoc ſit poſsibile mediante dicta Arte? Cum ſit animi, caſu quo inveniat favorabile meum Dictamen, quærere illum Librum Lullii, & in ipſo ſtudere.

NUMERUS II.

DE la Arte Magna de Lulio ſin perplexidad alguna pronunció, que es enteramente vana, y de ninguna conducencia para el fin, que ſu Author propone. Latinè: De Arte Magna Lullii ſinè aliqua perplexitate profero (abſit temeritas ſententiæ) ipſam eſſe penitùs vanam, & nullius conducentiæ ad finem ab ipſius Authore propoſitum.

Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Iſrael? volo dicere: Virgo virginum præclara, ideſt Ars Artium omnium univerſaliſsima, ût infra demonſtrabitur, & ideo eſt virgo incorruptibilis, quia univerſaliſsima.

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS ARTIS LULLIANÆ.

1 NOtentur in anteceſſu tredecim proprietates hujus Artis aſsignatæ à B. Authore, & practicatæ in omnibus ſuis Libris. Sic enim incipit in Capite 1. Revelationis Secretorum Artis De proprietatibus & Dignitatibus ejus in genere fol. 6. 1. Tomi: *Multæ ſunt proprietates & Dignitates meæ Artis & Scientiæ, quas omnes longum eſſet enarrare, ſed neceſſarium, utile & delectabile erit vobis ſcire tredecim ſequentes, quarum*

2 PRIMA eſt, *quòd ſit Univerſaliſsima; nulla enim Scientia aliquid tractat, niſi per hanc Artem, aut per terminos hujus Artis, aut reducibiles ad eos, aut reſolubiles per eos.* Doctor Il. in Introduc. Artis Dem. cap. 33. n. 4. fol. 29. *Nam principia Figurarum ob eorum maximam univerſalitatem ſunt valde ſufficientia ad reſpondendum infinitis quæſtionibus.* Idem in Lib. Prop. Art. Dem. Diſ. 4. p. 2. de Quæſt. f. 41. *hoc autem fieri oportet ut infinitas implicitorum ſub finitate explicitorum comprehendatur, exiſtentibus terminis*

nis infinitis implicitis in terminis finitis explicitis, & infinitis diffinitionibus implicitis in finitis diffinitionibus explicitis; & ſic de conditionibus, regulis & quæſtionibus, ad hoc, ut Ars ſit univerſalior ſeu generalior apta infinita implicita ſucceſsivè in ſuis explicitis explicare: Doctor. Il. in Art. Invent. Diſ.4. f. 157. *Igitur omnis ratio, quę fit, aut fieri poteſt, imò omne, quod fit, aut fieri poteſt*, Nota bene, *quod eſt, aut eſſe poteſt, in iſta Arte tamquàm in ſpeculo relucet, in quo omnes ſcientiæ apparent*. Id. in Introduc. Art. Dem. c. 34. n. 1. f. 29.

3 *Eſt etiam univerſaliſsima*, quia eſt univerſalior, quàm Metaphyſica, & Logica; nam quamvis *iſta Ars & Logica & Metaphyſica quodammodo circa idem verſentur, quia circa omnia eſt earum intentio, verumtamen in duobus differt ab aliis, videlicet in modo conſiderandi ſuum ſubjectum, & in modo principiorum; Metaphyſica enim conſiderat res, quæ ſunt extra Animam, prout conveniunt in ratione entis; Logica autem conſiderat res ſecundum eſſe, quod habent in Anima; tractat enim de quibuſdam intentionibus, quæ conſequuntur eſſe rerum intelligibilium, ut puta de genere, ſpecie, & de talibus, & de iis, quæ conſiſtunt in actu rationis, ut puta ſyllogiſmo, conſequentia & talibus; ſed hæc Ars tamquam ſumma & ſuprema omnium ſcientiarum humanarum indifferenter reſpicit ens ſecundùm iſtum modum & ſecundùm illum. Differt etiam ex parte principiorum, quia Metaphyſica principia ponit, format & invenit, ut ſtatim ea applicet actualiter ad probandas paſsiones aut proprietates de ſubjecto; Logica verò regulas & conſiderationes omnes ponit, ex quibus ſyllogizari poſsit; iſta autem ſcientia nulla principia actualiter exprimit, per ſe loquendo, ex quibus arguatur, ſed ſolùm docet viam inveniendi communia principia in quacumque ſcientia, cognitis terminis illius ſcientiæ, cujus vult principia invenire; & aliquâ notitiâ habitâ illius ponit aliquos terminos principiorum, quibus poſſunt infinitæ propoſitiones formari, quemadmodum infinita verba formantur ex pauciſsimis literis Alphabeti &c.: Si tamen demonſtrans per iſtam Artem utatur propoſitionibus ab aliquo formatis, eſt per accidens, quia demonſtrans per iſtam Artem non ſolùm debet uti iſtis principiis, ſed formare & invenire principia, & non ſolùm communia principia, ſed etiam particularia*: Doctor. Il. in Introduc.

duc. ad Art. Dem. cap. 1. n. 2.

4 Et non ſolùm principia particularia, ſed etiam quævis particularia ex principiis particularibus aliarum Scientiarum principiata; *ratio autem hujus eſt, quia hæc Ars ſuper cæteras Scientias eſt univerſalis, ratione cujus univerſalitatis particularia aliarum Scientiarum per viam rationis ad eam ſunt reducibilia; idcircò, cùm hæc ſit omnibus generalior, huic omnes ſubeſſe debent, ut, dum fit ex particularibus earum judicium, deputentur & cognoſcantur earum conditiones, quas habent per ſe, ſecundùm conditiones, quas habent in ſuis univerſalibus principiis.* Doct. Illum. in Compend. Art. Dem. fol. 88. *Et licèt hęc Scientia intendat de iſtis univerſalibus tamquàm de primis cauſalibus & eſſentialibus principiis; verumtamen principaliter intendit de univerſali actualiter cauſato ſeu conſtituto de ipſis primis & ſimplicibus principiis, quod eſt medium hujus finis, ſcilicèt concludendi quodvis particulare ſub illo contentum: iſtud autem univerſale eſt compoſitum; & quantò magis eſt compoſitum ſeu mixtum, tantò plura particularia ſub ſe continet; quia quantò magis eſt compoſitum ſeu mixtum, ex tantò pluribus ſimplicibus principiis conſtat.* Doct. Il. in Comp. Art. Dem. Diſt. 3. de Quæſt. f. 147., & hoc eſt maximum ſecretum.

1 SECUNDA eſt; quòd ſit *Certiſſima & maximè infallibilis*: ratio hujus eſt, quia *principia hujus Artis in majori parte per ſe nota ſunt*, imò *notiſſima*, ſcilicèt ab experimento ſenſuali & intellectuali, quorum primum tangit infimum gradum, infra quem non patet deſcenſus; ſecundum autem tangit ſupremum, ſupra quem non datur aſcenſus; ſunt enim principia hujus Artis de primitivis, ſupremis, eſſentialibus, ſubſtantialibus & realibus veritatibus: *illa verò, quæ fortè per ſe non ſunt manifeſta, ſunt per T* (per figuram quæ vocatur T) *demonſtrabilia, perquirendo particulare in univerſali illius principii, quod indiget probatione: quare, ſi quis neget principia per ſe nota hujus Artis, non eſt cum eo conferendum; ſi verò neget ea, quæ per ſe nota non ſunt, probentur ei modo probandi hujus Artis.* Id. in Comm. Art. Dem. Diſt. 2. p. 2. reg. 26. fol.

fol. 85. &c. De cæteris proprietatibus uſque ad ultimam non apponetur niſi nomen & aliqua ratio, nam earum explicatio valde diffuſa relinquitur ſuo loco videnda, ſcilicet in Tom. 1. à f. 6. uſque ad 16.

2 TERTIA eſt, quòd ſit *Subtiliſſima*, quia agit de punctis tranſcendentibus, inter quos ſupremi ſunt *Fides ſupernaturalis & Ratio ſupernaturalis*, quorum punctorum ignorantia Philoſophis antiquis fuit occaſio in multis errandi.

3 QUARTA eſt, quòd ſit *Altiſſima* ſimul & *Profundiſſima*; *nam iſta Ars ratione ſuæ univerſalitatis, ſuper cæteras Artes & Scientias ad altiſſima puncta pervenire docet, quæ per cæteras Scientias particulares ſive Artes attingi non poſſunt.* Dr. Il. in Lib. Comp. ſuper Art. Dem. Diſt. 2. de Reg. 21. *De conditionibus ergo hujus Artis eſt, quòd Artiſta ſuum E* (hoc eſt actum compoſitum ex triplici actu memorię recolentis, intellectûs intelligentis, & voluntatis diligentis bonum verum & durabile) *altius quo poterit, extollat, eo modo ſicut exigit altitudo hujus Artis ratione cujus altitudinis eſt ſuper cæteras ſcientias univerſalis; quod ſi non, non poterit utique recipere influentiam hujus Artis*: ibid... *& quia humanus intellectus duobus modis intelligit; primus modus eſt cũ ſenſu & imaginatione & cum ſua propria natura; ſecundus eſt quãdo intelligit cum divinis Rationibus & cũ ſua natura*, Dr. Il. in Lib. Sermonum contra errores Averr. in prol. & habeam per meam Artem non ſolũ demonſtrare res naturales, ſed etiam res ſupernaturales, ût ſunt Articuli Sanctę Fidei Catholicæ, quod videre poteris in diverſis meis libris, ſingulariter in Lib. Gentilis & trium Sap., in Lib. Mirand. Demonſtrat., in Lib. de Arte Fidei, ad hoc, ut errantes reducantur, & infideles adducantur ad veram Fidem, *quæ ſublimis eſt ſecundùm modum intelligendi cum altiſſimis divinis Attributis*, ibid. ideo Deus mihi dedit altiſsimam Artem, quæ contineret in ſe *ambas ſpecies* intelligendi; & hæc eſt *Ars Compendioſa inveniendi veritatem, quæ eſt Ars, perquam ſic aſcendit intellectus ad intelligendum, ſicut vox ad cantandum per Artem Muſicę*. Dr. Il. in Lib. Eva. 4. c. *Et in terra Pax.*

4 20. *Eſt Profundiſſima* ratione humilitatis, ſinè qua nemo umquam ſecreta hujus divinæ Scientiæ & Artis aſſequetur: unde ſcito Fili, quòd hæc Scientia ſit propriè Scientia parvulorum; nam ſicut parvuli totam Scientiam

tiam ſuam claudunt 24. literis Alphabeti, ſic tota mea Scientia & Ars 24. literis alphabeti comprehenditur; quas nisi te humilies addiſcere, etiam ſi viginti vel triginta annis Philoſophiæ vel Theologiæ Doctor fuiſſes, numquam ſecreta meæ Artis intelliges. Fili, dum eram in hac mortali vita, *fui contemptus, vilipenſus, pro ſtulto habitus* Arb. Scient. in prol. Lib. Deſol. n. 7. 16. & 47. Lib. Phant. propter meam Artem, & amore humilitatis ac conſervandæ & propagandę Artis, libenter omnia pertuli: unde & vos, ſi eſtis veri amatores veritatis, ſi mei Diſcipuli eſſe deſideratis, non debetis derelinquere donum Scientiæ, ut evitetis nomen ſtultitiæ: tu ſcis, quòd ſecundùm meam Artem in omni creatura neceſsariò ſunt oppoſita, & quòd ſecundùm Philoſophiam ſecretam intus & extra opponuntur, ſic Sapientia & ſtultitia; & quia melius eſt intus quàm extra, melius eſt intus eſſe ſapientem & extra apparere ſtultum, quàm intus eſſe ſtultum & extra apparere ſapientem: igitur, qui mecum cupit penetrare profunda Sapientiæ Dei, *quæ Deus nobis revelavit per Spiritum ſuum (Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei)* 1. ad Cor. 2. v. 10., *Stultus fiat, ut ſit ſapiens*, ibid. c. 3. 5 Diſcipulus Ivo Salzinger: Pater, videtur mihi quòd profunda Scientia & profunda Humilitas non poſsint ſimul ſtare; nam quia *Scientia inflat* 1. Cor. 8. v. 1., quantò profundiùs penetrabo per Scientiam, tantò magis ero inflatus per ſuperbiam; hinc bonum conſilium puto, quod dedit Fides Intellectui in Lib. Diſp. Fidei & Intellectûs, quæm feciſti, ſcilicèt, *ut tranſeat, ſicut tranſivit diù in tempore pręterito*, & potius humiliter credat quàm altum ſapiat; præſertim cùm *Philoſophi antiqui non habuerint notitiam de tua Arte, per quod monſtratur quòd non ſit multùm proficua, quia ſi fuiſſet vera, jam fuiſſet inventa per illos in principio; & hoc ideo, quia illorum intellectus fuit magis exaltatus, quàm tuus*: Il. Dr. in Lib. Deſol. n. 36. ex quo quis inferre poſſet, quòd *nimiùm te implicaveris ſcientiis uſque ad curioſitatem, & illas velut Dominas ac Magiſtras ingredi feceris &c. & quod fueris tui proprii capitis, ac volueris calcare ſemitas nullis adhuc veſtigiis preſſas, non communicando ſatis cum Doctoribus tui temporis in opinione & concordia*; R. P. Cauſinus in Cur. S. To. 4. ſect. 14. f. 137. quæ dicta non congruunt humilitati.

Magiſ-

6 Magiſter: paucis ad ſingula tibi reſpondebo: Fili, ſcias quòd ſcientia non inflat per ſe, ſed per accidens; corpora inflata turgent vento, & ideo videntur plena, ſed ſunt vacua; ſic ſemper diſcentes, & numquam ad veram ſcientiam pervenientes, exteriùs turgent falſæ & fucatæ ſcientiæ tumore, interiùs autem ſunt velut æs ſonans aut cymbalum tinniens; *elati enim ſunt inflatique vento memorativo, nam continuitas eorum conſuetudinis eſt altera natura &c.*; *hi verò non ſcientiam veri in reali re dant.* Rig. in lib. 7. ſigil. ſig. 5. Fili, quantò plùs pertinges ad profunda meæ ſcientiæ, tantò plures veritates infallibiliter cognoſces de Deo & Creatura: ergo tantò clariùs cognoſces magnitudinem Dei & tuam parvitatem in omnibus, quæ in te ſunt; ergo hæc ſcientia erit ratio tuæ voluntati ad te magis humiliandum, & non ad ſuperbiendum: unde noveris quòd mei Diſcipuli inter alia bona, quæ ex mea ſcientia lucrantur, habeant quòd ſemper gaudeant, quòd mundum contemnant & omnem vanam gloriam, & quòd ament humilitatem & Deum: audi quid dixerit Monachus juvenis meus Diſcipulus ad ſuum Abbatem: (motivum reſponſi fuit, quia Procurator ſeu Crumenarius ſuadebat ne juvenes ſtuderent huic Arti, quia ſtatim vellent ſenibus dominari) *Domine tam magnum eſt placitum quod mihi venit de ſcientia quam addiſco, per quam Philoſophia mihi eſt cauſa habendi cognitionem Dei, & tam felicem me æſtimo quòd ſim in Religione & fugerim è mundo, quòd diu noctuque ſum in gaudio & placito; & maximè cùm mea ſcientia me faciat tantùm contemnere mundum & vanam gloriam, & me faciat amare humilitatem & Deum.* Doct. II. in lib. Evaſt. 2. de Relig. c. de vana glor.

7 Si legiſti conſilium, quod Fides dedit intellectui, etiam legeris quomodo intellectus ploraverit, & etiam nunc ploret, *quòd Dominus Deus noſter per paucos homines ſit cognitus & dilectus, & per multos ignoratus, & quòd illi à pluribus derogetur*: loc. cit. quis obſecro, Fili, non plangat, ſi quotidie videt tot libros in lucem prodire contra ſanctam noſtram Fidem Catholicam ſcriptos, quibus oves errantes per rationes apparen-

tes & à Scripturâ malè errori ſuo accomodatâ petitas Paſtorem ſuum impugnant, quos errores omnes facilè poſſent detegere & deſtruere, ſi mea ſcientia eſſet cognita, quæ in hunc finem principaliter à Deo mihi eſt data; ut in ultima proprietate percipies?

8 Antiqui Philoſophi non fuerunt principium totius illius quod eſt bonum ad cognoſcendum Sanctiſsimam Trinitatem & Incarnationem, quia non putarunt in Deo eſſe Trinitatem Perſonarum, & futuram ejus Incarnationem, nec cognoverunt productionem quam Deus habet in ſe. Lib. Deſol. n. 37.

9 Quòd autem me arguas de nimia curioſitate in ſcientiis & reliquis, quæ ſupra dixiſti, videtur tibi deeſſe aut bona memoria, aut bona voluntas: nam vel non recolis qualiter meam ſcientiam habuerim, vel amas magis eſſe humilis per ignorantiam quàm per ſcientiam; quid enim vis dicere cum Authore, quem allegaſti, nempe *ſcientias* debere eſſe *fideles ancillas Crucis ſubjectas ſanctæ humilitati*? P. Cauſinus ibid. quæro ego per quid? per falſitatem an veritatem, per ignorantiam an cognitionem, per dubium an certitudinem? Fili, in Deo ſapientia & humilitas ſunt æquales, quia ſunt idem, per quod demonſtratur quòd major perfectio utriuſque poſsit eſſe in creatura per æqualitatem, quàm per inæqualitatem; ex quo reſponſo elicies alterum in illo implicitum, ſcilicet, quòd ſit inordinatus affectus deprimere unum, ut extollas alterum; & quia quilibet Sanctus tantùm amat gloriam alterius quantùm ſuam, diſplicet Sanctis veſtra partialitas. Neceſsitas exegit progredi ultra propoſitum.

1 Quinta eſt quòd ſit *Perfectiſsima*: Fili, hoc dicitur perfectum, quod nec additionem recipit, nec diminutionem patitur: unde ſi ex perfectione Artificis cognoſcitur perfectio operis, quàm perfectum debet eſſe Opus, quod me docuit ſupremus Artifex? Loquor de *Arte Generali*, *quam mihi Deus in quodam monte* (in monte Randa Majoricæ) *oſtendit*. Lib. Quæſt. ſuper 4. lib. ſent. in Prol. cùm igitur *Dei perfecta ſint opera*, Deut. c. 32. v. 4. *quid poterunt emendatores meæ Artis illi addere, vel ab illa detrahere*? Diſc. Ivo, fateor charis-

riſsime Pater, & ego fui quondam in numero illorum, qui libros & Artem tuam corrigere nitebantur. Mag. *correctioni librorum non des te omnino, Fili, ſed intelligendo quantumcumque poteris, pauca opponas; libros enim plures corrigunt, & ſe ipſos ignorantes relinquunt.* Doct. 11. in Introduc. Artis Dem. c. 40. n. 6.

2 Diſc. ſed ſi quis negaret, Pater, te Artem tuam divinitùs accepiſſe, non pauci enim fuerunt, qui hoc negarunt, imò aliqui, qui te hiſtrionem, fanaticum & Diſcipulum diaboli proclamare non ſunt veriti; quid poſteri ſint facturi, neſcio, Deus ſcit. Mag. Si vos anxietas tenet, Fili, à quonam Ars & libri mei originem traxerint, aſcendite in Arbores meas (ſunt quatuor Arbores in Maximo libro Contemplationum) guſtate & videte; nam *ex fructibus earum cognoſcetis eas, nũquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis orbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit, non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Math. 7. v. 16. 17. 18. Fili, ſecundùm meam Artem Generalem ex præcedenti demonſtratione particulari elicitur ſequens univerſalis; *omne bonum bonificat, & omne malum malificat, non poteſt bonum malificare, nec malum bonificare*: quis Chriſtianus auſit negare hanc demonſtrationem è Logica Chriſti petitam eſſe meliorem omni ſyllogiſmo in barbara methodo argumentandi Logicę Ariſtotelis contento? Nihilominus nolo, Fili, judicium tuum eſſe ultimam regulam examinandi meos Libros & Artem; tu enim falli potes & fallere, ſicut ego potui; quæ poſsibilitas errandi obligat & compellit oves, ut recurrant ad Paſtorem.

3 Unde in hoc ſuadeo, Fili, ut Diſcipulus imiteris me Magiſtrum, niſi miſerè decipi & perire cupias cum ovibus errantibus, quæ falsò æqualem vel majorem infallibilitatem à Supremo Paſtore ſibi attributam arrogant, quàm ſubſtituto in terris Paſtori, non intelligentes proportionem inter utrumque: inſpice omnia mea opera, quæ non obſtante quocumque ſuperno lumine, quo fui illuſtratus, cum omni ſubmiſsione & humilitate, ùt morigerum filium de-

decet, cenſuræ Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubjeci; quorum omnium loco de omnibus quæ ſcripſi... ſumas ſequens exemplum.

4 „Si fortè eſſet in hoc „Opere aliquis defectus vel „aliquis error contra Sanc„tam Fidem catholicam, di„cimus & affirmamus illum „defectum vel errorem eſſe à „nobis & nos poſuiſſe eum „per ignorantiam habendo „bonam & caſtam & catho„licam intentionem, & ipſum „errorem non credimus, imò „rogamus quòd deleatur ab „iſto Opere; verumtamen non „affirmamus eſſe nullum erro„rem in hoc Opere: &, ſi ali„quis in aliqua re dubitaret „vel videretur ei ipſam eſſe „errorem contra Fidem, poſ„ſet eſſe quòd in hoc erraret, „quin hoc intelligeret, & „quòd ſua intentio eſſet bo„na, ſicut poteſt eſſe quòd „ego erraverim intendendo „non ponere ullum errorem, „nec ullam rem quæ ſit con„tra Sanctam Legem Roma„nam. Doct. Il. in Magno Lib. Contempl. Volum. 3. Lib. 5. poſt Cap. 365. „Ne formides „igitur, Fili, nam ſi Ars mea „eſt donum Spiritus Sancti, „idem Spiritus qui regit Spon„ſam ſuam in terris, Matrem „noſtram, non patietur illam „huic Arti eſſe contrariam, „quæ (ût ſupra tetigi) multa „bona ab hac Arte recipiet.

1 Sexta eſt quòd ſit *Ordinatiſsima*: quia perfectio & ordo neceſſariò mutuò connectuntur, ex perfectione demonſtratur ordo, & ex ordine perfectio; nam omne perfectum eſt ordinatum, & è converſo: ſi igitur iſta Ars eſt perfectiſſima, erit ordinatiſsima. Et etiam: ſicut litteræ Alphabeti ſunt principia primitiva omnium ſyllabarum, verborum & conſtructionum ab ipſis derivatorum, & licèt non ſint principia naturalia, nec habeant determinatum numerum, nec ordinem inter ſe, nec mutuò neceſſariò connectantur, nec quælibet cum qualibet ſit combinabilis, nec qui tangit unam, tangat omnes, nec ſint circularia, nec una ſit ſubordinata alteri; hoc idem eſt de ſyllabis, verbis, conſtructionibus, & pluribus aliis defectibus, qui poſſunt demonſtrari in hoc ſyſtemate linguarum mediante Grammatica Lulliana (ût aliqui putant barbara); hoc non obſtante in dictis litteris, & earum derivatis, poteſt ſtatui aliqualis ordo; quid erit de

de iſta Arte, in qua omnia principia primitiva ſunt ſuprema vera neceſſaria realia naturalia & circularia? ita ut abſque omni defectu prædicto, qui tangit unum, neceſſariò tangat omnia, quia quodlibet principium eſt centrum omnium aliorum; &, ſicut qui tangit centrum, tangit omnes lineas circumferentiales, ſic qui tangit principium centrale tangit omnia principia circumferentialia; & cùm iſte ordo ſit undequaque neceſſarius & perfectiſsimus, ſequitur, iſtam Artem eſſe neceſſarió ordinatiſsimam, quod, Deo dante, clariùs exemplificabitur infra. Videatur tamen Ars Comp. Ars Univer. Invent. Amat. Liber Theol. Phil. Jur. Medic. & omnes aliæ Artes, & Libri, nam in omnibus & ſingulis iſte ordo practicatur.

1 SEPTIMA eſt quòd ſit *Facillima*: Fili, id eſt facile, quod memoria facilè retinet, intellectus facilè intelligit, & voluntas facilè vult, & poteſtas facilè poteſt; hæc omnia promitto de mea Arte: id autem memoria facilè retinet, quod eſt maximè ordinatum; intellectus facilè intelligit, quod eſt maximè clarum & maximè intelligibile; voluntas facilè vult, quod eſt maximè amabile; poteſtas facilè poteſt, quod eſt maximè poſsibile.

2 Diſc. hoc eſt in quæſtione, mi Pater, expone quæſo, quę ſunt hæc? Mag. nihil aliud, quàm *Circulus*, *Triangulus*, & *Quadrangulus*: Arb. Scient. de ram. Arb. elem. f. mihi 16. de flor. Arb. ſenſ. f. 72. de fol. Arb. cœl. f. 251. in Art. Comp. Medic. cap. de 6. fig. in Lib. de Aſtron. p. 2. cap. de 12. ſig. & in Prac. Teſt. cap. 5. 6. & ſequent. & in pluribus meorum Lib. In his tribus figuris continetur totum ſecretum meæ Artis; quid autem facilius poſſet memoria retinere, & intellectus intelligere, & voluntas velle, & poteſtas facere, quàm has tres figuras? Igitur pone in memoriam tuam, & intellige, & ama, & fac, ut poſsis opere formare has tres figuras, & tota mea Ars erit tibi facillima; *nam ſi habueris optimum intellectum fundatum in Logica & in naturalibus, & diligentiam, poteris ipſam ſcire duobus menſibus, uno menſe pro theorica, & alio menſe pro practica*: Art. Gen. ult. p. 13. quid facilius? Diſc. certè; ſed quid eſt eſſe fundatum in Logi-

gica & in Naturalibus? Mag. eſt intelligere prædictas tres figuras. Diſc. jam ſcio, quòd neſcio. Mag. Fili, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea, ſcilicet in cap. 3. Explicatio aliqualis.

3 Dictæ tres figuræ ſunt A. quæ eſt circularis, in qua principia omnium entium ſunt arithmeticè æqualia in omnibus, & ideo ſunt ſimul attingibilia per poteſtatem memoriæ, intellectûs & voluntatis propter æqualem durationem, veritatem & bonitatem, & facilitatem, quæ quatuor ſunt naturalia objecta dictarum potentiarum; & quia connexio dictorum principiorum eſt indefectibilis, eadem facilitate, qua attingitur unum per unam potentiam, per omnes alias ſimul & ſemel attinguntur omnia alia principia.

4 Secunda eſt figura T, quæ eſt triangularis, quia continet principia relativa, quæ tam generaliter quàm ſpecialiter ſemper ſunt in Trinitate; v. g. Differentia, quæ applicata Bonitati, quæ eſt principium figuræ A, oſtendit quòd in ipſa Bonitate eſt bonificativum, bonificabile, & bonificare, quæ ſunt tres anguli coeſſentiales unius ſimplicis Bonitatis, ità neceſſarii, quòd ſinè illis nec Bonitas eſſet activa, nec paſſiva, nec actualis in ſe neque in alio, & conſequenter nihil eſſet bonum, quod eſt impoſſibile: ergo oppoſitum eſt neceſſarium. Specialiter, quia oſtendit Bonitatem aliam eſſe corporalem, aliam ſpiritualem creatam, & aliam increatam, ita ut extra iſtum triangulum non liceat evagari. Item docet *Differentia* principium, medium & finem, majoritatem, æqualitatem, minoritatem Bonitatis, & omnia alia ad quæ poteſt referri; & cùm correlativa ſint ſimul naturâ & cognitione, cognitio unius facillimè ducit in cognitionem omnium aliorum.

5 Tertia eſt figura S, quæ eſt quadrangularis quia continet oppoſita, quę non poſſunt eſſe ſinè quaternitate, ſicut in natura ignis & aqua non poſſunt eſſe ſinè aëre & terra, & in Anima rationali ſcientia & ignorantia non valent eſſe ſinè perfectione & defectu; & cùm oppoſitorum eadem ſit ratio (ut loquar modo vulgari) oppoſito modo, & juxta ſe poſita magìs eluceſcant, inde eluceſcit quantùm juvet cognitio unius

ad

ad cognitionem aliorum.

1 Octava eſt quòd ſit *Delectabiliſsima*: quia omne naturale objectum eſt delectabile ſuæ naturali potentiæ, veritas, quæ eſt naturale objectum intellectûs, & bonitas quæ eſt naturale objectum voluntatis, & duratio utriuſque, quæ eſt objectum memoriæ, ſunt delectabilia: & quò magis hæ tres potentiæ excedunt in nobilitate & perfectione inferiores potentias, eò nobilior & perfectior eſt earum delectatio; & quò altiùs objecta, vel objectum èarum tranſcendunt objecta inferiorum potentiarum, eò magis tranſcendit delectatio horum delectationem illorum: unde cùm mea Ars & Scientia ſit diſpoſitio, qua dictę tres potentiæ per influentiam ſupremi Objecti exaltari ac perfici poſſunt, tam extenſivè quàm intenſivè ſine numero & menſura in operationibus ſuis, quis eſt, Fili, qui æſtimare poſsit delectationem felicis animæ, quæ uſu meæ Artis fruitur ſuo delectabiliſſimo objecto? *Si autem utilitas iſta te movet ad ſciendam hanc Artem, primò præpares te ad ſuſcipiendum A. diligendo hanc cameram & quamlibet ejus partem ſuper omnia, poſtpoſitis omnibus aliis; neque enim qui contrariis delectatur, umquam eam habebit, ſed ſolus ille, qui eam quaſi cordialiſsimam deſponſavit; cujus contrarium ſi occurrerit, illud repellas quaſi venenum, ſemper cogitans quòd eam præelegeris.* Doct. Il. in Introd. Art. Dem. cap. 1. n. 4. f. 3.

1 Nona eſt quòd ſit *maximè neceſſaria*: primò, *quoniam intellectus humanus eſt valde plùs in opinione quàm in ſcientia conſtitutus, ex eo quia quælibet ſcientia habet ſua propria principia & diverſa à principiis aliarum ſcientiarum, idcirco requirit & appetit intellectus quòd ſit una Scientia generalis, & hoc cum ſuis principiis generalibus, in quibus principia aliarum ſcientiarum ſint implicita & contenta ſicut particulare in univerſali: ratio hujus eſt, ut cum ipſis principiis alia principia ſint ſubalternata, & ordinata, & etiam regulata, ut intellectus in ipſis ſcientiis quieſcat per verum intelligere, & ab opinionibus erroneis ſit remotus & prolongatus.* Doct. Il. in Prol. Art. Gen. ult.

2 Secundò: „ quia iſta Ars „ ſeu Scientia addit plura, „ quæ in unaquaque ſcientia „ per

„ per ſe conſiderata non ſunt, „ videlicet mutuam habitudi- „ nem & combinationem ter- „ minorum principalium in „ qualibet, quod patet per „ B C. B D. C D. C E. &c. ad- „ dendo in illa combinatione „ alios univerſales terminos, „ qui non ſunt ſimpliciter de „ ſpeculatione illius ſcientiæ: „ ac etiam addit plura quæ in „ aliis ſcientiis collectis inſi- „ mul poſſunt minimè reperi- „ ri, videlicet *modum artifi- „ ciatum operandi ſub E.J.N.R.* (hoc eſt ſub Affirmatione, Negatione, Suppoſitione, & Dubitatione &c.&c.&c.)„ & mo- „ dum artificiatum univerſan- „ di & particulandi ſub mix- „ tione terminorum T, & at- „ tingendi puncta tranſcendentia. Doct. II. in Comp. Art. Dem. Diſt. 3. de Quæſt. fig. alphab. f. 154. & hoc eſt tam altum ſecretum quòd hìc non poteſt ſufficienter declarari: *verumtamen ſciendum eſt quòd, licèt hæc Ars in omni materia neceſſaria ſit, tamen propter Theologiam principaliter eſt inventa; quia Theologia eſt finis omnium aliarum ſcientiarum, utpote de ultimo fine determinans.* Doct. II. in Introduc. Art. Dem. cap. 1. n. 4.

1 DECIMA eſt quòd ſit *Utiliſſima: multæ quidem ſunt utilitates, propter quas hæc Ars eſt inventa; inſtruit enim nos intelligere & diligere Deum, adhærere virtutibus, odire vitia, & confundere cogentibus rationibus infidelium erroneas opiniones: docet etiam facere & ſolvere quæſtiones, & alias ſcientias ſub brevi ſpatio temporis poſſe acquiri & reduci ad neceſſarias concluſiones ſecundùm exigentiam materiæ, & oſtendit inquiri & inveniri conditiones rerum & proprietates, & ad puncta tranſcendentia præſertim elevat intellectum; nec non alia multa utilia ſequuntur ſcientibus iſtam Artem*: Doct. II. in Comp. Art. Dem. in Prol. *docet enim bene memorari, bene intelligere, bene velle, credere, contemplari, invenire, dirigere, prædicare, exponere, ſolvere, judicare, conjulere, demonſtrare, bene ſanare, &c.* ût in libro, qui intitulatur lib. Artis Demonſtrativæ Diſt. 3. de Inten. f. 43. dicitur. Doct. II. in Introd. cap. 1. n. 4. Et ſcias, Fili, quòd ſub cortice literali dictarum proprietatum, quas in lib. Dem. voco ſedecim modos, lateat magnum ſecretum Figuræ Elementalis, nempe ſub modo demonſtrandi modus ope-

operandi. Ivo ibid.

1 UNDECIMA eſt, quòd ſit *Artificioſiſsima*: magnitudo artificii ſignificat ſapientiam Artificis: unde qui totam ſtructuram hujus vaſtiſsimę machinæ, quæ eſt Opus artificiale Dei, in omnibus ſuis partibus & partium partibus intimè perſpectam haberet, qui omnium vegetabilium, animalium, mineralium eſſentiam, naturas, proprietates, formas ſpecificas, ordinem & habitudinem naturalem cujuslibet ad alteram, qui elementorum & orbium cœleſtium motus, influentias, eſſentialem inter ſe connectionem in eſſentia & qualitatibus perfectiſsimè cognoſceret, in tantam admirationem raperetur tanti Opificis, ut non haberet ultra ſpiritum; *à magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri*: Lib. Sap. cap. 13. v. 5. *à proportione inverſa* argumenti dico, Fili (ſi parva licet componere magnis) qui ſciret poteſtatem et ſapientiam, quam Deus infudit primo Homini quando illum conſtituit Dominum totius hujus mundanæ fabricæ, cerneret in hac poteſtate & ſapientia creatis aliquod Opus microcoſmi (cujus ſolum nomen eſt notum pluribus ſapientibus hujus ſæculi) quod in ſingulis ſuis partibus partim actu exiſtentibus, partim per Artem poſſibilibus reſpondet ſingulis partibus macrocoſmi; & hoc eſt ſecretum, Fili, omnium ſecretorum naturalium ſecretiſsimum, quod Deus ſublimis & glorioſus pauciſsimis fidelibus ſuis ſervis reſervavit & revelavit, cujus me quoque indignum ſuum famulum participem reddere voluit. Ita Ivo ibid. (& certè hoc ſecretum eſt revelatum per omnes Libros Beati Doctoris & Martyris.)

2 „ Fili, Deo Omnipo-
„ tenti Domino Dominan-
„ tium placuit mihi revelare
„ Univerſalem Scientiam in
„ omni tranſmutatione metal-
„ lorum nec non & lapidum
„ pretioſorum, atque modum
„ omnium corporum humano-
„ rum ſanandorum, & Deus
„ Omnipotens hoc ordinavit,
„ ut ſua mirabilis potentia
„ apud univerſum mundum ſit
„ manifeſtata; & ignorantes
„ mundi &c., qui impoſsibile
„ arbitrantur, omnia iſta vera
„ eſſe, ſi Libros noſtros legiſ-
„ ſent (Fili, non hic loquor de Libris meis chimicis tan-

tùm, quos in quæſtionem trahunt, ſed de Libris, quos primo Tomo jam in lucem profers, v. g. Clavem Artis, Libros Principiorum Philoſophiæ ac Medicinæ) „et ſi non „ omnino cæcutirent facillimè „ crederent, omnia à Deo da„ta & vera eſſe. Doct. II. in Aper. Ani. in prol. n. 2. *Fili, tu vidiſti in figura magnum Librum, qui eſt Liber Paradiſi terreſtris, quem nos vidimus in viſione; & dico tibi, ut eum cuſtodias à manu inimicorum Eccleſiæ Dei & avarorum & peccatorum, ego vidi arcanum totius naturæ in viſione ſuper magno monte, ſuper ſphæram ignîs, ubi vidi ea quæ non licet loqui.* Et ut te non lateat ratio quare plurimos meorum Librorum ſcripſerim ſub figura arborum, ſcias quòd omnes ſignificent unam arborem, cujus ſecretum & figuram tibi revelavi in meo Teſtamento, & in Diſt. 3. Lib. de Quinta Eſſentia; *nam vidi arborem vitalem, & vidi figuram quam tibi tradidi cum licentia Dei.* Doct. II. Lib. 3. cap. 7. n. 14. Teſt. Secr. ult.

3 „ Conſidera, Fili mi cha„riſsime, potentiam divinam, „ quæ me illuminavit, ille ve„rus Dominus fortis eſt & „ clemens, potentiſsimus, piiſ„ſimus, qui mihi indigno pec„catori malevolo revelavit „ Arcana totius naturalis Phi„loſophiæ: Doct. II. in Lib. Secret. Teſt. ult. l. 1. c. 1. n. 61. „ & non ſolùm me „ docuit artificium omnium „ artificiorum naturalium al„tiſsimum *viginti quatuor ex„perimentorum totius naturæ „ creatæ* (videatur dict. Lib. „ II. Doct.) quod claudit in „ ſe omne artificium et om„nia experimenta ad quæ „ creatura rationalis in hac „ mortali vita pertingere po„teſt, et quod forſan ante „ me nemo cognovit, & poſt „ me pauci ſunt adepturi; ſed „ etiam aperuit mihi artificium „ omnium artificiorum intel„lectualium ſublimiſsimum; „ *quia dedit mihi Clavem om„nis ſcientiæ, & Theſaurum „ omnis ſapientiæ ſuper terram:* Doct. II. in Lib. ſecr. Ang. de Conſer. Vit. in prol. n. 14. hujus artificii duas tibi explanabo formas in capite ſequenti; unam in ſecreto Figurarum ſeu Rotarum, alteram in ſecreto Tabularum, ex quibus à longè conſpicere poteris ſublimitatem artificioſiſsimæ meæ Artis.

1 Duodecima eſt, quod ſit

ſit *Naturaliſsima* : duæ ſunt Naturæ , ſcilicet Natura creata , & Natura increata ; & *cùm mundus*, ſeu natura creata, *ſit ſpeculum humano intellectui , per quod ſupremum Bonum* , ſeu natura increata , eſt demonſtrabile , Doct. Il. Lib. Mirand. Demonſ. 2. cap. 34. n. 1. *& ſupremum Bonum ſit tam altum tam excellens & tam nobile , quòd per omne id , quod eſt , ſit demoſtrabile* , ibid. Lib. 2. cap. 23. n. 1. manifeſtum eſt , Fili , quòd nullum ſit particulare vel individuum in tota natura creata , per quod natura increata non poſsit demonſtrari : ex quo ſequitur quòd tota natura creata cadat in *tertium Modum* meæ Artis Compendioſæ : unde cùm totus modus eſſendi naturę creatæ ordinetur à modo eſſendi naturæ increatæ ad modum ſignificandi tamquam medium inter intellectum creatum & objectum illius increatum, quãta eſt relatio *proportionis* & *comparationis* inter modum eſſendi naturæ creatæ & increatæ , & inter modum ſignificandi & eſſendi naturę creatæ , tanta debet eſſe inter modum ſignificandi naturæ creatæ & modum intelligendi intellectus humani , ut ſit naturaliſsimus : vide Diſt. 3. Art. Invent. Verit. Reg. 9. & Reg. 2. vide Lib. Cont. 4. Diſt. 35. cap. 234. & Lib. 5. Diſt. 40. cap. 353.

1 DECIMATERTIA et ultima eſt , quòd ſit *Divina*: *primò* ratione originis ; nam, cùm ſit moraliter , nè dicam phyſicè , impoſsibile quòd ullo humano ingenio vel in una ſcientia particulari & ſpecifica talia principia certa infallibilia , & talis modus operandi cum principiis certus & infallibilis poſsint excogitari & inveniri , quæ ſint ſufficientia ad omnia particularia illius ſcientiæ eruenda & demonſtranda , ût quotidiana vos docet experientia per reformationem ſcientiarum quam viri in illis ſcientiis particularibus famoſi meditati ſunt , & adhuc futuris temporibus tentabunt & meditabuntur , de quibus verificatur quòd *Deus mundum tradidit diſputationi eorum , ut non inveniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem* : Lib. Eccl. cap. 3. v. 11. quis enim Aſtronomorum , Fili , adhuc reperit perfectum ſyſtema motuũ cœleſtium ? nonne cernis , Fili , veſtros Sapientes Geometras principia Geometriæ , rejectis ve-

terum finitis, novo habitu infinitatis veſtire conatos, negare vel primam definitionem puncti, quam veteres ût lapidem angularem totius Geometriæ venerati ſunt? Quid dicam de Philoſophia Ariſtotelis, nonne Libri tanti Philoſophi undique pertuſi & perforati ſunt à vermibus Carteſii, ût Almageſtum Ptolemæi à tineis Copernici? quàm difficile, quàm impoſsibile igitur erit tantam Iliadem omnium Scientiarum & omnium rerum naturalium & ſupernaturalium comprehendere & concludere in una nuce capitis humani?

2 Ex præcedentibus autem percepiſti, & in ſequentibus ampliùs perſpicies quòd mea Ars ſit *univerſalis Scientia ſubjecta omnibus aliis Scientiis, in qua ſunt certa & univerſalia principia, per quæ poteſt infinitorum particularium quæſtionibus reſponderi*; Doct. II. in Art. Inven. Part. in Univ. Diſt. 3. q. 10. f. 35. Fili, in multis meorum librorum per argumenta invincibilia demonſtravi dari talem Artem, & illam à me inventam; *hoc tamen* non lumine naturali, ſed *Sancti Spiritus gratiâ*, per cujus infuſionem ipſam ſcientiam decuit influi ad omnes ſcientias dirigendas. Doct. II. ibid. f. 38. cam. 13. Intelligas hoc de *Arte Generali quæ mihi fuit data per Spiritum Sanctum, cum qua poteſt homo ſcire omnes res naturales, ſecundùm quod intellectus attingit per ſenſus: eſt bona ad ſciendum Jus, Medicinam, & omnes Scientias, & ad ſciendum Theologiam, quam teneo in majori æſtimatione: nulla Ars tantùm valet ad ſolvendum quæſtiones, & ad deſtruendum errores ratione naturali.* Doct. II. in Lib. Deſol. n. 8. f. 37.

3 *Secundò* eſt Divina ratione principiorum hujus Artis, quæ ſunt ipſę *Rationes Divinæ*, quæ nomine in Scholis uſitato vocantur Attributa Divina, à me verò multis nominibus in meis libris nominantur, ût Formæ, Dignitates, Qualitates eſſentiales, Virtutes &c.: hęc verò Principia exigit perfectio et altitudo Artis, nam ſinè illis non poſſent formari tales demonſtrationes quę perfectè quietarent mentem humanam, ût jam ſupra bene animadvertiſti, Fili, in Authoribus primæ Claſsis fol. 52. Rat. 2. In 2. Tomo, qui continet uſum et praxin primi, videtur quomodo omnes meę de-

demonſtrationes ſint actu reductæ, vel facilè reducibiles ad hæc ſuprema Principia.

4 *Tertiò* eſt Divina, quia modus operandi ſeu demonſtrandi cum his principiis non eſt naturalis tantùm, ſed naturalis & ſupernaturalis ſimul: unde ſi de hoc modo informari deſideratis, legite librum de Mir. Dem. lib. 2. cap. 27. f. 50. de *Demonſtratione, quæ eſt ſuprà naturam*, qui habetur tom. 2. & gaudebitis gaudio magno valde, ſi intelligetis, quę ibi dicuntur.

5 *Quartò* eſt Divina, *maximè enim hæc ſcientia aſſimilatur Divinæ, quæ cùm ſit unita Eſſentiæ Divinæ, omnia ipſi Deo repræſentat, ita hæc quodammodo eſt repræſentativa omnium, quæ cadere poſſunt ſub inveſtigatione humana brevibus & paucis*: Doct. Il. in Introd. Art. Dem. cap. 37. f. 33. tom. 3. Fili, multa ſecreta in his tredecim proprietatibus continentur, quorum partem in ſequentibus capitibus, quantum diſcretio permittit, & neceſsitas exigit, vobis revelabo.

6 Claudatur hoc Caput informatione ac monitione neceſſaria, quomodo hæc Ars & ſcientia faciliùs ac citiùs acquiri valeat. Sciatur igitur, quòd ſcientia eſt *infuſa* aut *acquiſita*; *ſcientia infuſa procedit ex voluntate, devotione & oratione, & ſcientia acquiſita ex intellectu, ſtudio & labore*: Doct. Il. lib. de Amico & Amato n. 249. unde duę ſunt portæ, per quas patet ingreſſus in atrium hujus ſcientiæ, quarum una eſt porta intellectûs, altera voluntatis: ex his portis prodeunt etiam duo genera Lulliſtarum, quorum unum eſt nobilius & perfectius altero; & quandoque ex ipſis producitur tertium genus, quod eſt nobilius & perfectius utroque: & hoc fit dupliciter, quidam enim primò ingrediũtur per portam intellectûs, & egrediuntur per portam voluntatis: alii verò primò ingrediuntur per portam voluntatis, & egrediuntur per portam intellectûs; & hi ambo in fine conveniunt; & hi gratiores & mundo utiliores ſunt duobus præcedentibus; nam habent habitum ſcientiæ infuſum & acquiſitum ſimul; ex quibus colligitur tres eſſe gradus Lulliſtarum, poſitivum ſcilicet, comparativum & ſuperlativum.

7 Qui crediderit poterit in-

intelligere & intelligendo eligere; & nè media deficiant ad talem aſcenſum, præparavit Il. Doct. in multis ſuorum librorum ſcalas valde commodas, quarum inter alias duæ ſunt, nempe *Fides & Devotio, quæ ſunt ſcalæ, per quas aſcendit intellectus ad intelligendum Amati ſui ſecreta, & Fides ac Devotio habent ſuum principium ab Amato, qui illuminat Fidē, & accendit Devotionem*: Doct. Il. lib. de Amic. & Ama. n. 300. f. 174. Et quia hęc Doctrina eſt nimis curta, conſulo vobis, ut adeatis *Artem Compendioſam inveniendi veritatem, ejuſque Modum ſeptimum de Oratione* Diſt. 2. p. 1. f. 13. nam hic Modus eſt Clavis, quæ vobis aperiet ſecretum Diſtinctionis 40. Magni libri Contemplationis, cujus Volumen tertiū & liber quintus ab initio uſque ad finem de Oratione tractat per quinquaginta unum Capita fuſiſsimè, in quibus revelantur ſtupenda & omnibus ſapientibus hactenus incognita Arcana ſcientiæ & ſapientiæ: præcedens Diſtinctio dicti libri, ſcilicet trigeſima nona de Amore habens quadraginta ſeptem Capita aperiet vobis *portam ſecretam voluntatis*; & ne putetis mea promiſſa excedere ipſa facta, dabo vobis horum ſpecimen in Capite ultimo hujus Tractatus.

8 Subminiſtratis mediis convenit quoque oſtendere modum, quo *Infuſio* hujus Artis et ſcientiæ comparatur: „ hic igitur modus diſcurren-„ di duobus modis efficitur, „ ſcilicet *per ſanctam vitam*, „ & *contemplationem*; nam „ quicumque ad habendum „ ſcientiam per infuſionem la-„ borare nititur, oportet eum „ in converſatione ſanctæ vi-„ tæ vivere, et honeſtè, ſci-„ licet multum charitativum „ et devotum eſſe, et habe-„ re totas ſeptem virtutes in „ anima ad repugnandum vi-„ tiis (notate hic Filii unam „ rationem, quare virtutes po-„ ſuerim in numero Principio-„ rum meæ Artis) et ſicut „ hæc Ars ex univerſalibus „ principiis eſt, in quibus per-„ quiruntur particularia, ita „ oportet, eum magis diligere generale bonum, quàm „ ſpeciale; alioquin repugna-„ ret regulæ hujus Artis, et „ per hanc repugnantiam non „ poſſet à Deo infuſionem re-„ cipere, nec in hac ſcientia „ per conſequens informari: contemplationis ſunt duę ſpecies

cies ad obtinendam ſcientiam infuſam ab altiſsimi Largitoris gratia, quas ibi videre poteſtis; maximè verò in toto meo libro Contemplationis: ſi enim ea, quæ ibi præſcribuntur, diligenter opere quis executus fuerit, tunc *hujus ſcientiæ & aliarum ſcientiarum copioſam infuſionem recipiet.* Doct. Il. in Art. Inv. Part. in Univ. Diſt. 2. p. 2. n. 4. f. 5.

CAPUT III.
DE RESPONSIONE.

1 EX hactenus dictis præſens efformatur reſponſio: vel omnes prædictæ Dignitates Artis Lullianę ſunt veræ, vel falſæ, vel partim ſunt veræ, et partim falſæ; nam non eſt reperibile aliud medium; ſi omnes ſunt veræ, imò ſi unica tantùm, ruit ſententia Feijoana: ergo ut in ſuo robore maneat, eſt neceſſarium, quòd omnes ſint falſæ; et, ſi omnes ſint falſæ, eſt neceſſarium Authorem, unde tanta falſitas promanavit, fuiſſe virum falſiſsimum, et in omnibus prædictis habuiſſe ſpiritum diaboli; ſed hoc eſt falſum, ut ſuimet adverſarii fatentur; nam ſapientiſsimus P. Vaſquez ait: *Spiritum Dei in multis Raymundum habuiſſe, indicant ſcripta ejus de Philoſophia Amoris, de Amico & Amato, & Magnarum Contemplationum, aliaque multa.* Vaſ. Diſp. 133. cap. 4. f. 138. Et licèt poſtea ſe oſtendat minus affectum; tamen eſt laudabilis ingenuitas, qua confitetur veritatem Lullianæ Doctrinæ; ſed omnes prædictæ Dignitates Artis ſunt deſumptæ ex libris ab iſto adverſario citatis: ergo Beatus Raymundus ſpiritu Dei illas docuit, et in ipſis libris opere exercuit: ergo impoſsibile eſt quòd aliqua illarum ſit falſa.

2 Deinde, ùt probant acta indubia et teſtimonia authentica vitæ et Martyrii Beati Authoris, ipſe et verbo et facto *confeſſus eſt Chriſtum in carne veniſſe*; nam cùm eſſet dives et honoratus pro Chriſto ſe fecit pauperem et humilem, et procuravit in omnibus majorem Dei gloriam et ſalutem totius humani generis, ut luce clariùs videtur

tur in Libris, quos fecit & præſentavit ſummis Pontificibus, qui regnarunt in tempore ſuæ vitæ, ad hunc finem principaliter ab ipſo propoſitum & intentum; ſcilicet, ut totus mundus reducatur ad ſtatum perfectionis, ad quem Deus illum creavit; ſed qui ſic *confitetur Chriſtum in carne veniſſe*, teſte ſupremo Eccleſiæ Theologo Divo Joanne Evangeliſta, *hic Spiritus Dei eſt*: ergo Beatus Raymundus Spiritu Dei illuminatus prædicta fecit & docuit.

3 Tandem, ſi diceretur, quòd Beatus Doctor feciſſet & docuiſſet à diabolo hallucinatus, ut infra impudenter aſſeritur ab illis, à quibus auxiliares copias petit Rmus. P. Feijoò ad ſuadendum ſuum intentum, non facit parum ad rem reſponſum S. Matris Tereſiæ in ſimili controverſia de probatione Spirituum dicentis: *ſi ſpiritus, qui hæc cauſat eſt diaboli, certè iſtè diabolus animarum eſt bonus amicus*, quæ diſertiſsima reſponſio erat deducta ex infallibili Logica Chriſti: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Arbor mala, &c.*, unde, qui non vult credere verbis Beati Raymundi, credat Sanctis operibus ejus; quia non eſt auditum à ſæculo, quòd aliquis talia ſit operatus, niſi Deus fuerit cum eo.

4 Et è converſo, ſi Sanctus Doct. compoſuiſſet cum ſua Arte plures libros prurientes vanæ curioſitatis auribus ad captandam inanem mundi æſtimationem & lucrum pæcuniarum, hoc eſſet ſignum lethale, & per iſtum anfractum potuiſſet præcipitari in *novum caſum conſcientiæ*, pro ut de ipſo affirmat idem Adverſarius loquendo de Titulo quem præfixit Beatus Raymundus ſuæ Arti, ſcilicet *Ars Univerſalis ad omnes ſcientias addiſcendas*, ubi dicit ipſum incurriſſe peccatum lethale, quia non adimplet quod in Titulo promittit. O bone Deus: in plùs quàm ter mille libris, quos ſcripſit tuus ſervus de omni ſcibili, non ſatisfecit promiſſis! & ſuus Adverſarius judicans ſinè ſimplici apprehenſione neceſſariò requiſita ad judicium, ſatisfacit promiſsioni Tituli ſui Libri Theatri Chrytici Univerſalis! certè hoc eſt valde mirabile: unde dico quòd, ſi Adverſarius ût Chryticus Univerſalis, cujus muneris eſt priùs introſpexiſſe omnia de quibus vult dare chryſin, legiſſet Librum

de

de Experientia Realitatis Artis, & omnes alios Libros, in quibus B. Raymundus per dictam Artem diffuſiſsimè docet omnes Scientias & Artes, ita ut poſteris nihil intactũ relinquat, ſi inquam, hæc omnia introſpexiſſet, potuiſſet formare ſimplicem apprehenſionem, & videre uter promiſſa adimpleverit? Et, licèt fuiſſet exanguis ſicut limaces, erubuiſſet talia in palam proferre.

4 Sed ipſe hoc videtur omiſiſſe, ût infra fatetur, imò admonitus per ſcriptum cujuſdam Magiſtri hujus celeberrimæ Univerſitatis Salmantinæ de adventu trium primorum Tomorum Magni Operis Lulliani in has partes Hiſpaniæ (ſi fortè Epiſtola pervenit ad manus illius) noluit intelligere ut rectè judicaret. Hoc etiam eſt valde mirabile in aliis adverſariis B. Raymundi, qui ambientes honores Minervales apud Theatrum mundiale, quin afferant aliquam rationem cogentem, tum de infamia vitæ tum de falſitate Doctrinæ Lullianæ, putant totum negotium confectum dicendo: alii dicunt hoc, alii dicunt illud, quod quanta facilitate valeat proferri, adhuc ab illo qui nihil ſcit, per ſe patet; at certa demonſtratione probare, hoc opus hic labor ita difficilis, ut ſim certus toto præſenti ſæculo, & ſi fas eſt dicere nec in futuro fore efficiendum. Unde candidus Poëta Verinus ſic admonet:

Nec te dicentis moveat reverẽtia, ſed quid
Dixerit attendas, qua ratione probet.

Et Div. Chryſoſtomus Epiſt. 2. ad Corinth. Homil. 13. ait: *Non igitur multas opiniones habeamus, ſed res ipſas inquiramus. Quomodo autem non abſurdum propter pecunias aliis non credere, ſed ipſas numerare & ſupputare; pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter?* Et hæc ſufficiant pro prima reſponſione, nam tota ſecunda Pars prædictæ ſententiæ reſpondebit.

DISTINCTIO II.

DE ALIIS OBJECTIONIBUS, ET PRIMO de Numero 3.

1 IN numero tertio ſuę Epiſtolæ ſic pergit præiaudatus Adverſarius: Raymundo Lulio, por qualquiera parte que ſe mire, es un Objeto bien problematico. Hacenle unos Santo, otros Herege; unos Doctiſsimo, otros Ignorante; unos Iluminado, otros Halucinado; attribuyenle algunos el conocimiento, y practica de la Chryſopeya, ò Arte Tranſmutatorio de los demas Metales en oro; otros ſe rien de eſto, como de todos los demas cuentos de la *Piedra Philoſofal*; y finalmente, unos aplauden ſu Arte Magna, otros la deſprecian. Pero en quanto à eſto ultimo, es mui ſuperior el numero, como la qualidad, de los que deſeſtiman à Lulio, al numero y calidad de los que le aprecian.

2 Latinè: Raymundus Lullius quaquaverſùs inſpiciatur, eſt Objectum ſatis problematicum; alii ipſum reputant ſanctum, alii hæreticum; alii doctiſsimum, alii ignarum; alii illuminatum, alii hallucinatum; aliqui attribuunt ei cognitionem, & practicam Chryſopœiæ, ſive Artis tranſmutatoriæ cæterorum metallorum in aurum; alii hoc irridenr, ſicut omnes alias fabulas Lapidis Philoſophalis; & tandem alii applaudunt illius Arti Magnæ, alii ſpernunt eam; ſed quantùm ad hoc ultimum, tum numerus, tũ qualitas ſpernentium Lullium, eſt valde ſuperior numero & qualitate appretiantium illum.

3 Totus iſte numerus uſque ad *tandem* ad duo oppoſita capita reducitur; primum eſt de Sanctitate, Illuminatione, Doctrina, & Cognitione ſpeculativa & practica Chryſopœiæ, quæ aſſeruntur in B. Raymundo fuiſſe in hac mortali vita; ſecundum eſt de negatione hujus totius: unde probato primo, ſecundum manebit improbatum. Sit ergo.

CA-

CAPUT I.

DE SANCTITATE B. RAYMUNDI.

1 SUPPOSITO quòd infallibilitas Sanctitatis B. Raymundi eſt determinanda à Supremo Capite Eccleſiæ; dicitur B. Raymundum ſolùm eſſe Objectum problematicum apud ignaros & nihil ſcientes de diſsidiis & judiciis contradictoriis, in quibus inimici ipſum acerrimè & in vanum ſunt inſectati, & amici alacerrimè & cum gloria ſunt tutati: unde totum problema ab Adverſario adductum, vix eſt aliqua reſponſione dignum; nam, vel ipſe ſcivit quid actum ſit in Judicio circa Sanctitatem & Doctrinam B. Raymundi, vel neſcivit: ſi neſcivit, quæritaſſet quod tam notorium & determinatum eſt apud ſcientes eruditos, ut daret bonum & eruditum conſilium; &, ſi hoc ſcivit, memor ſit dicti S. Margaritæ ad Olybrium: *quænam verecundia eſt, ut cùm in eiſdem Libris legatur* & ignominia B. Raymundo ab invidia attentata, & gloria per ſententiam legitimam reportata, *unum credatis, & aliud reſpuatis*? Hoc non aſſeritur de probitate Adverſarii; ſed, quia puſilli videntes tantum virum in utrùm vertere quod determinatum eſt, ad perſuadendum ſuum conſilium in contrariam partem vergens; hoc ſcandalum poſſent pati; ideo ad illud de medio auferendum Diffinitiva ſententia pręponetur.

INSTRUMENTUM SENTENTIÆ

reſcindentis attentata per quoſcumque, Authoritate cujuſdam aſſertæ Bullæ Gregorii XI. contra Doctrinam cœlitùs Illuſtrati Doctoris Raymundi Lullii, pii Eremitæ: eumdem verò Raymundum, ejuſque Doctrinam, ut bonam & Catholicam, in priſtinum ſtatum vindicantis.

HOc eſt tranſumptum, & in hanc publicam formam, publicumque exemplum redactum, Authoritate ac Mandato Reverendi Domini Vicarii Generalis, Reverendiſsimi Domini Majoricenſis Epiſcopi infraſcripti, à quodam publico

Documento ; prout inferiùs conſtat , legitimo , ac a publico Tabellione clauſo, quodamque oblongo ſigillo appendititio communito. Cujus tenor talis eſt.

„ Bernardus Miſeratione „ Divina Epiſcopus Civitatis „ Caſtelli , Commiſſarius ad „ infraſcripta, per Reverendiſ„ ſimum in Chriſto Patrem & „ Dominum D. Alamanum , „ Miſeratione divina Cardina„ lem & Legatum infraſcrip„ tum deputatus. Univerſis & „ ſingulis Chriſti fidelibus , ad „ quem, vel ad quos, prę ſentes „ pervenerint: Salutem in Do„ mino Jeſu Chriſto.

„ Literas pergameneas prę„ fati Rmi. Dom. Legati, ejus ſi„ gillo pēdēti in quibuſdā cor„ donibus de filo rubeo ſigil„ latas , ſanas, & integras, non „ vitiatas, non cancellatas, nec „ in aliqua ſui parte ſuſpec„ tas , ſed omni prorsùs vitio „ & ſuſpicione carentes, Com„ miſsionem de , & ſuper in„ fraſcriptis nobis factam con„ tinentes , nobiſque pro parte „ honorabilium conſanguineo„ rum , & amicorum quondam „ Magiſtri Raymundi Lullii in „ eiſdem literis nominati, prę„ ſentatas. Nos cum ea , qua „ decuit reverentia , recepiſſe „ noveritis , ſub hac forma:

Alamanus Miſeratione Divina , tituli Sancti Euſebii , ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis , in Aragoniæ , Valentiæ , & Navarræ Regnis, ac Majoricarum, & Minoricarum inſulis , in nonnullis aliis partibus , & terris Apoſtolicæ Sedis Legatus : Reverendo in Chriſto Patri Domino Epiſcopo Civitatis Caſtelli, ſalutem in Domino ſempiternam.

Suâ nobis conſanguinei , & amici quondā Magiſtri Raymundi Lullii petitione monſtrarunt , quòd olim quidam Frater Nicolaus Eimerici , Ordinis Prędicatorum , tunc in Regno Aragoniæ , officium Inquiſitoris hæreticæ pravitatis exercens, tēpore felicis Recordationis Gregorii Papæ XI. contra Artem & Doctrinam ipſius Magiſtri Raymundi , *vigore* cujuſdam fictę Bullę (ût aſſeritur) *per ipſum falsè fabricatæ , temerè attentavit , in famæ ipſius Doctoris , & Artis ejuſdem denigrationem , & non modicam læſionem. Quare pro parte ipſorum , nobis fuit humiliter ſupplicatum , ut attentata hujuſmodi nulla fore declarare , ipſaque caſſare , & annullare, Authoritate Apoſtolica dignaremur.*

Nos

Nos igitur de præmiſſis plenam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati circumſpectioni veſtræ, tenore præſentium, Committimus, & Mandamus (quatenus ſi eſt ita) quidquid per ipſum Fratrem Nicolaum inveneritis, contra ipſum Magiſtrum Raymundum, & Opera ſua, temerè attentatum, in ſtatum priſtinum revocare curetis, eadem nulla, & caſſa, ac irrita, Authoritate præfata, penitùs nuntiantes. Datũ Barcinonę 2. Kalendas Martii, Anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimo nono. Pontificatûs Sanctiſsimi Domini noſtri D. Martini Divina Providentiâ Papæ Quinti, Anno ſecundo.

Poſt quarum quidem literarum præſentationem, & receptionem, fuimus cum inſtantia debita requiſiti, ut ad executionem in dictis literis, contentorum, procedere curaremus, juxta traditam, ſeu directam, à præfato Rmo. Domino Legato, in præinſertis literis, nobis formam: & ad fundandam eorum intentionem dixerunt, propoſuerunt, & produxerunt dicti conſanguinei & amici per ordinem, quæ ſequuntur.

Et primò, quòd dicta aſſerta Bulla erat exorbitans à Jure, atque etiam à ſtilo Curiæ Romanæ: *& ſignanter videbatur in hoc, quòd viginti Libri, in quibus aſſeritur, quòd fuerunt inventi ducenti Articuli erronei & hæreticales, non nominantur in dicta aſſerta Bulla.*

2. *Quòd dicti Articuli aſſerti erronei & hæreticales* in ipſa non inſeruntur: *nec aliqualis mentio de eorum ſententia ibi videtur: ſed generaliter & confusè pertranſit.*

3. *Quòd in ipſa dicta Bulla erat* falſa latinitas, *quæ vitiat Reſcriptum Papale.*

4. *Quòd dicta Bulla non erat* regiſtrata, nec conſequenter reperta in Regiſtris Curiæ Romanæ, *in quibus documentorum Papalium Originalia reconduntur.*

Ad quorum omnium prædictorum probationem, & oſtenſionem probabilem, produxerunt in ſua propria forma quoddam publicum Inſtrumentum actum Avinione per Dominum Cardinalem, in ipſo Inſtrumento nominato, judicem & Commiſſarium per Sedem Apoſtolicam deputatum in quadam cauſa, &c. occaſione cujus de dicto Inſtru-

trumento conficiendo fuit facta inſtantia coram ipſo: in quo Inſtrumento, eò quia in ipſo de verbo ad verbum eſt dicta Bulla inſerta, affirmarunt prædicti parentes, (conſanguinei) & amici, omnia ſupradicta clarè & lucidè poſſe aſpici, & videri: quod quidem Inſtrumentum eſt hujuſmodi ſeriei.

„ In nomine Domini Amen. „ Noverint univerſi, preſens „ publicum Inſtrumentum inſ„ pecturi: quòd coram Reve„ rendiſsimo in Chriſto Pa„ tre & Domino D. Leonar„ do, Miſeratione Divina ti„ tuli ſancti Sixti Presbytero „ Cardinali Judice, & Com„ miſſario per Sanctam Sedem „ Apoſtolicam ſpecialiter de„ putato, perſonaliter conſti„ tutus, diſcretus vir Antonius „ Riera Clericus, Valentinenſis „ Diœceſis, Baccalaureus in „ Legibus principalis citra ta„ men procuratoris ſui revo„ cationem in quadam cauſa, „ ſeu cauſis, quę vertitur, ver„ tuntur, ſeu verti & eſſe ſpe„ rantur, inter dictum Anto„ nium principalem ex una „ parte, & Religioſum virum „ Fratrem Nicolaum Eimeri„ ci, hęreticę pravitatis in „ Regno Aragonię Inquiſito„ rem, de & ſuper nonnullis „ Articulis Fidem tangentibus „ & ipſorum occaſione parte „ ex altera. In qua ad non„ nullos actus etiam coram eo„ dem Domino Cardinali Ju„ dice & Commiſſario, citra „ tamen concluſionem inter „ dictas partes extitit proceſ„ ſum, & tandem copiam, ſive „ ſchedulam cujuſdam Literę „ Apoſtolicę, per felicis Recor„ dationis Dominum Grego„ rium Papam undecimum (ut „ idem Antonius aſſeruit) fac„ tę, eidem Domino Cardinali „ tradidit, atque dedit, cujus „ tenor ſequitur, & eſt talis.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Tarraconenſi ejuſque Suffraganeis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Conſervationi puritatis Catholicæ Fidei, quam multi nequam, & ſcelerati, ſuis falſis aſſertionibus maculare nitentes, inter triticum purum agri Dominici peſtiferum ſemen zizaniæ ſeminant, cùm ad noſtrum præcipuè ſpectet officium, ut evellamus prava, & deſtruamus perverſa, providere ſalubriter, & animarum illaqueationibus obviare confeſtim, plenis deſideriis affectantes, opportuna in his, quæ

quæ poſſumus, remedia ſtudio Paſtoralis ſolicitudinis adhibemus.

Dudum ſiquidem dilectus Filius Nicolaus Eimerici, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Profeſſor in Sacra Theologia Magiſter, in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Majoricarum Inquiſitor Hæreticæ pravitatis, nobis expoſuit, ſe in regnis eiſdem inveniſſe viginti volumina diverſorum Librorum in vulgari ſcriptorum à quodam Raymundo Lullio cive Majoricarum editorum, in quibus (ut ipſi Inquiſitori videbatur) multi continebantur errores, & hæreſes manifeſtæ, & quòd nonnulli de prædictis, & aliis Regnis, Libris utebantur eiſdem, & eorum doctrinæ dabant fidem non modicam, in grande ſuarum periculum animarum. Supplicavitque nobis Inquiſitor ipſe, ut, ne ſimplices deciperentur ex Libris ipſis, dignaremur in hac parte de opportuno remedio providere.

Nos autem cupientes animarum jam forſan imbutarum, & quæ imbui poſſent, ex perverſo dogmate dictorum Librorum periculis celeriter obviare, dictos Libros per venerabilem Fratrem noſtrum Petrum Epiſcopum Hoſtienſem, & per quamplures etiam ultra vigenum numerum in eadem Theologia Magiſtros, examinari fecimus diligenter, per quorum relationem tandem habuimus, quòd ipſi dictos Libros omnes cum multa diligentia legerant & examinaverant, & quòd ultra ducentos Articulos erroneos & hæreticales invenerant in eiſdem. Super quibus inter eoſdem, Epiſcopum & Magiſtros ſæpius, & demum coram nobis habita Diſputatione ſolemni, ipſos Articulos (quos ad vitandum prolixitatis tædiũ, & horribilitatem eorum, haberi volumus præſentibus pro expreſſis) erroneos, & manifeſtè hæreticales, de dictorum Epiſcopi, & Magiſtrorum, concordi conſilio, ſenſimus reputandos.

Cùm autem, ſicut Inquiſitoris præfati continebat aſſertio, in prædictis Regnis alii Libri, qui aſſeruntur editi à jam dicto Raymundo reperiri dicantur, in quibus hujuſmodi jam reperti, & alii errores & hæreſes creduntur probabiliter contineri.

Nos volentes de hujuſmodi aliis Libris, & eorum doctrina, informari plenariè, & ſuper eis providere ſalubriter, ne fideles in errores hujuſmodi damnabiliter prolabantur: Fraternitati veſtræ, de Fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta,

Committimus & mandamus, qua-

quatenus diebus Dominicis & feſtivis in ſingulis veſtris Eccleſiis Cathedralibus, ac Curatis, nec non Religioſorum quorumcumque Ordinum exemptorum & non exemptorum, etiam Ciſtercien. Carthuſien. & Cluniacen. Præmonſtraten. Grandimonten. Sanctorum Benedicti & Auguſtini, ac Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum ejuſdem Sancti Auguſtini, & Carmelitarum, & aliorum Ordinum veſtrarum Civitatum & Diœceſum, intra Miſſarum ſolemnia exiſtentibus populis ad divina, & in prædicationibus, per vos vel alios, quàm citò commodè poteritis, faciatis proponi, quòd omnes & ſingulæ perſonæ utriuſque ſexus, cujuſcumque ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant earumdem veſtrarum Civitatum, & Diœceſum, ſeu commorantes in eis, habentes Libros quoſcumque à præfato Raymundo editos (ût præfertur) ipſos infra unius menſis ſpatium vobis aſſignare, & illi, qui ſciunt alias perſonas Libros eoſdem habentes, eas vobis revelare, & nominare procurent. Voſque Libros recipi faciatis eoſdem, quos cùm habueritis, quàm citò poteritis, curetis nobis fideliter deſtinare: ut ipſos ſimili examini ſubjicere valeamus.

Cæterùm quia doctrina, ſeu potius dogmatizatio prædictorum librorum examinatorum reperitur erronea, hæreticalis & periculoſa nimiùm animabus, & vehemens ſuſpicio eſt habenda, quòd in aliis libris editis à dicto Raymundo, ſimiles, vel alii (ût præfertur) contineantur errores.

Vobis mandamus, quòd omnibus & ſingulis eiſdem perſonis veſtrarum Civitatum & Diœceſum Doctrinam, ſeu potiùs dogmatizationem, & uſum hujuſmodi Librorũ interdicere ſtudeatis. Donec ſuper his, per Sedem Apoſtolicam aliud fuerit ordinatum. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus, ſi aliquibus communiter, vel diviſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra loca certa ad judicium vocari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; & quibuſlibet exemptionibus, ac aliis privilegiis, & Literis Apoſtolicis quibuſcumque locis, perſonis, vel ordinibus, ſub quacumque forma, vel expreſsione verborum ab eadem Sede conceſsis. De quibus eorumque totis tenoribus etiam

etiam de verbo ad verbum in noſtris Literis mentio ſit habenda, & per quæ, præſentis Mandati noſtri effectus valeat quomodolibet impediri. Inſuper volumus, quòd per te Frater Archiepiſcope, tenor præſentium, ſub tuo, vel Officialis tui Sigillo, ad tuos Fratres Suffraganeos tranſmittatur; cui per vos adhiberi volumus, velut ipſis Originalibus, plenam fidem. Datum Avinioni 8. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno ſexto.*

Qua ſiquidem copia ſivè ſchedula, per dictum Antonium Domino Cardinali memorato tradita, idem Antonius ipſum D. Cardinalem inſtanter requiſivit, quatenus venerabilibus Viris Literarũ Apoſtolicarum Regiſtratoribus, per ſuas literas ſcriberet, eiſque nihilominus Authoritate Apoſtolica, ſibi in hac parte commiſſa, præciperet & mandaret, ut literas in dicta ſchedula (hoc eſt in Bulla Eimerici) contentas in Regiſtris eis commiſsis diligenter perquirerent, & ſi eas repererint, ſumptum ſive tranſumptum earumdem clauſum & ſigillatum, prout moris eſt in talibus fieri, ac ita & taliter quòd eis fides adhiberi valeret, præfato Domino Cardinali tranſmitteretur, expenſis moderatis dicti Antonii, ut ipſo mediante poſſet & valeret partibus ſupradictis debitum juſtitiæ adminiſtrare; quoniam præfatus Antonius pro ſui Juris fundamento ſumptum prædictarum literarum coram dicto D. Cardinali (ût aſſeruit) producere intendebat.

Qui quidem D. Cardinalis Judex & Commiſſarius attendens, quòd juſta petentibus non eſſet denegandus aſſenſus, ſupradictarum Literarum Apoſtolicarum Regiſtratoribus, modo & forma per dictum Antonium ſuperiùs petitis, per ſuas literas Authoritate Apoſtolica ſcripſit & mandavit, ipſaſque per Porterium & Nuncium ſuum juratum eiſdem Regiſtratoribus præſentari fecit. Qui Porterius poſtmodum D. Cardinali Judici & Commiſſario memorato, ac mihi Notario infraſcripto retulit, qualiter dicti Domini Literarum Apoſtolicarum Regiſtratores in Regiſtris eis commiſsis anni ſexti prefatæ felicis Recordationis Domini Gregorii Papæ XI. diligenter perquiſiverunt, & facta diligenti perquiſitione eidem Porterio (ût aſſeruit) di-

*Hæc eſt Bulla tradita ab Eimerico.

dixerunt, quòd in eiſdem *Regiſtris literas* in ſupraſcripta papyri ſchedula contentas *non repererunt regiſtratas.*

Subſequenter autem venerabilis Vir Dominus Joannes à Bonis unus de Literarum Apoſtolicarum Regiſtratoribus, in mei Notarii prædicti & teſtium fide dignorum præſentia, Domino Cardinali Judici & Commiſſario præfato retulit & dixit, quòd dictam ſchedulam (Bullam) in Regiſtro ſibi commiſſo, *Anni ſexti dicti Domini Gregorii*, per ſuos Clericos non ſolùm ſemel, ſed pluries diligenter perquiri fecit, & quòd *literæ* in ſæpè dicta ſchedula contentæ *in ſuo Regiſtro non fuerunt neque erant regiſtratæ.*

Deinde prefatus Porterius & Nuncius juratus literas dicti D. Cardinalis unà cum ſchedula, ſive copia præinſerta, prædicto D. Cardinali reportavit, & mihi Notario infraſcripto retulit, & dixit quòd venerabiles Viri Domini Bernardus Fortis alter de Literarum Apoſtolicarum Regiſtratoribus, & Joannes Ludovic Cameræ Apoſtolicæ Notarius, in dorſo dictæ ſchedulæ ſive copiæ per ipſum (ût præmittitur) reportatæ, & (ût præfertur) præinſertę, ſcripſerunt in hunc modum, ût ſequitur.

„ Notum ſit omnibus; „ quòd ego Bernardus Fortis „ Literarum Apoſtolicarum „ Regiſtrator *perquiſivi diligenter Regiſtrum* mihi commiſſum Anni ſexti ſanctæ „ Memoriæ Domini Gregorii „ Papæ XI., & quòd in eodem „ Regiſtro *literas* in præſenti „ ſchedula papyri annotatas „ *non reperio regiſtratas.* In cujus rei teſtimonium hìc manu propria ſubſcripſi & ſignavi. *Die 9. Julii*, Anno à „ Nativitate Domini *milleſimo „ trecenteſimo nonageſimo quinto.* Bernardus Fortis Regiſtrator.

„ Notum ſit omnibus, „ quòd ego Joannes Ludovici „ Cameræ Apoſtolicæ Notarius perquiſivi *diligenter Regiſtrum* Literarum Apoſtolicarum, eamdem Cameram „ tangentium Anni ſexti Pontificatûs ſanctæ Memorię *Domini Gregorii Papæ XI.* & „ quòd in eodem Regiſtro *Literas* in præſenti ſchedula papyri annotatas *non reperio regiſtratas.* In cujus rei teſtimonium hìc manu propria „ me ſubſcripſi & ſignavi. *Die „ 9. Julii*, Anno à Nativitate Do-

„ Domini *milleſimo trecenteſi-*
„ *mo nonageſimo quinto.* Joan-
„ nes Ludovici.

Tandem die & hora infraſcriptis coram Domino Cardinali Judice & Commiſſario præfato, in meique Notarii publici, & teſtium infraſcriptorum ad hæc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia, perſonaliter conſtitutus prædictus *Antonius Riera*, citra tamen Procuratoris ſui revocationem, & de præmiſſis omnibus, & ſingulis, mandato, relationibus, & aliis ſupraſcriptis & deſignatis à tempore traditionis dictæ præinſertæ ſchedulæ, & citra factis, petiit ſibi fieri unum vel plura, publicum ſeu publica, Inſtrumentum vel Inſtrumenta per me Notarium publicum infraſcriptum.

Acta fuerunt hæc Avinioni in domo habitationis dicti Domini Cardinalis, horâ nona vel quaſi, ſub anno à Nativitate Domini *milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto* indictione tertia, die Sabbati 10. Menſis Julii, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Benedicti Divina Providentiâ Papæ XIII. Anno primo, preſentibus ibidem venerabilibus Viris Dom. Durando Tonduci in Decretis Licentiato, dicti D. Cardinalis Camerario, ac Magiſtro Dominico Pavardi in utroque Jure Baccalaureo hâc in Romana Curia Procuratore, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis.

„ Et ego Thoyco Rodul-
„ phi de Camicavilla Cleri-
„ cus Tarraconenſis Diœce-
„ ſis, publicus Imperiali Au-
„ thoritate Notar. ac præfati
„ Reverendiſsimi in Chriſto
„ Patris & Domini Cardina-
„ lis Judicis & Commiſſarii,
„ & cauſæ hujuſmodi, co-
„ ram eo Scriba, præmiſsis
„ omnibus & ſingulis, dum
„ ſic (ût præmittitur) age-
„ rentur & fierent, unà cum
„ prænominatis teſtibus præ-
„ ſens interfui, eaque ſic fie-
„ ri vidi & audivi; ideoque
„ hoc præſens publicum Inſ-
„ trumentum, per alium, me
„ aliis occupato negotiis;
„ ſcriptum, in hanc publi-
„ cam formam redegi, hìc-
„ que manu propria ſubſcrip-
„ ſi, & ſigno meo ſolito &
„ conſueto ſignavi rogatus &
„ requiſitus, in fidem & teſ-
„ timonium omnium & ſingu-
„ lorum præmiſſorum.

Item ad probandum *ſubreptionem prædictæ Bullæ* dixe-

runt, quòd poſito, ſed non affirmato, imò expreſsè & cum omni veritate denegato, prout per ſuperiùs poſita eſt oſtenſum, quòd Bulla ſupradicta fuerit à Curia emanata, tamen nullo modo poterat excuſari, quin fuerit *ſubreptitiè ac etiam obreptitiè* impetrata; eò quia errores, ſeu Articuli erronei & hæreticales, qui in dicta Bulla generaliter (ût prædicitur) & confusè aſſeruntur in Libris Doctoris Raymundi contineri, *in ipſis nuſquam inveniuntur*: benè inveniuntur loca, à quibus *nimis malitiosè* fuerunt cum *falſitate abſtracti*, ſive *translati* centum Articuli, quos dictus Inquiſitor affirmavit eſſe de numero illorum, in Bulla confusè tactorum, inſerendo ipſos, ſic *falſificatos*, in quodam Quaterno ſua propria manu ſcripto, nominato in Inſtrumento, ſtatim inferiùs inſerto, condemnatio. In quo Quaterno ſunt poſita nomina Librorum, & ſeries Articulorum. Nam ipſi centum Articuli comprobati cum Libris Doctoris, inveniuntur in dicto Quaterno, modò per *additionem*, modò per *abſtractionem*, modò per *mutationem intentionis* prædicti Doctoris, *falſo modo aſſumendo*, *ſeu Interpretando* ipſam; modò per *truncatam* verborum dicti Catholici Doctoris *poſitionem*, hæreſi & erroribus maculati; ſed prout ſunt ipſi prædicti centum Articuli in ſua integra veritate in Libris Doctoris originaliter ſcripti, inveniuntur *veri* & *Catholici*, & à rubigine hæreſis omnino alieni.

Et ad faciendam veram demonſtrationem falſæ *Tranſlationis* ſeu *Interpretationis* Articulorum prædictorum, produxerunt in ſui prima forma quoddam publicum Inſtrumentum actum per Reverendum Magiſtrum Bernardum Ermengandi Provincialem Prædicatorum, & Inquiſitorem hæreticæ pravitatis in Provincia Aragoniæ, de quadam *Examinatione*, per ipſum cum Magiſtris in Theologia Monaſterii Prædicatorum Barcinonæ, & Monaſterii Fratrum Minorum dictæ Civitatis, factâ de quodam Libro dicti Doctoris intitulato *Philoſophia Amoris*; in quo Libro *falsè* affirmatur inter contenta in dicto Quaterno propria manu dicti Fratris Nicolai Eimerici ſcripto, qui Quaternus (prout ſuperius continetur, *Condemnatio* in proximè dicto Inſtrumento

nunc

nuncupatur) quòd erant inventi tres Articuli erronei & hæreticales, prout prædicta *falſitas* in prædicto Inſtrumento *Examinationis* fuit autenticè declarata. Cujus quidem Inſtrumenti, quod fuit per pendens ſigillum Magiſtri Bernardi Ermengandi Provincialis, & Inquiſitoris prædicti, & per ipſius & aliorum Magiſtrorum Ordinum Prædicatorum, & Minorum ſubſcriptiones manu propria cujuslibet ipſorum roboratum: tenor talis eſt.

Noverint univerſi, quòd die Sabbati decima nona die Maii, Anno à Nativitate Domini *milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſexto*, in præſentia mei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum, exiſtentibus perſonaliter in Monaſterio Fratrum Minorum Barcinonę, Reverendo Patre *Magiſtro Bernardo Ermengandi Provinciali Prædicatorum & Inquiſitore hæreticæ pravitatis in Provincia Aragoniæ*, nec non & Fratre Antonio Falqueti, Fratre Franciſco Marmandi in Sacra Pagina Magiſtris de dicto Ordine Prædicatorum; Fratre Arnaldo Peregrini Confeſſore Illuſtriſsimæ Dominæ Reginæ Aragonum, Fratre Bernardo Broll in eadem Sacra Pagina Magiſtris, Fratre Berengario Laqueti Cuſtode, Fratre Guillelmo Arago Lectore, Fratre Dalmatio de Claſclario, Fratre Joanne de Pagueria Baccalaureo, Conventualibus Barcinonæ dicti Ordinis Fratrum Minorum, in Camera ſcilicet, ſive Cella, quam præfatus Religioſus Magiſter Arnaldus Peregrini tenet in dicto Monaſterio Fratrum Minorum.

Præfatus Reverendus Dominus Inquiſitor dixit & propoſuit, quòd ad inſtantiam quorumdam amicorum venerabilis Raymundi Lullii quondam Civis Majoricarum, ipſe pro infraſcriptis vocaverat ad conſilium omnes dictos Magiſtros & Fratres, & narravit ibidem: quomodo tempore Sanctiſsimi in Chriſto Patris & Domini D. Gregorii Sanctæ memorię Papæ undecimi, Reverendus Pater Magiſter Nicolaus Eimerici Ordinis Prædicatorum, tunc Inquiſitor hæreticæ pravitatis in Provincia Aragoniæ fecerat condemnari *aliquos Articulos*, quos dicebat ſe inveniſſe in diverſis Libris dicti Raymundi Lullii, nominando ipſos Libros; inter quos autem Articulos erat

(ut

(ût dixit idem Dominus Inquiſitor Magiſter Bernardus) tres, quos idem Magiſter Nicolaus dicebat ſe inveniſſe in quodam Libro facto per dictum Raymundum Lullium, intitulato *Philoſophia Amoris*, quos *Articulos* dictus venerabilis D. Inquiſitor Magiſter Bernardus Ermengandi tradidit mihi Notario in ſcriptis, compoſitos in latino, & ſunt iſti.

Primus, quòd Deus habeat multas eſſentias.

Secundus, quòd in faciendo bonum non oportet expectare quòd Deus incipiat, quia jam incepit quando nos creavit, & pro conſervatione noſtra mundum nobis dedit, ut ei ſerviamus & eum honoremus.

Tertius eſt, quòd Virtus eſt ita bona & quantitate magna, quòd omnis homo poteſt eam habere pro ſua voluntate.

Dixit etiam & aſſeruit idem Dominus Inquiſitor Magiſter Bernardus, quòd ipſe viderat & recognoverat præfatum Librum *Philoſophiæ Amoris*, & quòd non invenerat in ipſo Libro dictos *Articulos condemnatos*, ût jacebant *condemnati*, licèt inveniſſet in eodem Libro tres Articulos, à quibus dicti tres Articuli condemnati fuerant abſtracti: quos ſimiliter idem Dominus Inquiſitor Frater Bernardus tradidit mihi dicto Notario, ût erant ſcripti in ipſo Libro intitulato *Philoſophia Amoris*, quem in manu tenebat ſcriptum in vulgari; & ſunt iſti.

Primus. Quæſtio. *Graneſa de amor, dix lamich, en mon amat ha moltas eſſencias?* Solutio. *Amich, dix graneſa de amor, en les definicions compoſtas al meu capitol es ſignificat, quel amich es tan lligat ab ſon amat per una eſſentia damdos, que nos poden departir.*

Secundus ponitur ſic. *Dones è donzelles damor, dix lamich, manifeſta rao es, quel Amat vol eſſer honrat en lo mon tots tems, è vol ſalvacio de homens, è no damnacio. E per aſſo nigu no pot ne deu inculpar lamat, que ell no vulla eſſer honrat, ne ſalvacio de gents, perque lo defalliment no es de part de Deu, mas es de part dels homens, que nol volen honrar. E voſaltres jam havets dits, que nous cal, que jous prech, que ſiats en mon amor: ans ne pregat voſaltres mi, que jo vos hi vulla metre. En axi es de Deu, nous cal eſperar que ell comens, car ja ha comenſat, en quant ha los*

los homens creat, è lo mon lus ha donat per ſo quel tengan en lur cor en lo mon honrat. Comencem donchs à honrar lamat, è anem per lo mon ſa è la per honrar lamat.

Tertius Articulus ponitur ſic ad literam. *Amadors, los Angels, Cel, Elements, Plantes, Beſties, Homens, è tota res, qualque ſia, ha virtut per la virtut de mon Amat; car enaxi compren la ſua virtut totes altres virtuts, com la ſua boneſa totes les altres boneſas, è la ſua graneſa totes les altres graneſas. E tothom, que vulla haver morals virtuts per amor de la virtut de mon Amat, ne porà aytantes haver, è en aytanta boneſa è graneſa, com ne porà voler.*

Quibus prolatis & narratis dictus Reverendus Dominus Inquiſitor Magiſter Bernardus Ermengandi interrogavit omnes ſuperiùs nominatos Magiſtros in Theologia, & alios ſupradictos Fratres Theologos, qui ibi erant collationem ſuper iis facientes, ſi dicti Articuli (ût in Latino jacent condemnati, & ſupra ſunt inſerti) erant in dicto Libro *Philoſophiæ Amoris*, vel ſi poterant elici ex dictis poſitis in Libro prædicto? Etiam interrogavit, ſi dicti Articuli ût jacent in dicto Libro eo modo quo dictum eſt, (ût ſupra ſunt inſerti) ſunt boni, veri & catholici?

Et omnes dicti Magiſtri & alii Fratres, per dictum D. Inquiſitorem Magiſtrum Bernardum interrogati per capita, tenentes & legentes ibi coram omnibus prædictos tres Articulos condemnatos, & prædictum Librum *de Philoſophia Amoris*, dixerunt quòd ſemel & pluries quilibet per ſe viderat & recognoverat aſſiduè & diligenter prædicta, & quòd dicti Articuli condemnati, ût jacebant & ſupra ſunt inſerti, *non erant in dicto Libro, nec poterant elici ab eo*: & quòd Articuli ſupradicti poſiti in Libro prædicto Philoſophiæ Amoris erant *boni, veri & catholici.*

Dixerunt præterea & affirmarunt omnes prædicti Magiſtri & Fratres, quòd eſto, quòd dicti Articuli poſiti per dictum venerabilem Raymundum Lullium eo modo quo ſunt poſiti, ût ſupra ſunt inſerti in vulgari, ab omnibus poſſunt videri *veri & Catholici, multò magis legendo præcedentia & ſequentia ipſius Libri; & inſpectis aliis ſuis Libris patet clarè* (*ût dixerunt*)

præ-

prædictos ſuos Articulos eſſe veros & catholicos, & Articulos condemnatos nullo modo eſſe ſuos, nec ſuæ intentionis. Nam (ût dixerunt) de Eſſentia Dei, de quo eſt primus Articulus, loquitur dictus venerabilis Raymundus Lullius in quodam Libro intitulato de *Infinito Eſſe*, in Capite *de Trinitate, in fine primi paragraphi* in hunc modum (ût dixerunt).

Dicimus autem quòd producens eſt Deus Pater, & productus Deus Filius, & procedere eſt Deus Spiritus Sanctus, tres Perſonæ diſtinctæ in numero, & unus Deus & non plures, & una Eſſentia, Subſtantia & Natura.

Item dixerunt contineri in alio Libro intitulato *de Sanctitate Dei* quaſi in principio, dicendo quòd *Deus Sanctus eſt, & quælibet ſua dignitas eſt Sancta*; concludit (ût dixerunt) quòd *unus eſt Deus, una Sanctitas, Eſſentia, Subſtantia, & Natura.*

Etiam (ût dixerunt) in alio Libro intitulato *de Eſſentia perfecta*, in Capite *de Eſſentia Dei*, quaſi in fine dicti Capitis, ubi loquitur de Dignitatibus divinis dicit ſic (ût dixerunt) *quælibet iſtarum ſignificat Eſſentiam; non autem dicimus plures Eſſentias, ſed unam Divinam Eſſentiam quam vocamus Deitatem.*

Etiam dixerunt prædicti Magiſtri & Fratres, quòd per verba infraſcripta contenta (ût dixerunt) ibidem, in Libro prædicto *Philoſophiæ Amoris*, in Capite intitulato *de Veritat de Amor*, in ſecundo paragrapho, ubi (ût dixerunt) continetur ſic: *no poden eſſer nombrats en Eſſentia de amor Amich è Amat ſens vera differencia damdos*: apparet evidenter (ût dixerunt) quòd dictus venerabilis Raymundus Lullius loquutus fuit in ſolutione quæſtionis dicti primi Articuli *de Eſſentia Amoris*, & non *de Eſſentia Divina.*

De ſecundo verò *Articulo condemnato*, ubi continetur *quòd in faciendo bonum, &c.* dixerunt dicti Magiſtri & Fratres, quòd dictus venerabilis Raymundus Lullius in ſuo Articulo poſito in vulgari (ût ex ejus tenore clarè liquere dicebant) loquitur *de Amore*, & non de *Operatione bona facienda*, ſicut ſonat Articulus condemnatus.

Et ad iſtorum evidentiam affirmarunt prędicti Magiſtri & Fratres, quòd in quadam Quæſtione facta (ût dicebant) in

in dicto *Libro Philoſophiæ Amoris*, in Capite intitulato *de las Obras de Deu & de Amor*, demonſtravit dictus Raymundus Lullius ſe bene ſcire, credere, & intelligere *quòd Deus habeat concurrere in qualibet bona operatione.* Dicit enim (ſicut dixerunt) Quæſtio. *Quant ha lamat obra en home? E reſponch lamich, lamat ha tota hora obra en home ab mija, è ſens mija: ab mija, en quant li fa fer un be ab altre: ſens mija, en quant per ſi matex lo mou à fer be.* Quòdque in alio loco dicti Libri *Philoſophiæ Amoris*, videlicet in Capite intitulato *de Libertat de Amor*, in fine penultimi paragraphi, demonſtrat dictus venerabilis Raymundus Lullius (ût ſupradicti dixerunt) ſe ſcire & credere, *quòd aliquis ſinè auxilio Divino non poteſt bene operari.* Dicit ſiquidem: *quel amich dix à Amor: jo voldria donar à mon amat tot ſo, que ell me ha donat, ſo es à ſaber &c. Y diu apres: empero jo nou puch donar, ſens que ell no mo faſa donar.* Unde dixerunt & affirmarunt omnes dicti Magiſtri & Fratres, quòd dictus venerabilis Raymundus Lullius in iſto ſecundo Articulo non loquebatur ſecundùm formam, nec intentionem *Articuli condemnati*, ſed loquebatur *de Amore Dei*, qui ab æterno nos dilexit.

De tertio autem *Articulo condemnato*, ubi continetur quòd virtus eſt ita bona &c. dixerunt dicti Magiſtri & Fratres, quòd dictus venerabilis Raymundus Lullius in ſuo Articulo poſito in vulgari loquitur ſolùm de *virtutibus moralibus* & non de *gratuitis*, prout apparere dicebant in ipſo tertio Articulo ſuperiùs inſerto: quoniam in alio loco dicti Libri, videlicet in Capite intitulato *del ſolaz del Amor*, in ſeptimo paragrapho demonſtrat dictus venerabilis Raymundus, (ût dixerunt) quòd prædicta non intelligat de virtutibus gratuitis, ubi dicit: *que parlavan lamich è lamor de tempranſa è de ſperanſa, que ſon carreras per las quals amadors van al Amat. E dix lamich que per tempranſa, qui es gran è bona virtut, eſperava haver la gloria de ſon Amat. Acuſa lamor lamich à ſon Amat &c.* Et dicit poſtea, *quel Amat trames juſticia al amich per ſo quel punis, per ſo car per ſos merits cuydava haver ſalvacio.*

Dixerunt etiam dicti Magiſtri & Fratres, quòd in aliis locis dicti Libri *Philoſophiæ*

Amoris videtur clarè quòd dictus venerabilis Raymundus Lullius loquebatur de *dicto Articulo* & de aliis ſuperiùs contentis *regulatè*, *benè*, *verè* & *Catholicè*; & ideo omnes, tam dictus Reverendus Inquiſitor Magiſter Bernardus Ermengandi, quàm dicti alii Magiſtri & Fratres ſuperiùs nominati, in dicto loco congregati, unanimiter concordantes, nemine diſcrepante, narratione facta de prædictis (ût ſuperiùs eſt dictum) in præſentia mei dicti & infraſcripti Notarii, & teſtium infraſcriptorum *concluſerunt*, & dixerunt ibidem ſingulariter & diſtinctè.

Primò: per dictum Inquiſitorem ſua intentione prolata, quòd dicti Articuli, ût jacent *condemnati*, licèt, ût jacent in *condemnatione*, bene fuerint condemnati, tamen *non ſunt conſcripti in dicto Libro Philoſophiæ Amoris, nec ab eo, nec à contentis in eo poterant elici, nec intelligi formaliter nec æquipollenter, tacitè vel expreſsè, directè nec etiam indirectè*: imò ipſi Articuli condemnati, qui ſuperiùs ſunt inſerti in Latino, malè Libro dicto fuerunt attributi, & quòd *Articuli prædicti* in vulgari poſiti in dicto Libro *Philoſophiæ Amoris*, qui ſuperiùs pariter ſunt inſerti, ſecundùm præcedentia & ſequentia & modum loquendi Doctoris ſunt *boni, veri, fideles, & catholici, & nulla rubigine hæreſis maculati*: prædicta (ût dixerunt) pro concluſionibus capientes.

Quibus ſic factis & dictis, in continenti (ſtatim) venerabilis *Joannes Lullius* ibidem præſens, & vices portans in hac parte (ût dixit) & ſuo nomine, & omnium dictorum amicorum dicti venerabilis Raymundi Lullii, petiit ſibi de prædictis fieri & tradi tot quot petierit *publica inſtrumenta* per me Notarium infraſcriptum, ad habendum memoriam de prædictis. Quæ fuerunt facta in dicto Monaſterio Fratrum Minorum Barcinonæ, in cella prædicta, die & Anno prædictis, præſentibus Religioſis Fratre Bernardo Magri, Fratre Antonio de Fonte, Fratre Michaele Peris Conventualibus dicti Monaſterii Fratrum Minorum ad hæc vocatis pro *teſtibus*, & me *Petro Dalmatii Notario infraſcripto*.

Ego Frater Bernardus Ermengandi Magiſter in Theologia, Prior Provincialis Fratrum Prædicatorum, & Inquiſitor hæreti-

ticæ pravitatis, manu propria ſubſcribo, & ſigillum Provincialatûs appoſui impendenti in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Antonius Falqueti Sacræ Paginæ Profeſſor hìc manu propria ſubſcribo.

Ego Frater Franciſcus Marmandi Sacræ Theologiæ Magiſter hìc propria manu ſubſcribo.

Ego Frater Arnaldus Peregrini, Sacræ Theologiæ Magiſter prædictus, ſubſcribo manu propria in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Bernardus Broll, Sacræ Theologiæ Magiſter prædictus, ſubſcribo manu propria in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Dalmatius de Caſtellario prædictus manu propria ſubſcribo.

Ego Frater Berengarius Laqueti prædictus manu propria ſubſcribo in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Guillielmus Arago prædictus ſubſcribo propria manu in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Joannes de Pagueria prædictus manu propria ſubſcribo in teſtimonium præmiſſorum.

Signum mei *Petri Dalmatii Authoritate Regia Notarii publici Barcinonæ*, qui prędictis, dum per dictos Reverendos Dominos Fratres Bernardum Ermengandi & alios ſuperiùs nominatos in dicta cella congregatos fiebant & dicebantur unà cum prænominatis teſtibus interfui requiſitus, & ea in hanc publicam formam ſcribi feci, & propriis ſubſcriptionibus ipſorum Fratrum, ac ſigillo Provincialatus prædicti appoſitis, clauſi. Conſtat autem de literis raſis in linea trigeſsima ſeptima, tuli.

Item ad monſtrandam etiam *falſam Translationem*, ſeu *Interpretationem* ſupra dictam per dictum Fratrem Nicolaum Eimerici in dicto quaterno factam, ponendo & affirmando, dictum Doctorem erroneè & hæreticè velle probare Articulos Fidei, & cętera alia quæ per Fidem ſunt credenda, produxerunt quamdam *Papyri ſchedulam* continentem multa & diverſa *Originalia* dicti Doctoris ſcripta in diverſis ſuis Libris, qui ibidem fuerunt cum dictis Libris *comprobata*. Cujus quidem *ſchedulæ tenor talis eſt.*

Dominus Raymundus ponit Articulos Fidei probabiles, ſive demonſtrabiles certo modo inferiùs aliqualiter

tacto, aliàs dicit quòd errores infidelium, per quos Fides impugnatur, non essent destructibiles: unde major falsitas prævaleret contra majorẽ veritatem, quę est veritas Fidei.

Item dicit, quòd aliter labor Theologorum esset inutilis, nam impossibile esset eis pervenire ad cognitionem eorum, quæ sunt Fidei; circa quam cognitionem semper laborant; & sic eorum labor careret fine, & per consequens merito & gloria.

Ulterius ponit quòd, si Articuli sunt demonstrabiles, ex eorum demonstratione sequitur Illuminatio dubitantium, Confirmatio credentium, & Directio incredulorum; & etiam sequitur major dilectio in anima hominis, cùm certum sit quòd illud bonum, quod magis intelligitur, magis diligitur. Multa alia habet motiva dictus Raymundus, quibus laboravit ad probationem Articulorum Fidei gratia adjuvante, sinè qua (ût ipse expressè dicit) talia esse non valerent.

Non intellexisse videtur (ût ipse in pluribus locis apertè dicit) quòd Articuli demonstrentur per *Causam*, cùm Deus non habeat causam supra se: nec per *Effectum*, cùm talis Demonstratio potissima non existat: nec *sine Fide*, quia, cùm finiti ad infinitum nulla sit proportio, oportet ut *mediante Fide* Articuli & intellectus hominis aliqualiter proportionentur.

Minùs intelligere videtur, quòd per talem Demonstrationem Articulorum veritas *comprehendatur*; quia infinitum non comprehenditur à finito, cùm finitum habeat terminos limitatos: videtur ergo intellexisse quòd talis demonstratio *sinè Fide est impossibilis*; & ideo sępe allegat in dictis suis dictum Isaię: *Nisi credideritis, non intelligetis. Cum fundamento* itaque & *præsuppositione Fidei* sua intentio existit, intellectum posse intelligere objectum primum; & ideo ponit in *Arte Magna* formaliter sic:

„ Quando intellectus intelligit objectum primum, „ *Fides disponit* ipsum ad intelligendum, sicut charitas „ disponit voluntatem ad amãdum ipsum objectum primum; & sicut voluntas non „ posset amare ipsum objectum primum sinè charitate, „ sic intellectus non posset intelligere ipsum objectum primum absque *Fide*.

Item

Item ponit in Libro *de Civitate Mundi*, *Capite de Fide*: „ *Fides* eſt habitus cum quo In„ tellectus aſcendit ad *intel„ ligendum* de Deo ea vera, „ quę de Deo intellectus per „ *Fidem credit*; quoniam ad ip„ ſa vera intellectus *ſinè Fide* „ aſcendere non poteſt ad *in„ telligere* : & per hoc inter „ *intelligere* & *credere* exiſtit „ concordantia; cùm intelli„ gere & credere ſint ſub *ea„ dem potentia*, ût puta intel„ lectus humanus, qui *credit* „ ut poſsit *intelligere*: & hoc „ ſignificatum eſt per Iſaiam „ Prophetam dicentem: *Niſi „ crediderit is non intelligetis.*

Item in eodem Libro *Capite de Fortitudine* dicit ſic: „ Dixit Fortitudo, ſum habi„ tus moralis, cum quo forti„ fico voluntatem humanam „ ad acquirendum virtutes, & „ ad evitandum peccata; ipſa „ autem voluntas per ſe nuda, „ non habet poteſtatem ad „ hoc, niſi de me ſit habitua„ ta: ſicut humanus intellec„ tus, qui non poteſt per ſe „ *intelligere ullam Articulum „ Fidei*, niſi de *Fide* ſit habi„ tuatus.

Item ponit in Libro *primæ & ſecundæ Intentionis &c.* de Fide: „ Fides eſt intentio „ *credendi* veritatem, quam in„ tellectus nequit *intelligere*. „ Et ſequitur quaſi in fine dic„ ti Capitis: ſi vis *intelligere* „ Fili id quod *credis*, *ſuppone* „ illud poſsibile eſſe verum; ſi „ enim ſuppoſueris, Fides eſt „ tibi, cùm *ſuppoſitio* ſit per „ Fidem, & per ipſam eleva„ tur intellectus ad intelligen„ dum; ſi verò *ſupponere* no„ lueris, injuriaris intentioni „ quare Fides eſt &c.

Item ponit in Libro intitulato *Declaratio Raymundi per modum Dialogi*, &c. *in Cap.* 16. quaſi in principio: „ *Fides* eſt „ ipſa virtus, quæ *intellectum* „ cogit ad *credendum* vera de „ Deo, quæ homo non intelli„ git per neceſſarias rationes; „ & eſt virtus, quę hilaritet „ facit *voluntatem* hominis „ amare veritates Dei, quas „ *intellectus* ipſius credit: & „ ideo Fides eſt una communis „ conceptio virtuoſa & verus „ habitus, in quo *intellectus* „ habet *paſsionem* & voluntas „ actionem &c. Et ſequitur:

„ Adhuc Sortes, tu, qui „ te dicis eſſe Philoſophum, „ debes ſcire, quòd *Fides* eſt, „ ut ipſa ſit ſubjectum in quo „ reſtaurentur veritates, quas „ intellectus non poteſt intel„ ligere propter aliquod im„ pe-

„ pedimentum, quod venit ex „ parte ſenſitivæ, aut imagina„ tivę, quas veritates non poſ„ ſet attingere ipſe intellectus, „ ſi non haberet *habitum Fi„ dei* in quo reſtaurentur, *cre„ dendo*, authoritates conceptæ „ per *Fidem* & non per neceſ„ ſitatem cognitę: & talis *Fi„ des* eſt ita intellectui & vo„ luntati neceſſaria, ut ipſe in„ tellectus & ipſa voluntas „ veritates Dei poſsint con„ templari, ſicut eſt eis neceſ„ ſaria imaginatio, in qua „ etiam objecta ſenſitivę va„ leant attingere quæ ſunt ſi„ bi abſentia, quę non poſſent „ attingere ſinè imaginativa, „ quę à ſenſitiva accipit ob„ jecta cum phantaſia: & ſi„ cut ipſa imaginativa accipit „ objecta, ſic ipſa intellecti„ vo & amativo repręſentat il„ la, quando ſcilicet ipſum „ intellectivum & amativum „ ipſa objecta requirunt.

.. Adhuc dico tibi quòd „ *Fides eſt neceſſaria ad intelli„ gendum* veritates Dei; quo„ niam in principio, cùm in„ tellectus ipſas inveſtigat, *ſup„ ponit per Fidem* quòd illas „ poſsit attingere & invenire, „ non ſicut *comprehendens*, ſed „ ſicut *apprehendens*: & hoc *in„ tellectus* non poſſet facere, ſi „ ſe *habitu Fidei* in principio „ inveſtigationis non indue„ ret, juvante tamen gratia „ Dei; & tunc tranſit ad *intel„ ligendum* veritates Dei per „ *Rationes neceſſarias*, cum qui„ bus ipſas ante non intellige„ bat; verumtamen ſemper re„ manet *habitus Fidei* ſuſtenta„ tus in *intellectu* ad hoc, ut, „ ſi intellectus perdat illas ve„ ritates quas attingit & ap„ prehendit, recurrat ad *habi„ tum Fidei* & cum illo illas „ credat.

„ Sed hoc non faciunt ali„ qui Philoſophi, qui nihil „ ſupponunt de veritatibus „ Dei ſecundùm *Fidem*, ſed „ ſtant ad hoc quod poſſunt „ attingere ſecundùm aliqua „ ſignificata naturalia repræ„ ſentata per effectum; idcir„ co multoties falluntur prop„ ter impedimentum ſenſitivæ „ & imaginativæ: & de hoc „ ſupra in Prœemio dedimus „ exemplum in ultima poſitio„ ne. Et, cùm tales Philoſo„ phi illas veritates perdunt, „ non habent in quo ipſæ reſ„ taurentur, quoniam *habi„ tum Fidei* non habent: id„ circo in ipſis eſt infirma Phi„ loſophia, & intellectus ip„ ſorum in errore, ſicut guſ„ tus infirmi ad dulcedinem po-

„ pomi: ideo dicit quidam „ ſapiens quòd ingrediens ad „ ſcientiam Philoſophiæ per „ *habitum Fidei* poteſt brevio„ ri tempore eſſe philoſophus „ & habere magnum intellec„ tum, quàm ille qui ingredi„ tur ad ipſam ſinè *habitu Fi„ dei*, &c.

Item ponit in Libro *Diſputationis Intellectûs & Fidei, in ſecundo Capite*, quod incipit: Tunc Fides ait Intellectui, quaſi in medio dicti Capitis, ubi Intellectus dicit Fidei: „ Adhuc dico tibi, quòd „ principaliter non es creata „ propter meritum hominum, „ ſed ut Deus ſit recolitus „ intellectus & à ſuo popu„ lo ſit dilectus; cùm plus di„ cat de bonitate & nobilita„ te Deum recolere, intelli„ gere & amare, quàm ho„ mines remunerare. Rurſum „ dico: ſuppoſito, quòd Ar„ ticuli poſsint probari, ho„ mines non amitterent me„ ritum *intelligendi & amandi*, quoniam ſcriptum eſt: „ Nullum bonum dilectum, „ niſi cognitum. Et Iſaias di„ cit: *Niſi credideritis non in„ telligetis*; & ſic patet quòd „ tu, *Fides*, *es diſpoſitio & „ præparatio*, per quam ego „ à Deo ſum diſpoſitus ad res „ altas: quare in hoc, quod „ ego per te *ſuppono creden„ do* quòd poſsim aſcendere, „ habituo me de te; & ſic „ tu es in me, & ego in te; „ &, quando aſcendo ad gra„ dum in quo tu es *intelligen„ do*, tu *credendo* aſcendis ad „ gradum ſuper me altiorem: „ quoniam, ſicut oleum natat „ ſuper aquam, ita tu ſem„ per ſuper me commoraris; „ & ratio hujus eſt, quia ha„ bes majorem vigorem in „ omnibus aſcendendi *ſuppo„ nendo*, eò quia non labo„ ras, quàm ego qui, quan„ do aſcendo *intelligendo*, tunc „ laboro. Et ſequitur in *fine „ dicti Capitis*: Adhuc, quia „ ſuppono quòd, ſi *intellige„ re* mihi deficeret, recurre„ rem ad te per *Credere*: quo„ niam, ſicut frigiditas aquæ „ remanet in ipſa aqua in ha„ bitu quando eſt calida, ſic „ tu remanes *in habitu* quan„ do *intelligo*.

Item in proximè dicto Libro incipit *tertium Caput*, ubi *Fides* alloquitur *Intellectum* ſic: „ Frater non iraſcaris contra „ me, cùm ſim cauſa quòd „ tu valeas exaltari, in hoc „ quòd *diſpono te ad intelligen„ dum*, ſicut tumet ſuperiùs „ conceſsiſti; & ſic permanes „ in

„ in *intelligendo* per tuam na-
„ turam, ſicut de te data eſt
„ ſupra definitio, & intelli-
„ ge hæc verba: Tu bene ſcis
„ quòd *Divina Trinitas ſit in-*
„ *comprehenſibilis*, eò quia eſt
„ infinita & tu es finitus, &
„ quia inter infinitum & fi-
„ nitum nulla eſt proportio:
„ unde ſequitur quòd tu in
„ via *non potes attingere Divi-*
„ *nam Trinitatem per Rationes*
„ *neceſſarias*; quia, ſi ſic, jam
„ finitum comprehenderet in-
„ finitum; quod eſt impoſſi-
„ bile, & diſſonum rationi.

„ Ait *Intellectus*: *Fides* ſo-
„ ror mea, non iraſcor con-
„ tra te, ſed tibi profero ve-
„ ritatem, & doleo quia gen-
„ tes non utuntur me inten-
„ ſivè, ſecundùm gradus al-
„ tos ad quos de me poſſent
„ habere uſum; & ad tuam
„ Poſitionem ſic reſpondeo.
„ Concedo hoc, quod dicis
„ de *Incomprehenſibilitate Di-*
„ *vinæ Trinitatis*, & de mea
„ *finitate*; ſed dico quòd ſi
„ de *Divina Trinitate* habeo
„ aliquas *Rationes neceſſarias*,
„ non ſequitur quòd ſim *Com-*
„ *prehenſor*, ſed tantùm *Ap-*
„ *prehenſor*: quoniam, ſicut
„ digitus poſitus in una par-
„ te ferri igniti ſentit in par-
„ te caliditatem ignis, ſed non
„ totam caliditatem, eò quia
„ non tangit totum ſubjectum
„ ejus, ſed partem; ſic à ſi-
„ mili ſecundùm modum *in-*
„ *telligendi*, ratione infuſionis
„ & gratiæ *Divinæ Trinitatis*
„ & ſuæ maximæ *Intelligibili-*
„ *tatis* bene poſſum particula-
„ riter ſecundùm me aliquid
„ attingere de ſuo Lumine ve-
„ ritatis; quoniam non eſt ali-
„ quis qui poſsit eam contra
„ hoc ligare, neque etiam me,
„ ſi ei placet: imò miror de te
„ quare non conſideras quòd,
„ ſicut Divina Voluntas infun-
„ dit in via *Charitatem* ratio-
„ ne gratiæ in humanam vo-
„ luntatem, ut homo per ip-
„ ſam ſit charitativus ad agen-
„ dum bonum, quare non ſic
„ Divina ſapientia per gratiam
„ infundat *Sapientiam* in me
„ ut attingam de *Divina Tri-*
„ *nitate*, quæ mihi ſufficiant
„ ad ipſam *intelligendo* & om-
„ nes objectiones contra ip-
„ ſam deſtruendo etiam ad
„ ſororem meam *Voluntatem*
„ *diligendo*? Cùm ſinè mea al-
„ ta *intelligibilitate* ipſa non
„ poſsit habere amorem ſatis
„ altum, &c.

Et ſequitur in *fine dicti Capitis*: „ Et audias *Fides*:
„ ſuppoſito quòd non poſsim
„ attingere *Divinam Trinita-*
„ *tem*

„ *tem* in aliquo, ſi aliquis „ infidelis multùm literatus „ & ſubtilis vellet deſtruere „ te *per Rationes* apparentes, „ cum quo ego poſſem te ad- „ juvare? *per te* non, quia „ ipſe nollet *Credere*: ſequi- „ tur ergo quòd *per me*, cùm „ veritas ſit ſuper falſitatem „ ſic in modo Intelligendi, ſi- „ cut in modo Credendi; alio- „ quin ego eſſem excuſatus in „ via ad reſiſtendum *falſitati* „ quæ eſt contra te & con- „ tra *Divinam Trinitatem*, & „ *poſſem eſſe otioſus ſinè pec-* „ *cato*; quod eſt impoſsibile, „ ſicut dixi: unde ſequitur „ quòd poſsim tantum attin- „ gere *veritatem Divinæ Tri-* „ *nitatis*, quòd poſsim reſiſ- „ tere falſitati quæ contra ip- „ ſam eſt, approbando illam, „ & deſtruendo errores qui „ contra ipſam ab infidelibus „ quotidie enarrantur.

Et in multis aliis locis, & quaſi in omnibus Libris in quibus Dominus Raymundus loquitur *de Fide*, prædicta ſua *Intentio* eſt clarè & expreſsè poſita; videlicet, quòd *Demonſtratio Articulorum Fidei ſinè Fide eſt impoſsibilis*. Item quòd nullo modo ipſorum Articulorum veritas eſt in via *Comprehenſibilis*, ſed bene cum *Fide aliqualiter Apprehenſibilis*.

Et ideo clarè & manifeſtè poteſt quilibet ſpeculari quòd prædictæ intentioni non contrarietur Authoritas Gregorii, quæ in contrarium ſolet allegari: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*, cùm in dicta Authoritate B. Gregorius loquatur *comprehenſivè*, prout ad literam apparet in hoc quod præcedit dictam Authoritatem; dicit enim: *Sed ſciendum nobis eſt quòd Divina Operatio, ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis, nec Fides habet meritum*, &c. Et etiam in hoc, quod ſtatim ſequitur poſt dictam Authoritatem, apparet B. Gregorium non eſſe contrarium, imò concordantem intentioni prædictæ, videlicet quòd Divina Myſteria poſsint apprehendi per *Rationes*; nam aliter non feciſſet *Rationem*, quam fecit dicendo: *Quid ergo mirum, ſi clauſis januis poſt Reſurrectionem ſuam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero Virginis exivit?*

Item etiam demonſtratur apertè *ſana Intentio* dicti Raymundi per Expoſitionem, quã fecit de dicta Gregorii Autho-

ritate, in cujus ultimo paragrapho continetur ſic: „Senſus Anagogicus eſt tranſcendens, quando conſiderat „quòd Beatus Thomas dixit „*Dominus meus & Deus meus*; „ipſe enim non vidit Deum „viſione ſenſuali, eò quia „Deus eſt inviſibilis, ſed vidit hominem: & ſic ſuper „experientiam viſionis ſenſualis tranſmutavit ſe ad „*Credere viſionis ſpiritualis*, „eò quia *Fides* attingit *veritatem* mediante aliquo *lumine intellectûs*: & ideo B. Gregorius non intellexit dicere meritum quoad experimentum ſenſibile, ſed quoad „*Credere*, neque negavit *Credere* diſpoſitum & præparatum per *ſentire*, ût figuratum eſt per ea, quæ dicta „ſunt à Beato Thoma per „*ſentire*; quoniam *habitus Fidei* eſt altior quàm *habitus „ſenſûs*.

Viſa ergo Intentione dicti Raymundi in ſuperiùs inſertis clarè poſita, monſtratur manifeſtè quòd non eſt repugnans nec devians, imò totaliter & expreſsè concordans cum dictis Sanctorum Doctorum: & ideo, qui voluerit contradicere prædictæ Intentioni dicti Raymundi, oportet quòd contradicat B. Thomæ, qui in *primo ſententiarum in fine tertii Quæſiti primæ Diviſionis* ait ſic: *Sed tamen Ratio manu ducta per Fidem excreſcit in tantum, ut ipſa credibilia penitùs comprehendat, & tunc ipſa quodammodo intelligit*: unde dicitur Iſaiæ 7. ſecundùm aliam literam: *Niſi credideritis, non intelligetis.*

Item quòd contradicat B. Auguſtino, qui in 2. de *Libero Arbitrio cap.* 2. ponit: *Rationem redditurus ſum, non ut Fidem reſpuas, ſed, ut ea jam Fide firmata tenens, etiam rationis luce conſpicias.*

Item ponit in Libro Quæſtionum: *Tria ſunt de genere credibilium: quædam ſunt quæ priùs creduntur, & poſtea intelliguntur; ſicut ſunt Articuli Fidei, qui ſunt ſupra Rationem.*

Item ponit in *Libro de Cognitione veræ Vitæ*, ubi talia inquit: *Cùm Chriſtus veritas & vita dicat, hæc eſt vita æterna, ut te ſolum verum Deum cognoſcant; conſtat profectò Naturam rationalem ad hoc ſolùm factam, ut Factorem ſuum intelligat, intelligendo diligat, diligendo in eo, qui eſt æterna vita, æternaliter vivat. Divinitatis ergo Eſſentiam ra-*

rationabiliter inveſtigare, eſt ad vitam feſtinare; illam verò negligendo ignorare, eſt utique ad mortem properare; quia nimirum hìc ab ea ignorabitur, & deinde à beata vita ſequeſtrabitur.

Item quòd contradicat Richardo de Sancto Victore, qui dicit: *quòd ad ea quæ ſunt Fidei, non ſolùm poſſunt haberi Rationes probabiles, ſed etiam neceſſariæ; licèt eas contingat interdum nos latere.* Item in Libro *de Trinitate* Capite 8. promittit ſe non *ſolùm Fide*, ſed etiam *Rationibus neceſſariis* Dei Unitatem & Perſonarum *Trinitatem* fore oſtenſurum.

Item quòd contradicat Anſelmo *in Monologio* 13. cap. ubi dicit: *Duo opuſcula feci, &c. ut certa Ratione, non Authoritate, quæ ad Deum pertinent manifeſtarem.*

Item produxerunt *primam & ſecundam* Partem cujuſdam Libri dicti Doctoris, intitulati *de Convenientia quam habent Fides & Intellectus in objecto*, quarum tenores ſunt, qui ſequuntur. „ *De prima* „ *parte.* Aliqui dicunt quòd „ non eſt bonum, quòd *Fides* „ poſsit probari, quia ſi ſic, „ amitteretur meritum, & *Fides* eſſet nulla; & ad hoc confirmandum adducunt iſtam Authoritatem: *Fides non habet meritum, ubi humana Ratio præbet Experimentum*: unde ad hoc ſic reſpondemus: omne Præceptum, quod fecit Chriſtus, eſt bonum; & ideo quando præcepit Beato Thomæ *Mitte manum tuam in latus meum*, bonum Præceptum fecit, ut Thomas haberet experientiam; primùm tamen dixit Thomas: *Niſi mittam digitum meum vel manum meam in latus ejus, non credam*: & quod Thomas dixit, verum ſignificatum eſt; quia factâ experientiâ remanſit *Fides*, quia ipſe dixit non credam.

Præterea nos magìs ſumus ad intelligendum, diligendum & recolendum Deum, quàm propter noſtrum meritum; cùm contemplari Deum ſit per prius, & noſtrum meritum per poſterius.

Item Beatus Petrus Apoſtolus in *ſua Canonica* dixit: Eſtote parati ad ſatisfactionem ſemper, omni poſcenti vos *Rationem* de iis, quæ in vobis ſunt *Fide & Spe*: Beatus Petrus autem contra

.. divinam ordinationem non .. dixit.

.. Iterum Beatus Auguſti- .. nus fecit Librum ad pro- .. bandam Divinam Trinita- .. tem, *ſuppoſito tamen merito* .. *Fidei*, contra quam Fidem .. ipſe non fuit, qui ſanctus .. erat.

„ Item S. Thomas de Aqui- „ no fecit unum Librum con- „ tra Gentiles, qui requirunt „ Rationes; quia nolunt di- „ mittere *Credere* pro *Credere*, „ ſed *Credere* pro *Intelligere*: „ ipſe autem in faciendo Ra- „ tiones contra Gentiles non „ intendebat deſtruere *Fidem*, „ quia vir ſapiens & catho- „ licus fuit.

„ Item Doctores Sacræ Pa- „ ginæ conantur, quantum „ poſſunt, deducere *Rationes* „ ad probandam *Divinam Tri-* „ *nitatem & Incarnationem*, &c. „ habentes ſanam mentem & „ intentionem ad exaltandam „ Sanctam Fidem: & ideo „ Ego, qui ſum verus Catho- „ licus, non intendo proba- „ re Articulos *contra Fidem*, „ ſed *Fide mediante*, cùm ſi- „ nè ipſa non poſsim proba- „ re; nam Articuli ſunt ſu- „ periùs, & meus intellectus „ eſt inferiùs; & *Fides* eſt ha- „ bitus cum quo *Intellectus* „ aſcendit ſupra ſuas vires; „ non autem dico quòd pro- „ bem *Articulos Fidei* per *cau-* „ *ſas*, quia Deus non habet „ cauſas ſupra ſe; ſed per ta- „ lem modum, quòd *Intellec-* „ *tus* non poteſt *rationabiliter* „ ipſas rationes negare, & „ poſſunt ſolvi omnes objec- „ tiones contra ipſas factæ, „ & Infideles non poſſunt deſ- „ truere tales *Rationes* ſive „ *Poſitiones*. Ipſa probatio ta- „ lis, ſive ſit Demonſtratio, „ ſive perſuaſio, vel quocum- „ que alio modo poſsit dici, „ hoc non curo; quia prop- „ ter noſtrum affirmare vel „ negare nihil mutatur in re.

„ *De ſecunda parte.* Pars „ iſta eſt de *duodecim Syllo-* „ *giſmis*, cum quibus inten- „ dimus probare aliquos Ar- „ ticulos Fidei: & primùm de „ primo ſic dicemus: nullus „ Intellectus poteſt in via in- „ telligere Deum eſſe ſinè ha- „ bitu Fidei; ſed quidquid „ intelligitur de Deo in via, „ intelligitur per Intellectum: „ ergo intelligere Deum eſſe „ eſt cum habitu Fidei.

„ Probatio Majoris: quo- „ niam Deus eſt ſuperiùs, & „ *Intellectus* inferiùs, ipſe *In-* „ *tellectus* naturaliter non po- „ teſt aſcendere ad objectan- „ dum

dum ipſum Deum intelligendo; ratione cujus Deus habituat ipſum de *Fide*, ut *mediante Fide* poſsit aſcendere, ſicut humana *voluntas*, quæ per ſe non poteſt aſcendere ad diligendum Deum ſupra ſe, niſi per charitatem quæ eſt ſuus habitus, ut aſcendat ad diligendum ſupra ſuas vires.

Probatio Minoris: nam intelligibile propriè eſt objectum *Intellectûs*, & communis opinio eſt quòd probatum eſt Deum eſſe; & ideo patet quòd *Fides & Intellectus* conveniant in objecto, Intellectu intelligente Deum eſſe ſub *habitu Fidei*.

Ad ſecundam Rationem. Nulla potentia inferior poteſt aſcendere ad ſummum objectum *per ſe tantùm*; ſed intellectus humanus eſt potentia inferior: ergo intellectus humanus non poteſt aſcendere ad ſummum objectum per ſe tantùm. Majorem & minorem non oportet probare, quia per ſe patent, & quia communis opinio eſt quòd intellectus, quãdo intelligit unum Deum eſſe tantùm & non plures, aſcendit mediante intellige-re *Fide ſibi habitum exhibendo*, unum Deum eſſe tantùm: & ſic patet quòd per *Intelligere* non deſtruatur *Fides*, eò quia *Fides* eſt inſtrumentum cum quo *Intellectus* aſcendit ſupra ſuas vires.

Ad tertiam. Facta hypotheſi quòd Deus ſit ens magis agens per ſuas Rationes, intellectus poteſt intelligere Deum eſſe Trinum, ût in Libro ſuperiùs probatum eſt; hypotheſis autem talis eſt habitus Fidei, ſinè quo intellectus non poteſt probare Deum eſſe Trinum; & ideo arguo ſic: omne *credere* habituatum à *Fide* diſponit intellectum ad intelligere; ſed *credere* Fidelîs eſt *credere* habituatum à *Fide*: ergo *credere* Fidelîs diſponit *ipſum intellectum ad intelligere*. Probatio Majoris: Iſaias Propheta dixit *Niſi crediderîtis non intelligetis*, & ſic formaliter ſequitur quòd, ſi credo Deum eſſe Trinum, poſsim intelligere ipſum eſſe Trinum; quia *credere* eſt antecedens, & intelligere eſt conſequens, facta hypotheſi quòd Deus ſit magis agens per ſuas Rationes, ſinè qua Trinitate Deus non poteſt eſſe magis agens per ipſ-

.. ipſas. Minor per ſe patet, & .. ideo oſtenſum eſt quòd po- .. ſita *Fide* ponatur poſsibili- .. tas ad *intelligere* remanente .. *Fide*, ſicut poſito antecedēn- .. te ponitur conſequens.

„ *Ad quartam.* Chriſtus .. dixit in Evangelio *qui ſe hu- .. miliat exaltabitur*, & ideo ar- .. guo ſic: quicumque ſe hu- .. miliat exaltabitur; ſed in- .. tellectus quando *credit* ſe hu- .. miliat: ergo *intellectus* quan- .. do *credit* exaltabitur. Major .. per ſe patet, quia quidquid .. dicit Chriſtus eſt verum. Mi- .. norem ſic probo: de ratio- .. ne *intellectûs* eſt intelligere, .. non autem *credere*; & ideo .. quando *intellectus* non poteſt .. per ſe *intelligere* Deum eſſe .. Trinum, humiliat ſe ad *cre- .. dere* quòd Deus ſit Trinus; & .. ſic aſcēdit ad *intelligere* faciē- .. do aliquam hypotheſim, ſi- .. cut *credere* quòd Deus ha- .. beat poteſtatem infinitam; .. & ſic concludit quòd, ubi- .. cumque ſit *Poſſe* infinitum, .. oporteat quòd ſit *Poſsificans* .. infinitum, & *Poſsificatum* in- .. finitum, ſinè quibus *poſſe* .. non poteſt eſſe; & ſic *intel- .. ligit* iſta tria correlativa in- .. finita, cum quibus conſide- .. rat Divinam Trinitatem, *Fi- .. de remanente* ſicut habitus in .. objecto.

.. *Ad quintam.* Facta iſta .. hypotheſi: omne ens magis .. agens extenſivè cauſat ſuum .. ſignum agentis magis agen- .. tis extenſivè; ſed Deus eſt .. Ens magis agens extenſivè: .. ergo Deus cauſat ſuum ſig- .. num agentis magis agentis .. extenſivè. Major eſt vera .. per ſuppoſitum, minor per .. ſe patet, & ſic intellectus .. per poſitionem, quæ eſt ac- .. tus *Fidei*, aſcendit ad *intel- .. ligere* Incarnationem, *Fide* .. ſemper *remanente*; ſinè qua .. Incarnatione Deus non cau- .. ſaret ſuum ſignum: & hoc .. in ſecunda Diſtinctione pri- .. mi Libri declaratum eſt.

.. *Ad ſextam.* Suppono quòd .. Deus ſit Ens magis agens .. per creationem, & ideo ar- .. guo ſic: quidquid agit ma- .. gis per creationem, deduxit .. creatum in eſſe à non eſſe; .. ſed Deus eſt Ens magis .. agens per creationem: er- .. go Deus deduxit creatum in .. eſſe à non eſſe. Probatio .. *Majoris*: quoniam actio ma- .. gis agit quando deducit in .. eſſe id quod non erat, quàm .. ſi deduceret aliquid de alio .. in eſſe. *Minor* per ſe patet, .. & ideo remanente ſyllogiſ- .. mo remanet poſitio, & per .. conſequens *Fides*, quæ eſt

an-

antecedens, & *intelligere* eſt conſequens.

Ad ſeptimam. Suppono quòd Deus ſit Ens magis agens per Juſtitiam, & ideo arguo ſic: omne Ens magis agens per Juſtitiam judicat totum hominem ad Beatitudinem, aut ad pœnam ſempiternam; ſed Deus eſt Ens magis agens per Juſtitiam: ergo Deus judicat totum hominem ad Beatitudinem, aut ad pœnam ſempiternam. Probatio *Majoris*: quoniam niſi homo reſurgeret, Deus judicaret partem & non totum, ſcilicet animam; ſed judicare totum hominem eſt judicare corpus & animam, ex quibus eſt conſtitutus: & ſic per *ſuppoſitum* tranſit *intellectus* ad *intelligere* quòd erit generalis Reſurrectio, remanente ipſa *poſitione*, quæ eſt actus *Fidei*. Adhuc dico quòd remanet Fides, quoniam ſuppoſito quòd intellectus non intelligeret generalem Reſurrectionem omnium, recurreret ad *credendum* ipſam ſub habitu *Fidei*, ût patet per iſtud exemplum: aqua, quando eſt calida, ſua frigiditas conſiſtit in ipſa in potentia; & ſic in abſentia actionis ignis in aquâ, frigiditas quæ eſt in potentia reducitur ad actum, exiſtente aqua frigida ſicut erat.

Ad octavam. Nulla virtus *corrumpitur*, quando cauſat virtuoſum; *Fides* eſt virtus: ergo Fides non *corrumpitur* quando cauſat *virtuoſum*. *Major & Minor* per ſe patent; & ideo quando dicitur, Deus non eſt corpus, non eſt compoſitus, non eſt finitus, non eſt novus & hujſmodi, intellectus cum habitu *Fidei* ſupponit quòd Deus ſit Ens altius quàm corpus vel compoſitum finitum & novum, confitendo quòd Deus ſit Spiritus ſimplex infinitus & æternus; & tunc tranſit ad intelligendum Deum, & deducit de ipſo veras & reales affirmationes & negationes, ex quibus facit ſcientiam, *Fide permanente* ſinè corruptione ipſius *credere* & *intelligere*, concordando *Intellectum* & *Fidem* in eodem ſubjecto.

Ad nonam. Nullum dilectum, niſi cognitum; ſed Deus eſt dilectus: ergo Deus eſt cognitus. *Major* eſt duplex; quoniam *cognoſcere exiſtit per credere* & *intelligere*, ratione cujus *credere* eſt fundamentum, & intelligere

.. re eſt *finis*: ſicut in domo, .. in qua fundamentum eſt *inferiùs* ratione finîs, & parietes & tectum ſunt ſuperiùs, .. eò quia fundamentum eſt ut .. ſequatur domus: unde ſicut .. domus non poteſt eſſe ſinè .. fundamento, ſic *intelligere*, .. quando intelligit alta de .. Deo, non poteſt aſcendere .. ſinè habitu *Fidei*: ergo oſtenditur per quem modum *Intellectus* & *Fides* conveniunt .. in ſubjecto.

.. *Ad decimam.* Nullum intelligibile poteſt eſſe ſinè .. memorabili; Deus eſt intelligibilis: ergo Deus eſt memorabilis. *Major* & *Minor* .. per ſe ſunt manifeſtæ: memorabilis autem eſt duobus modis, videlicet per *credere* & .. per *intelligere*: memoria autem altior eſt per memorabile cum *intelligere*, quàm per memorabile cum *credere* reſpectu finîs; & ſic de *intellectu*: verumtamen *credere* eſt *ſuperiùs* tamquam habitus, & *intelligere inferiùs* tamquã habituatum: & ideo, ſicut homo cappatus aſcendendo in montem, quantùm aſcendit, tantùm cappa, quæ eſt ſupra, magis aſcendit: à ſimili intelligens, quantò magis aſcendit ad intelligendum Deum & Articulos Fidei, tantò *Fides*, quę eſt ſuus habitus, *magis aſcendit*.

Ad undecimam. Nullum diligibile poteſt eſſe ſinè memorabili; ſed Deus eſt diligibilis: ergo Deus eſt memorabilis. *Major* & *Minor* per ſe ſunt evidentes: Diligibile autem eſt duobus modis, ſcilicet per rationem *Credulitatis* & *Intellectibilitatis*; quoniam diligibile, quod eſt mediante recolere & intelligere, eſt per prius; & diligibile, quod eſt per recolere & *credere* eſt per poſterius: & ideo, quantò magis *intellectus* aſcendit per prius ad intelligendum Deum, tantò magis eſt principatus cum voluntate & memoria in objecto, remanente *Fide* quæ eſt ſuus habitus: unde ſicut in vaſe in quo eſt aqua & oleum, quantò magis additur aqua tantò magis aſcendit oleum; & ſic de habituato, qui quantò magis aſcendit, tantò magis aſcendit ſuus habitus; ergo patet per quem modum *Fides* & *Intellectus* invicem aſcendunt in objecto.

Ad duodecimam. Omne meritum conſiſtit magis per majorem actum, quàm per mi-

„ minorem; ſed major actus eſt „ *intelligere*, quàm *credere*: ergo „ majus meritum conſiſtit per „ *intelligere*, quàm per *credere*. „ *Major* & *Minor* per ſe ſunt „ probatę: unde patet quòd „ *intelligere* ratione finîs ſit „ quietatus & dominus, & *cre-* „ *dere*, quod eſt inſtrumentum, „ ſit ſervus; & ſic ſequitur „ quòd dominatore perma- „ nente ſervus ſit permanens: „ ergo patet per quem mo- „ dum homo *intelligens* alta de „ Deo, acquirit majus meritum „ per *intelligere*, quàm per *cre-* „ *dere*, quolibet merito exiſ- „ tente in ſuo ſubjecto diver- „ ſimodè ſecundùm ſuum mo- „ dum; & hoc in eodem tem- „ pore, verumtamen ſucceſ- „ ſivè.

„ Diximus de duodecim „ Syllogiſmis, cum quibus eſt „ probatum, quòd *Fides* & *In-* „ *tellectus* conveniant in eo- „ dem tempore in ſubjecto ſi- „ ve objecto, quolibet perma- „ nente, verumtamen *ſucceſſi-* „ *vè*; ſicut in curſu, in quo „ movens & mobile ſunt per- „ manentes ſucceſsivè.

Et ſequitur infra in fine dicti Libri: „ *Si autem erravi in ali-* „ *quo contra Fidem, hoc non feci* „ *ſcienter, ſed ignoranter confi-* „ *teor hoc dixiſſe; quare ſubmit-* „ *to ipſum Correctioni Eccleſiæ* „ *Sacroſanctæ Romanæ.*

Item, ad demonſtrandum etiam prędictam *falſitatem Translationis* ſeu *Interpretationis* in hoc, quòd in dicto Quaterno continetur dictum Doctorem erroneè & hæreticè dicere *Eſſentia eſſentiat*, *bonitas bonificat*, *magnitudo magnificat*, produxerunt textus ſequentes dicti Doctoris, in quibus ſe-ipſum catholicè interpretatur & exponit.

Primò textum Prologi Libri dicti Doctoris intitulati *Ars Inventiva*, qui talis eſt: „ Ars præſens ab Arte De- „ monſtrativa deſcendit, & li- „ cèt exiſtentia hujus & illius „ ſit una & eadem, modus „ tamen earum procedendi eſt „ diverſus &c. Et ſequitur in- „ fra in primo paragrapho: Et „ quoniam ita eſt quòd exiſ- „ tentiæ & operationes rerum, „ de quibus intenditur, vehe- „ mentiores atque plures ſunt „ in ſe ipſis quàm earum ſimi- „ litudines in Intellectu, & ip- „ ſæ ſunt majores & amplio- „ res in Intellectu quàm ſint in „ ſermonibus earum ſignifica- „ ta, magna eſt diſtantia *ſigno-* „ *rum à rebus ſuis*: & propte- „ rea de neceſsitate nos con- „ venit fingere verba propter

ſignorum paucitatem, & de vi & neceſsitate Artis aliquoties inuſitata verba proferre, velut infra patebit.

„ Et ut etiam majora ſigna & minùs à rebus ſuis diſtincta exprimamus, verba quandoque tranſumimus, & quod eſt proprium alicui rei, propter expreſsionem majoris ſententiæ alteri attribuimus; ut cùm dicitur *Bonitas bonificat*, *Magnitudo magnificat*, & cætera hujuſmodi; quia quod eſt proprium ſuppoſiti boni, ſcilicet bonificare, attribuimus bonitati propter quam ipſum bonum bonificat; & hoc facimus ut vehementiùs exprimamus quòd bonum propter ſuam bonitatem bonificet, & magnum propter magnitudinem ſuam magnificet; & ſic, cùm dicitur finis movet efficientem ad bonum, hoc eſt dictum, quòd efficiens propter finem bonum ſe moveat ad bonificandum.

„ Et, quia ita eſt quòd de rebus creatis *impropriè* loqui nos oportet, (ût jam dictum eſt) multò minùs igitur de Deo poſſumus *propriè* loqui; quia, cùm immenſa ſit in omnibus perfectionibus ejus exiſtentia, quid eſt quod de illo bene & propriè ſigna noſtra poſsint repræſentare? His autem rebus conſideratis devotè ſupplicamus accedentes ad hanc Artem, ſtudentes in eadem, quatenus ardore ſcientificæ Charitatis moti in *impropriis* noſtris *dictis* (ſi fortè in ea incideri-mus) ad partem tutiorem attendant, & non ad ea quæ dicere videmur, ſed quæ dicere intendimus, condeſcendant: aut etiam, ſi fortè falſam inducimus concluſionem, hunc imperitiæ noſtræ errorem impendant; quoniam, ſi ignoranter artifex errat, non eſt attribuendum Arti, cùm ipſa Ars ſit neceſſaria, ût de neceſsitate intendimus declarare.

„ Et adhuc, etiamſi nimia noſtrorum ſermonum improprietas (ut loquamur ſententioſiùs) vel noſtri ingenii aut etiam traditionis inſufficientia aliquem errorem contra Sanctam Fidem Catholicam prætendere videatur, *Correctionem* Eccleſiæ Romanæ Sacroſanctę ſuppliciter *imploramus*; quoniam non ratione Artis, ſed ratione ignorantiæ contigit errare &c.

Item Textum contentum in *Commento* dicti Doctoris, ubi in

in *prima Parte* figuræ Theologię ſic habetur: „ Divina Eſ-
„ ſentia ratione ſui non eſt
„ conditionata agere, cùm ſit
„ communis Producenti & Pro-
„ ducto.

Item Textum contentum in *prima Parte* figuræ de A. *dicti Commenti*, ubi Doctor exponendo ſe ſic inquit: „ Sed
„ hìc intelligendum eſt, quan-
„ do dicimus *Bonitatem Boni-*
„ *ficare*, ſeu *Eſſentiam Eſſen-*
„ *tiare*, hoc dicimus ſub ra-
„ tione Suppoſiti, id eſt, quòd
„ Pater generando Filium com-
„ municat Filio quidquid ha-
„ bet; & ideo attingitur con-
„ ditio ſimpliciter ſub ratione
„ Bonitatis, ſcilicet ſub ratio-
„ ne Suppoſiti boni perſonalis.

In fine cujus *Commenti ſubmiſit omnia ſua dicta Correctioni Eccleſiæ* formaliter per hæc verba: *Quare ſi quis error fortè contra Fidem Catholicam in hoc Opere, ac etiam in aliis quibuſcumque Libris noſtris videatur, ſuppliciter & devotè requirimus Correctionem Sacroſanctæ Eccleſiæ.*

Et quia ad prædictam *Subreptionem* fundandam apparebat dictis amicis ſupra inſerta ſufficere, & etiam (ut prolixitati parcatur) alia *falſata* per dictum Fratrem Nicolaum Eimerici, ad præſens (ût dixerunt) non opus erat producere; quæ omnia ſuperiùs poſita ſeu inſerta, (Notabene) per Nos dictum *Commiſſarium* attentè lecta, diligenter recognita, & intelligibiliter conſiderata fuerunt; habita ſiquidem per Nos deliberatione matura, & digeſto Conſilio cum expertis in ſimilibus & peritis; cùm per poſita & producta ſuperiùs coram nobis, & aliàs clariſsimè conſtet nobis quòd dicta *Bulla*, attenta ejus formâ & aliis indiciis perſpicuis ſuperiùs tactis, eſt evidentiſsimè ſaltem de *falſitate* ſuſpecta.

Item, quòd per allegata & producta ad oſtendendum ſeu probandum *Obreptionem* aut *Subreptionem dictæ Bullæ*, demonſtratur evidenter quòd, poſito quòd ipſa non fuerit falſa, nullo modo poterat excuſari quòd non fuerit *Subreptitiè impetrata*; cùm per tenorem dictæ Bullæ videatur quòd tota ratio impetrationis ipſius fuit Affirmatio quòd in Libris prędicti Doctoris erant plures Articuli erronei & hæreticales, quorum Librorum per documenta authentica ſuperiùs inſerta videtur apertè, prędictum Fratrem Nicolaum Eimerici tunc Inquiſitorem *mutaſſe*

& corrupiſſe verba prædicti Doctoris, & etiam mentem & intentionem quam habuit catholicam, prout monſtrat apertiſsimè finis ſeu finalis concluſio Librorum dicti Doctoris Raymundi, in quibus expreſsè ſubmittit ſcripta, dicta & edita per ipſum *Determinationi & Correctioni Eccleſiæ Sacroſanctæ*. Ex quo fundatur legitimè ſua ſcripta non deviare à juſto tramite Catholicæ Veritatis, & detegitur eliditurque ſiniſtra intentio, opinio, & perſecutio Nicolai prædicti.

Et, cùm, utrâque paginâ atteſtante, ſtatuenteque & mandante, impetrantes Literas, Proviſiones, ſeu Reſcripta per fraudem ſeu malitiam à Summo Pontifice veritatem tacendo ſeu ſupprimendo & falſitatem ſuggerendo vel exprimendo, in ſuę perverſitatis pœnam nullum ex talibus commodum conſequi poſsint, nè eorum prætextu eſſet aliqualis poteſtas vel Juriſdictio attributa, cujus virtute ſit aliquatenus procedendum, cùm Summus Pontifex tales Proviſiones ſeu Literas denegaſſet veridicè informatus; aſſerens verò poteſtatem habere ab eo cum qualitatibus ſupradictis, nullatenus interponere poterat ſuæ cognitionis officium, & conſequenter ejus occaſione de facto emanata ruunt, tamquam carentia legitimo fundamento.

SEN-

SENTENTIA DEFINITIVA.



RO tanto nos Bernardus Epiſcopus & Commiſſarius prædictus, Authoritate Apoſtolicâ nobis in hac parte commiſsâ, dicimus, volumus, & decernimus, & pronuntiamus, quòd, quidquid inveniatur, quomodocumque, qualitercumque emanatum, mandatum, comminatum, proceſſum, factum, occaſione, authoritate, ſeu ratione dictæ ſubreptitiæ, ac obreptitiæ Bullæ, & de falſitate evidenti nimis ſuſpectæ, teneatur pro vano, caſſo, irrito, & nullo, & pro infecto, ſeu non facto, ab omnibus reputetur; ſicut & nos ex poteſtate nobis attribuita, ſuper his, quæ ex noſtro Officio nobili utimur, & uti volumus, prædictis attentis, caſſamus, irritamus, annullamus, ſeu ad nihilum reducimus, reducentes etiam Authoritate Apoſtolicâ ipſum Doctorem Raymundum Lullium, & omnia dicta, ſcripta & Opera ſua, & omnia alia ratione

præ-

prædicta quomodocumque, & qualitercumque, & per quemcumque, & contra quoſcumque, & coram quibuſcumque proceſſa, & actitata, ad ſtatum priſtinum, & primævum, ac ſi in contrarium eorum nihil umquam fuiſſet dictum, ſcriptum, vel aliàs quomodolibet emanatum: reſervantes, & ſubmittentes Correctionem, Determinationem, Authorizationem Doctrinæ dicti Doctoris, Sedi Apoſtolicæ, cujus eſt de talibus cognoſcere, & ordinare, ſicut ipſemet Doctor, & verus Catholicus expreſſè ſubmittit.

In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras Literas, ſeu præſens publicum Inſtrumentum, per Notarium publicum infraſcriptum fieri, & publicari mandavimus, noſtrique Sigilli appenſione muniri. Datum & actum Barcinone, ſub Anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimo nono, die verò vigeſima quarta menſis Martii, præſentibus honorabilibus viris Dominis, Antonio Zenon, Decretorum Doctore Canonico Papienſi: Arnoldo de Torrentis Conſiliario hoc Anno Civitatis Barcinonenſis: Bernardo de Marimundo majore dierum: & Franciſco Servent Licenciato in Legibus civilibus Civitatis Barcinonenſis pro teſtibus ad præmiſſa vocatis, rogatis, ſpecialiter & aſſumptis, ac me Gabriele Cañelles Notario infraſcripto.

VISA PER ME EPISCOPUM PRÆFATUM.

SIG-

SIG✠NUM mei Gabrielis Cañelles Authoritate Regia Notarii publici Barcinonæ, qui præmiſsis ſingulis & omnibus dum, ſicut præmittitur, coram dicto *Reverendo Domino Commiſſario*, & per eum agerentur & fierent, unà cum prænominatis teſtibus præſens fui hæcque ſcribi feci, ac Sigillo ipſius Domini hìc appoſito impendenti clauſi, cum ſuprapoſito in linea ſecunda, *ſupponit Grandinocenſi.* & ſexageſima quinta, *loco dicti.* Et octogeſima quinta *ſum.* Et nonageſima *ſupponit.* Et centeſima trigeſima octava, *Et primò de primo, ſic dicemus. Nullus intellectus poteſt in via intelligere, Deum eſſe, ſinè habitu Fidei.* Et centeſima trigeſima quarta, *& credere.* Et cum raſo in centeſsima vigeſima quinta, *diſtinctione.* Et etiam cum ſuprapoſito in linea trigeſima octava, *Bullæ.* Et etiam in linea centeſima vigeſima quarta, *ſed Deus eſt magìs agens extenſivè : ergo Deus cauſat ſuum ſignum agentis magìs agentis extenſivè.*

Et nos Bartholomæus Sureda Canonicus ac Decanus Majoricenſis, Reverendiſsimi in Chriſto Patris ac Domini D. *Didaci*, Divina favente gratia *Majoricarum Epiſcopi*, *Vicarius in ſpiritualibus & temporalibus*, unà cum aliis in ſolidum, qui *tranſumptioni*, *comparationi*, *collationi* hujuſmodi publici *Tranſumpti* interfuimus, cum ſuo Originali Exemplo ſuperiùs memorato concordans comperimus : ideo eidem Tranſumpto, Authoritatem noſtram judiciariam, pariterque Decretum manu noſtra propria interponimus, in majorem fidem præmiſſorum.

Sig✠num mei *Juliani Figueroes* Apoſtolicâ per univerſum mundum, & Regiâ per totam terram & ditionem Illuſtriſsimi & Sereniſsimi Domini Aragonum Regis, Authoritatibus, Notarii publici Majoricenſis, hujus Exempli teſtis.

Sig✠num mei *Hieronymi Servia*, Civis Majoricarum, Authoritate Regia Notarii publici per totam terram & ditionem Sereniſsimi Domini Aragonum Regis, hujus Exempli teſtis.

Sig✠num mei *Petri Litra* Civis Majoricenſis, Authoritate Regia Notarii publici, per totam terram & dictionem Sereniſsimi Domini noſtri Aragonum Regis, qui hujus publici *Tranſumpti* Tranſumptioni,

ni, Collationi, Comprobationi, Decretique interpoſitioni, omnibuſque & ſingulis ſupradictis unà cum prænominatis Reverendo Domino *Vicario Generali* atque Contabellionibus & Connotariis meis perſonaliter interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi; ideoque hìc propria manu me ſubſcripſi, præcedente meo ſolito Sigillo unà cum appenſione Sigilli Vicariatûs Eccleſiæ Majoricenſis in majorem fidem ac teſtimonium omniû & ſingulorû præmiſſorum.

Et quod quidem Tranſumptum, licèt manu alterius ſcriptum, fideliter tamen per me ac cæteros Connotarios meos comprobatum, continetur in iis duobus pergamenis per me conſutis. In quorum primo nonaginta novem lineæ. In ſecundo verò ſeptuaginta novem lineę continentur. Et pro majori declaratione, ultima linea primi pergameni finit per hæc verba: *De Civitate Mundi cap. de Fide.* Et prima linea ſecundi pergameni incipit per hęc verba: *Fides eſt habitus cum quo, &c.* Et ultima linea ipſius ſecundi pergameni finit per talia verba: *ſignum agentis magìs agentis extenſivè.*

Inſuper conſtat de dictionibus ſuprapoſitis in lineis primi pergameni, ſcilicet in quarta, *& amicorum.* Et vigeſima quarta, *quos.* Vigeſima ſeptima, *habentes.* Et etiam in eadem linea, *& nominare.* Et quadrageſima ſecunda, *milleſimo.* Et quadrageſima quarta, *hæc.* Et pariter conſtat de *dictionibus ac literis raſis & correctis,* in linea octogeſima tertia; *licèt ut in condemna.* In ſecundo autem pergameno conſtat de ſuprapoſitis, in linea decima octava, *alta.* Et trigeſima tertia, *vel manum.* Et quadrageſima ſeptima, *eſt.* Et quinquageſima, *in.* Et ſexageſima quinta, *textum.* Et de *dictione raſa* in vigeſima prima linea, *Divinæ.*

Copia hujuſmodi in his triginta papyri foliis, licèt manu alienâ ſcripta, deſumpta fuit à ſuo Originali pergameneo, in quo tractatur de Doctrina Magiſtri Raymundi Lullii, (prout ſuperiùs latiùs continetur) recondito & reſervato in ſcrinio Archivi Domus Juratiæ Univerſitatis Majoricarum, & cum eodem Originali veridicè comprobata per me *Melchiorem Tries,* Regia ac imperiali Authoritate Notarium publicum Majo-

ri-

ticarum, & Archivarium jam dictæ Univerſitatis: in cujus rei teſtimonium hic appono ſigillum dicti Archivi, ût infra. Die videlicet Sabbati decima ſexta menſis Septembris, Anno à Nativitate Domini *milleſimo ſexcenteſimo.*

Conſtat de *ſuprapoſito* in linea tertia primæ paginæ folii ſexti, ubi legitur *debitum.* Et de lineato in linea decima nona primæ paginæ dicti folii. Item de *correcto* in linea undecima primæ paginæ decimi tertii folii, ubi legitur *contentis.* Item de *correcto* & lineato in linea octava primæ paginæ decimi quinti folii, ubi legitur *non valerent, non.*

VIDIT GREGORIUS FORTESA VICAR. GENER.

HAC itaque Sententia canonicè prolata, quam primò Bartholomæus Sureda Canonicus & Decanus Majoricenſis, tunc Vicarius Generalis, & Julianus Figueroes, Hieronymus Servia, Petrus Litra, Cives & publici Notarii Majoricæ, verè & ex proprio Originali tranſumptaſſe teſtati ſunt (ût ſupra patet) poſtea in reſervato Scrinio Archivi Domus Juratiæ Univerſitatis Majoricarum recondito; Gregorius Forteſa Vicarius Generalis, & Melchior Tries Regia & Imperiali Authoritate publicus Notarius, Anno à Nativitate Domini milleſimo ſexcenteſimo inveniri affirmarunt. Quia tamen omnibus non innotuit, nec Doctores & Scribentes, hujus Proceſſus & Sententiæ notitiam habuerunt, dum liber Nicolai Eimerici, ubi Bullam fictitiam, & propoſitiones ab eo impiè damnatas ſcripſerat, per manus diverſorum curreret, factum eſt ût ab eodem libro multi multa deſumpſerint, Doctoremque noſtrum (etiam graves Authores) ſinè prævio examine hæreſis notâ inuſerint; qua propter in Catalogo Librorum prohibitorum Pauli Papæ Quarti tali nomine aliquo tempore fuit adſcriptus, uſque ad Concluſionem Oecumenici & Sacri Concilii Tridentini, cujus Diſpoſitione & Mandato, viſa prædicta ſententiâ, & Propoſitionibus iterum examinatis, Patriarcha Venetus, quatuor Archiepiſcopi, quatuor item Epiſcopi, cum uno Abbate & duobus

Generalibus Ordinum, & quatuor Doctoribus, ex omni ferè Chriſtianitate ſelecti, doctiſsimi & religioſiſsimi, hoc petente & procurante Sapientiſsimo Joanne Villeta Canonico Barcinonenſi, & hujus Doctrinæ ſingulari Magiſtro, re diligenter & maturo conſilio diſcuſſa, ût idem Villeta in Approbatione Artis brevis Barcinonæ Anno 1565. impreſſæ teſtatur, prima die Septembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio decretum eſt Authoritate Concilii expugnandam fore eximii Doctoris Raymundi Lullii quãcumque Operum improbationem ab Indicibus, præſertim Pauli Papæ Quarti, Librorum prohibitorum, ubi allegatur prædicta Bulla fictitia quam Eimericus Gregorii Undecimi eſſe affirmaverat. Quod Decretum & Statutum ſervatum apparet in Catalogo Sanctiſsimi Domini Papæ Pii Quarti, & in aliis Catalogis Librorum prohibitorum ad noſtra uſque tempora factis. Quia veritas, licèt aliquo tempore impiè opprimatur, tandem glorioſa & victorioſa evadit.

Licèt prædicta diffuſiora ſint, perſpicuum tamen eſt, præcipuè Demonſtrationis veritatis Amatoribus, non licuiſſe abbreviari, imò nec unicum apicem de toto Inſtrumento auferri, nec immutari. Quare etiam in proximè adducta Authoritate Concilii Tridentini, licèt jaceat extra dictum Inſtrumentum, non fui auſus addere verbum determinativum illius ſuppoſiti, ſcilicet *Patriarcha Venetus & dicti alii*, quod videtur deeſſe, & foro *approbarunt*, vel aliud ſimile, prout convincit effectus examinis prædicti.

Unde videtur Sanctitatem B. Raymundi minimè labefactari ex falſa opinione hæreſeos adducta ab Adverſario ad perſuadendum ſuam ſententiam contra Artem Magnam ipſius B. Doctoris.

CAPUT II.

DE ALIIS TESTIMONIIS.

1 IMAGO B. Raymundi depicta cum radiis & Martyrii Laureola, jam à tempore antiquiſsimo adoratur

tur ferè in omnibus Eccleſiis Regni Majoricarum, & ſignanter in Cathedrali, in Eccleſia magna Sanctæ Eulaliæ, Sancti Franciſci, ubi habet duas præclaras Capellas, in Eccleſia S. Spiritûs Ordinis SS. Trinitatis, & Monaſterii S. Margaritæ, & ipſi celebrantur feſta cum Miſſa & Concionibus, quæ veneratione Sanctitatis jam tribuebantur ipſi per cultum immemorialem ante Decretum Urbani VIII. prohibentis talem cultum tribui non Canonizatis nec Beatificatis nec gaudentibus immemorialitate Cultûs; ſed, quando tale Decretum fuit Majoricæ executioni mandatum, fuit ablatus cultus qui tribuebatur Venerabilibus Patri Michaeli Bennaſſar apud Dominicanos, Patri Raphaeli Riera apud Franciſcanos, P. Alfonſo Rodriguez apud Jeſuitas, & quibuſdam aliis, & manſit integer & immutatus cultus B. Raymundi: ergo evidens ſignum eſt ſuæ poſſeſsionis immemorabilis. Et, cùm præmiſſæ ſint per ſe notoriæ experientiâ facti, imò & authenticæ, ût poteſt videri in 1. part. Diſſ. P. Cuſturerii S. J., ſola hæc ratio ſufficit ad convincendam omnem opinionem contrariam de evidenti falſitate.

2 Præterea: nedum Majoricæ, verùm etiam in tota Europa, eſt nota & venerata fama Sanctitatis B. Raymundi; & primò Romæ, ubi reſidet Cathedra Magiſterii Eccleſiæ, publicè datur illi Titulus *Beati*, ût conſtat ex Capitulo Generali Fratrum Minorum ibi celebrato Anno 1688. Præſidente Emo. Cardinali Cybo delegato Innocentii XI., in cujus ſtatutis anno ſequenti impreſsis cum approbatione Rmi. P. Thomę Maria Ferrario Ord. Prędic. Magiſtri Sacri Palatii, dicitur: *Majoricæ ... hucuſque valde floruit Doctrina Beati Raymundi Lullii Doctoris Illuminati*, &c.

3 Eodem Anno 1689. cum Licentia Rmi. P. Joſephi Clariani Ord. Præd. Vice-Magiſtri Sacr. Pal. fuit impreſſus 1. Tomus Orbis Seraphici, ubi dicitur: „ Miſsionum omnium „ maximam adjicio, quam *Beatus* Raymundus Lullus con„ tra omnis generis Infideles „ & errores, & per ſe ipſum „ exercuit, & per omnium Re„ gularium Ordines promo„ vendam indefeſſo labore

„ ad mortem uſque procura-
„ vit.

4 Inſuper Angelus de Pax in Tomo impreſſo Romę anno 1596. cum approbatione Magiſtri Sac. Pal. ait: „ Raymun-
„ dus Lullus apud Bernardum
„ Lutzemburg notatur de hæ-
„ reſi, affirmat enim pluſquam
„ quingentos errores in ſuis
„ Libris à Petro Tartacenſi
„ (debet dici Tarraconenſi)
„ Epiſcopo & à Fratre Nico-
„ lao Eimerico deprehenſos
„ fuiſſe, ſuamque Doctrinam
„ non à Chriſto ſed à diabo-
„ lo accepiſſe; quod tacuiſſet,
„ ſi vel mortem hominis no-
„ viſſet; obiit enim pro Chriſ-
„ to, & claret miraculis, quæ
„ hominem non phanaticum,
„ ſed *Sanctum* prędicant. Erro-
„ res, quibus notatur, in Doc-
„ trina illius periti excuſant,
„ legitur publicè in Academia
„ Barcinonenſi, & olim in aliis.
„ Libros autem nedum in Hiſ-
„ pania, ſed etiam in Italia &
„ Gallia vidi ſummo cum ſtu-
„ dio & à piis & doctis expe-
„ ti, neque præſente ab Uni-
„ verſitate Complutenſi to-
„ tam illius Doctrinam com-
„ mendari.

5 Et, ut videatur quanti ponderis jam tunc haberetur Romę, opinio Fratris Lutzemburg deducta ab Eimerico, & quanti habenda ſit aliorum, indignationem ab eodem fonte ebibentium; dictus Liber cum ſingulari recommendatione Brevis Clementis Papæ VIII. fuit collocatus in Bibliotheca Vaticana.

6 Romæ etiam Em. Cardinalis Zapata in quadam Epiſtola, quam affert Cuſtureriuſ S. J., dat ipſi Doctori Illuminato Titulum *Beati & Martyris*, quem titulum Urbanus VIII. in Bulla *Cœleſtis Hieruſalem* pluries æquiparat Titulo *Sancti* dicendo: *Sanctitatis aut Martyrii fama... Sanctitatis ſeu Martyrii fama.* & cum iſto Titulo Romæ B. Raymundi honor & fama vagatur, & ſinè proteſtatione, tum in Bibliotheca Hiſpana antiqua, tum in Mundo Subterraneo Patris Kirkerii cum approbatione Magiſtri Sac. Pal., & in pluribus aliis libris: & in aliis partibus Italiæ, in Gallia, Germania, & magis in Curia Regum Catholicorum, ût infra.

7 Arturus etiam in Martyrologio edito Pariſiis anno 1638. ait: „ Septimo Kalendas
„ Aprilis Numidiæ novæ in
„ Africa Paſsio Beati Raymun-
„ di Lullii Tertiarii, qui ob
„ Chriſtianæ Fidei Prædica-
„ tio-

„ tionem à Saracenis multis „ plagis affectus, & lapidibus „ obrutus Martyrii palmam „ meruit obtinere, &c. Pluri„ ma adhuc relinquuntur teſ„ timonia videnda apud P. „ Cuſturerium S. J.

8 Tandem: ſigna Sanctitatis B. Raymundi ſtatim poſt Martyrium ipſius jam fuere cœlitùs oſtenſa cum frequentatione miraculorum, tum per pyramidem lucis noctu de Cœlo deſcendentis, qua fuit oſtenſum corpus ejus lapidibus obrutum Nautis Genuenſibus, ut acciperetur in navi; tum quia navis, licèt vento ſecundo Majoricæ manſit immobilis, dum tacita re illinc volebant prædicti nautę ſecum ſacrum corpus Genuam aſportare; tum in receptione tam pretioſi pignoris à toto Clero, Magiſtratu, & populo cum ſolemniſsima pompa & proceſſione generali, in qua omnes infirmi è domibus per vicos & plateas conſtituti, ſtatim curabantur; tum quando illud conati ſunt Majorem in Eccleſiam inferre, & humanis viribus, ad hoc non ſufficientibus, necnon intentione & conamine mutatis, facillimè fuit in Eccleſiam S. Franciſci allatum; tum in fataliſsimo incendio, quo lapides ſacriſtiæ dictæ Eccleſiæ fuere in calcem redacti, & calices & alia ſacra ſupellectilia aurea & argentea in liquorem diffuſa, & ſacrum corpus cum lignea arca, ubi erat incluſum, in medio flammarum fuit ſervatum omnino illęſum, & ex tunc in marmoreo Mauſoleo cum magna veneratione fuit collocatum in loco eminentiori Eccleſiæ, ubi cum linea miraculorum non interrupta fuit auctus ejus ſacer cultus, & uſque in diem hanc continuatus ſolemniſsimis feſtis; præcipuè die vigeſima quinta Januarii, quę fuit ſuę Converſionis dies, celebrat ipſi feſtum Univerſitas Lulliana aſsiſtentibus quatuor Clauſtris Doctorum & Magiſtrorum Lulliſtarum, Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Suariſtarum in quatuor Facultatibus & Scientiis cum inſigniis doctoralibus, & hoc indiſpenſabiliter per ſingulos annos, cùm fiat ex Conſtitutione Authoritate Clementis X., & Regum Catholicorum facta ab Archiepiſcopo Domino D. Petro de Alagon Majoricarum Epiſcopo.

9 Non eſt minùs ſolemne ſui Martyrii feſtum, quod maximâ pompâ & expenſis Magiſtratus die trigeſima Junii

nii celebratur ; aſsiſtente Prorege vel Gubernatore Generali cum ipſo Magiſtratu, Nobilitate & innumerabili concurſu, & ſubſecutivè celebrantur ipſi Doctori alia plura feſta præter ſolemne Novenarium cum concionibus in diebus feſtivis inter Paſcha & feſtum dicti Martyrii.

10 Quid dicam de arbore lentiſci exiſtentis coram antro ubi Beatus Martyr agebat pœnitentiam, quæ ex nocte, in qua circumfulſit eum lux de Cœlo, & recepit in ſe Fontem Infuſæ Sapientiæ, apparuit variis literarum caracteribus in ſuis frondibus inſignita, & ſic conſervatur uſque hodie? Quid de odore cœleſti, qui ſingulis annis ſentitur in Capella, quæ ante fuit cubile ubi natus & converſus fuit dictus Martyr? Hęc omnia & alia plurima, quæ brevitatis cauſa relinquo, diffuſiùs demonſtrantur à Cuſturerio 1. p. Diſl. per Teſtes, Inſtrumenta & Hiſtorias, in quibus tribus ſtat omne hujuſmodi verbum, prout docet Joannes Bap. Trobat de effectibus immem. q. 4. n. 1., ubi ait: *dicendum eſt tres eſſe modos à jure inductos ad probandam immemorialem, nempe per teſtes, Inſtrumenta, & hiſtorias.* Videatur etiam Matta de Canoniz. Ss. p. 4. cap. 23.

11 Prædictis ſacris cultûs Sanctitatis B. Raymũdi functionibus ſolent Epiſcopi, & Inquiſitores hæreticæ pravitatis, & alii Viri Apoſtolici & Literatiſſimi, qui non ſunt Majoricenſes, magna devotione & reverentia intereſſe; & omnia ſciuntur in Curia Romana per Memorialia authentica ibi diſcuſſa: unde legitimè infertur neminem poſſe in duritie contrarii judicii perſiſtere, niſi tacitè vel expreſsè arguat de incuria Romanam Curiam in re tam gravi, & reprehendat zelum Apoſtolicum tot Prælatorum Eccleſiæ ſic ſentientium & conſentientium; ſed hoc eſt maximum abſurdum: ergo non minus abſurdum eſt adducere falſam opinionem hæreſeos jam Authoritate Apoſtolica legitimè refutatam ad probationem vel perſuaſionem prædicti tam vani intenti.

***** ***** ***** *****

CAPUT

CAPUT III.

DE DOCTRINA B. RAYMUNDI.

1 PErgit prælaudatus Pater dicens de B. Raymundo: *alii reputant ipſum doctiſsimum, alii ignarum.* Et licèt ex antecedentibus conſtet, & ex ſequentibus etiam conſtabit, ipſum fuiſſe doctiſsimum, nihilominus aliquid ex plurimis dicetur ad hoc aliqualiter demonſtrandum.

2 Et, ut via tutiori incedam, teſtimonia ab expertis & videntibus ſecretaLullianę Artis depromam, prout evidenter eorum Libri teſtantur; nam ab hujuſmodi Artificibus, & non ab inſciis, dictat prudentia, infallibilius conſilium eſſe petendum. Omiſsis igitur Authoribus Majoricenſibus tamquam de partialitate (imò de irrationali paſsione, ût putat noſter Adverſarius) ſuſpectis (quod etiam obſervabitur in ſequentibus) audiatur primò D. Joannes Aubrius Monſpelii Abbas N. Dominæ de Aſſumptione, Conſiliarius & Medicus Regis Ludovici XIV. in ſua Dedicatoria de Triumpho Amoris impreſſa Pariſiis Anno 1645., in cujus titulo ſic ait: *Mirabilia mirabilium maximè admirandorum Doctoris Archangelici Sancti Raymundi Lullii Martyris, Magiſtri Sapientiæ, Principis Intelligentiæ, Inventoris Doctrinæ, Fundatoris Scientiæ, & Monarchæ* (abſit invidia Titulis) *omnium Philoſophorum & Doctorum.* Sic ſentit iſte Gallus, cujus cantus pro nunc ſuſpenditur alibi audiendus, ut videatur an, poſtquam vocem bis dederit, aliquis in negatione adhuc ſit perſtiturus.

3 Audiatur deinde Perillustris Antonius Sanderus Sac. Theol. Licent., Canonicus Eccleſiæ Cath. Iprenſis in Approbatione Arboris Scientiæ D. Alphonſi de Cepeda impreſſæ Bruſellis anno 1664., ubi ait: *Arbor hæc eſt felice Raymundi Lullii manu plantata, atque hac virtute prædita, ut dulces varioſque tam in recta morum ac vitæ Chriſtianæ directione, quàm in omnium ferè Artium & Scientiarum acquirenda perficiendaque cognitione legentibus fructus afferre poſsit: cùm primarius ejus & latinus Author præfatus Raymundus non minùs ſingulari vitæ ſanctimo-*

monia, quàm alta eruditione & admirabili Doctrinæ profunditate fuerit ornatiſsimus. Sic etiam, ût ingenuè fatear (quamvis præclara ejus Elogia à multis paſsim egregiiſque Viris deſcripta ſint, ſtudiaque laudata) fateor, inquam, *vel ex ſola iniqua ignorantium præſertim hominum quorumdam & altitudinem Doctrinæ ejus non capientium emulatione cognoſci poſſe, qualis quantuſque vir ille fuerit; & licèt non diffitear, etiam hanc paginæ noſtræ tantam eſſe brevitatem, atque in ea arctitudine, ut ex æquo ejuſdem Viri præſtantiam complecti nequeat, piaculum tamen mihi fuerit, quæ ab aliis magnis in Republica Chriſtiana Sanctitate & Doctrina hominibus de ipſo commemorata ſunt omni hìc ſilentio involvere; ſunt enim talia, ut non tantùm vibrata in ipſum calumniarum omnium tela frangant, & de erroribus in Doctrina frivolas diſsipent ſuſpiciones, ſed eximiam quoque in ipſo vitæ Sanctitatem aſſerant, indubitatamque reddant: adeo etiam, ut ſcriptos ab eo Libros (ſicut veneranda Sanctorum Patrum recipiuntur opera, & in magno pretio ab Eccleſia habentur) in pari æſtimatione & pretio haberi & ab Eccleſia recipi debere plurimi ſentiant, imò vel ex ſolis titulis; etiam priuſquam ex hac vita diſceſsiſſet, ipſi à Regibus & Monarchis hujus ſæculi attributis poſſe inſignem Vitæ ejus ſanctimoniam ſolidamque Doctrinam illuceſcere.*

4 Audiatur tandem D. Petrus Moreſtellus Doct. Theologus & Canonicus, qui in Dedicatoria Encyclopediæ ad Principem Carolum Ducem Elbovii impreſ. anno 1646. de Doctrina Beati Raymundi ait: „Ejus Doctrina verè gravis „& ſolida ſuper hominem eſt: „ſanè Vir ſummus in omni „ſcientia eminentiſsimum ob„tinens locum, qui, cùm mul„ta Deo digna ſcripſerit, „dignus eſt non ſolùm, qui „nomine Eruditionis eximiæ, „qua præditus eſt, epulis Di„vûm accumbat; nam quis „doctior? quis acutior? quis „in rebus vel inveniendis vel „judicandis acrior? talis de„mum fuit, cum quo nemo „ſit in hac tempeſtate aut for„taſſe in ævo futuro confe„rendus vel integritate Vitæ, „vel Eruditione reconditaque „rerum cognitione, &c.

5 Ita ſentiunt de Doctrina B. Raymundi illi, quibus Ars & opera illius innotuerunt: unde, ut videatur qualitas aſ-

afferentium illum ignarum, hoc unicum vellem à viris ingenuis & veritatis amatoribus, ut, prætermiſſa lectione plus quàm ter mille Librorum, quos B. Doctor & Martyr ſemper præoccupatus in Prædicatione & Converſione Infidelium, & promotione boni communis totius Mundi apud ſummos Pontifices, Monarchas, & Concilia Generalia, de omni ſcibili ſcripſit, ſolum, oculo non livido, perluſtrarent Libellum *Doctrinæ Puerilis* nunc Salmanticæ impreſſum; & clarè cognoſcerent ex ungue Leonem.

CAPUT IV.

DE ILLUMINATIONE B. RAYMUNDI.

1 PERGIT prælaudatus Pater in eodem numero de opinione B. Raymundi ſic: *alii reputant ipſum illuminatum, alii hallucinatum.* Et, licèt hujuſmodi falſæ opiniones (ût jam dictum eſt) non ſint aliqua reſponſione dignæ, quia totum contrarium clariſsimè patet ex Actibus authenticis in 1. Tomo & pluribus aliis in locis, viſis & videndis; nihilominus, nè ignari putent difficilem fuiſſe reſponſum, & ad majorem commoditatem illorum, quibus non eſt copia Magni Operis Lulliani; aliquid modicum de maximo quod de hoc puncto jam ſcriptum eſt, imò & divulgatum per totam Europam, & ſcitu facillimum à nolentibus ignorare, dicetur.

2 Et primò teſtimonium de hoc lumine perhibebit Marianus Accardus Siculus, qui in Prologo Libri Proverbiorum B. Raymundi de ipſo ſic ait: „ Scripſit Vir ille divinitùs ter „ mille volumina, quibus om„ nes Liberales Artes & Ma„ chinales acutiſsimè enarravit, „ nihilque poſteris intactum re„ liquit: ſed ò cæcas hominum „ mentes, ò pectora cæca! non „ verentur vitiligatores qui„ dam Artem hanc cœlitùs di„ miſſam convitiis inſectari, „ Ducemque noſtrum *Divino* „ *Lumine afflatum* (non ratio„ ne ſed invidia ducti) male„ dictis impetere. Qui, ſi Quin„ tiliani præceptum non minùs „ catholicè quàm eleganter „ prolatum obſervarent in de„ ci-

„ cimo Inſtitutionum oratoria-
„ rum dicentis : *modeſtè & cir-*
„ *cumſpectò judicio de tantis Vi-*
„ *ris pronuntiandum eſſe, nè*
„ *(quod pleriſque accidit) dam-*
„ *nent quod non intelligunt,*
„ linguam homines perditiſ-
„ ſimi caſtigatam haberent :
„ quibus quanta ſit fides ad-
„ hibenda, vel hoc ſit argu-
„ mento, quòd ea, quæ nec
„ cognita habent, nec fortaſ-
„ ſe ingenio umquam poterunt
„ adipiſci, vituperare ſint au-
„ ſi : nec mirum, & canes ig-
„ notos adlatrant ; qui, ſi pe-
„ dem conferre cum veritatis
„ ſectatoribus, id eſt, cum di-
„ vinam hanc Artem edoctis
„ vellent, non loqui, ſed bal-
„ butire viderentur. Perpen-
„ dant quæſo, trutinent ac
„ examinent Divi Raymundi
„ Scripta vaniſsimi iſti, ût im-
„ pii ita & indocti, & quæ
„ improbanda videbuntur pro-
„ fligare dignentur : non ſunt
„ (mihi crede) à veſtibulo ac
„ à limine ſalutanda, ſed in-
„ troſpicienda inque penetra-
„ lia arceſſenda : Deum teſtor,
„ invitum ad hoc divertiſſe,
„ &c.

3 Idem in Literis præfixis Libro ſententiarum B. Raymundi Venetiis edito 1507. ait : „ En tibi quæſtiones è „ noſtro Illuminato editas in „ quatuor Libros Sententia- „ rum, breves quidem, ſed „ abſtruſiſsima quæque enu- „ cleantes... ſcripſerunt in Li- „ bros, quorum memini, Viri „ clariſsimi penè innumerabi- „ les, inter quos noſter Doc- „ tor micat (abſit invidia ver- „ bo) velut inter ignes Luna „ minores.

4 Deinde Admodum R. P. Lucas de S. Iſidoro Carmelita in Approbatione Arboris Scientiarum impreſ. Bruſellis anno 1664. ait : „ Vidi cum „ non modica attentione Li- „ brum intitulatum Arborem „ Scientiarum compoſitum per „ *Illuminatum* & S.P. Raymun- „ dum Lullium, &c. ; neque „ ſolùm in eo quidquam eſt „ reperire non apprimè catho- „ licum & conforme Doctrinæ „ SS. Patrũ & S. Scripturæ, imò „ exiſtimo illũ multùm neceſſa- „ rium ad Scientias cum facili- „ tate conſeqnendas : quas, „ quamvìs Sanctus (ût piè cre- „ ditur) habuit infuſas, nobis „ reliquit in hoc Opere cum „ quadam admirabili diſpoſitio- „ ne facilem modum, quo poſ- „ ſimus illas conſequi, adju- „ vante tamen Divina Gratia, „ & fortificante charitate quã „ iſte Sanctus habebat Deo lu- „ cran-

„ crandi animas, & mundo „ manifeſtandi veritatem .... „ Nam quemadmodum in illis „ (ſacris Scripturis) videtur „ aurum per cancellarias ar- „ genteas, ſimiliter in decla- „ rata Doctrina *Illuminati* „ Raymundi Lullii panduntur „ magis abſcondita Myſteria & „ opulenti Theſauri noſtræ Fi- „ dei Sacroſanctæ, dando cum „ ſuis ſplendoribus novam Lu- „ cem mundo & ſuis devotis, „ confundendo cum illa ſuos „ adverſarios: in cujus favo- „ rem ſimiliter (ût divinitùs „ Tertulianus) quòd non va- „ leat præſcriptio temporum, „ ut deſiſtant à ſuis opinioni- „ bus, ita & patrocinium per- „ ſonarum malevolarum, cùm „ videant hanc Doctrinam eſſe „ fundatam in Veritate Evan- „ gelica, & idcirco *nec portæ* „ *inferi prævalebunt adverſus* „ *eam*... Quis igitur poterit „ dubitare de veritate Doctri- „ næ hujus *Illuminati* Magiſtri, „ cùm ſit adeò à Deo *illumi-* „ *nata*, poſtquam in tot an- „ norum ſerie nec minimum „ perdidit de ſuo antiquo ro- „ bore? & quis non admira- „ bitur illius firmitatem, cùm, „ dum machinabantur illam „ obtenebrare cum ſuo lapſu, „ eamdemque opprimere, al- „ tiùs erigebatur & renova- „ batur in ſuis argenteis canis „ ditando intellectus novis the- „ ſauris, inflammando volun- „ tates cum amore hujus di- „ vinæ Scientiæ, *& ut accenſi* „ *Fide perſiſtant Operibus veri* „ *lumine relucentes*: ût ait in „ ſimilem finem Magnus Baſi- „ lius Orat. 1.

5 Claudat numerum ternarium teſtium unus omni exceptione dignior Eminentiſsim. Princeps Dominus D. Franciſcus Ximenez de Ciſneros Inquiſitor Generalis Hiſpaniæ, Archiepiſcopus Toleti, S. R. E. Cardinalis, cujus nomen eſt notoria expreſsio ſuorum majorum Elogiorum: Judicium hujus doctiſsimi Viri, quod habet de Illuminatione & Doctrina B. Raymundi, eſt expreſſum in Litera ſequenti.

6 „ Multùm Nobilibus Do- „ minis Juratis Civitatis & „ Regni Majoricarum. Mul- „ tùm nobiles Domini, Secre- „ tarius Alphonſus de Proaza „ mihi miſit veſtras literas & „ translationem Titulorum & „ Privilegiorum Doctrinæ Ma- „ giſtri Raymundi Lulli Doc- „ toris *Illuminatiſsimi*, habui- „ que valde magnum placitum „ illa videndi, & de omni eo, „ de quo ſuper hoc mihi ſcri- „ bi-

„ bitis ; quia in veritate teneo „ magnam affectionem erga „ omnia ſua Opera , quia ſunt „ magnæ Doctrinæ & Utilita- „ tis : itaque credatis quòd in „ omnibus , quibus potero , il- „ la favore proſequar , & la- „ borabo ut publicentur & le- „ gantur per omnia ſtudia , „ &c. Datum Alcalæ die 8. „ Octobris 1513.

Veſter Cardinalis Hiſpaniarum.
Hieronymus Ylan Secretarius.

7 Stanti in his tribus Teſtibus omni verbo quod attinet ad *Illuminationem* Doctoris Illuminati , relictis plurimis idem teſtantibus , ût videbitur infra ; videamus nunc quid ſentiant Authores primæ Claſſis de contrarium ſentientibus ; & primatum teneat Inſignis Commentator Franciſcus Peña in Commentario ad Directorium Inquiſitorum 2. p. q. 27. , ubi ait : „ quem Li- „ brum ipſe Eimericus Beati „ Raymundi Lullii Calumnia- „ tor Anteſignanus compilavit. „ Illud verò obſervandum eſt „ diligenter , quod Author do- „ cet in hac quæſtione , vide- „ licet Libellum de dæmonum „ Invocatione æditum fuiſſe „ per Raymundum Neophy- „ tum ; in quo planè decepti „ mihi videntur Bernardus „ Lutzemburgus in Cathalogo „ hæreticorum Libro 3. verbo „ *Raymundus Lullius* , & Pra- „ teolus Lib. 16. cap. 2. de Vi- „ tis & Sectis hæreticorum , „ aſſerentes Libellum de dæmo- „ num invocatione editum fuiſ- „ ſe à Raymundo Lullio ; & ſa- „ nè ſuſpicor hos Authores „ fuiſſe *hallucinatos* ex nominis „ ſimilitudine. (Nota , Autho- „ rum ſupradictorum temera- „ rium Judicium occaſionem „ fuiſſe aliquibus Scriptoribus „ eâdem criminatione innocen- „ tem & ſanctum Virum affi- „ ciendi.) Huc uſque Peña.

8 Deinde Rmus. Dominus Henricus Spondanus Epiſcopus Apamienſis in continuatione Annal. Ecc. Cardin. Baronii ad annum Domini 1260. §. 25. ait : „ Illud non omittimus, „ *deceptum fuiſſe prædictum* „ *Annaliſtam* (Bzovium) *ſæpe* „ *aliàs decipere ſolitum aut de-* „ *cipi* , cùm hìc eidem Ray- „ mundo Lullio illos errores „ tribuit , qui fuerunt *Raymun-* „ *di Neophyti* , *&c.*

9 Concluſionem huic Capiti imponat Joannes Maria Vernon , qui in Annalibus perpetuis tertii Ordinis S. Franciſci de Beato Raymundo ait:

Æque

„ Æque fuit Sanctus ac Illu-
„ minatus, Factorum ſuorum
„ pariter & Documentorum
„ Approbatores habet omnes,
„ qui non facilem adhibent
„ fidem rumoribus incertis...
„ Expendant quæſo hanc quæſ-
„ tionem Sapientes, bene il-
„ licò ſentient de Doctrina ac
„ Sanctitate Raymundi. Et conſequenter de ejus Illuminatione; nemo enim poteſt facere & docere quæ ipſe fecit & docuit in omnibus ſuis Libris, niſi venerit à Deo Magiſter, & ſuperna illuminatio fuerit cum illo.

CAPUT. V.

DE COGNITIONE PRACTICA CHRYSOPOEIÆ B. Raymundi.

1 PERGIT idem Pater in eodem numero 3. dicendo de B. Raymundo: *Aliqui attribuunt ei cognitionem & practicam Chryſopœiæ, ſive Artis tranſmutatoriæ cœterorum metallorum in aurum; alii hoc irridenti, ſicut omnes alias fabulas lapidis Philoſophalis.*

2 Si tam facile eſſet practicare Chryſopœiam & lapidem efficere Phyloſophalem, quàm hoc irridere & fabuloſum ſupponere, nullus irridentium eſſet qui non mutaret ſententiam; ſed, quia magna & ardua ſpernere eſt facillimum etiam nihil ſcientibus, efficere verò difficillimum etiam multùm ſcientibus, ideo maximus eſt numerus ſpernentium hoc incomparabile Veræ Philoſophiæ donum ab infinita Dei Liberalitate humano generi collatum. Sed qualiter ſpernatur & irrideatur videbitur in ſequentibus, ubi demonſtrabitur B. Raymundum ſciviſſe & docuiſſe in ſuis Libris indubitatis ſuos Diſcipulos tam nobilem practicam, non ſolùm Chryſopœiæ & Lapidis Philoſophalis, ſed etiam Medicinæ univerſalis, quæ eſt finis prædictorum.

3 Quòd autem ipſe B. Doctor praxim opere exercuerit, poſſet probari melioribus rationibus quàm dictus Pater probet contrarium; prout evidenter patet in Perſpiciliis Lullianis 1. Tom., & etiam patebit infra. Sed nunc perinde eſt;

eſt ; quia probato quòd Diſcipuli ejus opere exercuerint dictam praxim & ipſam didicerint à tanto Magiſtro , probatum manebit , ipſum illam non ignoraſſe , cùm nemo det quod non habet , nec doceat quod non ſcit.

4 Probatur ergo primò Authoritate aliquorum Philoſophorum , & primus ſit natione Gallus A. R. Magiſter Bernardus de Lavinheta Artium & Theologiæ Doctor, qui in Conventu S. Bonaventuræ Lugduni prælo ſubdidit *Practicam Compendioſam Artis Raymundi Lulli...* ad omnes facultates. Anno Domini 1523. 1. Martii , impreſſam apud Joannem Moylin. Opus aureum , teſte Ivone Salzinger, & omni laude digniſsimum. De Arte f. 21. dicit : *eſſe utiliſsimam ex eo , quia longè doctior quis mediante hac Arte in uno anno erit , quàm in duodecim annis expertum eſt ſequendo communem opinionem , idcirco auro comparari non debere.*

5 Præterea , quid hic doctiſsimus Lulliſta ſentiat de Alchimia , patefacit L. 3. part. 2. f. 38. ſic. : „ Eſt enim ratio„ ne Elementativæ æqualitas , „ ut omnia elementa ſimplicia „ ſint æqualiter gradata in ea, „ & ſit dandum æquale pon„ dus , quod Medici inveſti„ gant ac etiam Alchimiſtæ , à „ quibus Quinta Eſſentia nun„ cupatur , ſeu Lapis Philoſo„ phorum. Generaliter hi , qui „ hanc Quintam Eſſentiam ig„ norant , parùm aut nihil in „ Philoſophia habent , maximè „ cùm non in angulis ſed ubi„ que Intellectui ſe offerat ; „ ideo , ſi Philoſophi ſunt , „ non debent eam inveſtigare „ huc & illuc , ſed aſſerere id „ quod veri Philoſophi affir„ mant , &c.

6 Secundus ſit inſignis Doctor & præclariſsimus Magiſter P. Jacobus Januarius Ord. Ciſter. , qui Valentiæ anno 1506. imprimi fecit *Artem Metaphyſicalem naturalis ordinis cujuſlibet rei intelligibilis Arboris Naturæ pro ſenioribus junioribuſque* , qui in antiquis Codicibus proficere minimè valuerunt , vel nequaquam inceperunt ; ad intelligendum facillimè primum Subjectum primæ Philoſophiæ , & Objectum primæ Scientiæ , aliarumque ſubjecta Scientiarum ipsâ poſteriorum , & ſciendum Objectum formale primumque ſcibile aliaque objecta ſcibilia ipſo poſteriora ; ratione cujus abſque

que Præceptore ipſa mediante omnes utique Libros ſcientificos, Arteſque artificioſas Illuminati Doctoris Magiſtri Raymundi Lulli, ac etiam cæterorum Doctorum præclariſsimorum omnes Libros per ſe conſpicere, ſcire atque intelligere, ût experientiâ ſe edoctum teſtatur. Miror ſanè quòd Rmus. Feijoò etiam non incluſerit iſtum Authorem in numero incurrentium *novum caſum conſcientiæ* peccati lethalis & obligationis reſtituendi propter Titulum hujus Libri, ſicut fecit de Sancto Magiſtro illius Raymundo propter Titulum ſuæ Artis Univerſalis, ût ſupra; (niſi ſit quòd putaverit, Magiſtrum in Arte deficere, Diſcipulum autem in ipſa adimplere promiſſa).

7 Doctiſsimus hic Diſcipulus de Arte ſui Illuminati Magiſtri præclarè ſcribit Lib. 1. cap. 3. f. 8. quòd *Ars Metaphyſicalis generalis ſit collectio explicitorum Principiorum & Regularum collata Raymundo Doctori Illuminato in Randepodio ſupra modum humanum per Spiritum Sanctum, ut eſſet ei & aliis fidelibus Chriſtianis generale medium cognoſcendi veritates omnium entium, & inſtrumentum expellendi errores & opiniones ſophiſtarum & infidelium hæreſes per verum intelligere & ſcire.*

8 Hactenus audivimus quid ſentiat celeberrimus hic Lulliſta de Arte ſui Magiſtri, & quem uſum præſtet in Theologia; nunc ipſum audiamus diſcurrentem de valore ipſius Artis in Philoſophia: igitur Lib. 2. Phyſicæ cap. 19. f. 42. & ſeq., ubi ex Magiſtro ſuo probans Univerſale eſſe ens reale, & modum contrahendi potentiarum elementativæ, vegetativæ, ſenſitivæ, imaginativæ, &c., ſic fatur: „ Ex qua „ quidem & tribus prædictis „ eſſentiis per inſertionem „ conſtitutionemque, non ta„ men per informationem, ef„ ficitur & conſtituitur unum „ naturæ artificium, in quo, „ & per quod, & ratione cu„ jus interiùs exteriùſque ipſa „ natura operatur in quacum„ que operatione naturali phy„ ſicè; nam omne, quod eſt „ ſub Lunæ globo, dicitur „ aut elementatum, aut vege„ tatum, aut ſenſatum, aut „ imaginatum, vel rationatum „ (iſti ſunt omnes gradus phy„ ſici naturæ corporeæ), ul„ tra hæc nihil eſt, ût indaga„ tum eſt habentibus Magiſte„ rium Alchimiſtarum, qui ocu-

„ oculo corporali mirabilia vi-
„ dent naturæ ſecreta in cor-
„ ruptione antiquarum ſpecie-
„ rum, novarumque genera-
„ tione in alembico, immuta-
„ tioneque colorum.

9 Et infra fol. 44. agens de æquatione quatuor elementorum proſequitur citans Librum de quinta Eſſentia B. Raymundi & Aſtronomiam illius: „ Propterea tale ex amuſ-
„ ſim artificium naturale à
„ multis Philoſophis naturali-
„ bus quinta Eſſentia nuncu-
„ patur reſpectu ad quatuor
„ relatas hujus mundi inferio-
„ res eſſentias & ſubſtantias;
„ quoniam ad æqualem grada-
„ tionem regreſſum habent par-
„ ticularia; quia corrumpitur
„ primò individuum acciden-
„ tale, quod eſt ſimul totum
„ & mixtum in quarto modo,
„ & in ſecundo ejus gradu: ſe-
„ cundò verò corrumpitur ſpe-
„ cies accidentalis, & remanet
„ tantùm abſtractivè naturale
„ genus in gradatione æquali
„ & æqualiter gradatum, quia
„ nec magis calidum nec mi-
„ nùs frigidum, nec magis
„ humidum nec minùs ſiccum
„ de quinta Eſſentia, nec de
„ materia prima & chaos na-
„ turali prædicari valent, ſed
„ ſolùm de ſphæris & maſsis
„ mixtorum elementorum: &,
„ ſicut per corruptionem fit
„ aſcenſus de individuo ad ſpe-
„ ciem & de ſpecie ad genus,
„ ſic per generationem fit deſ-
„ cenſus de genere ad ſpeciem
„ & de ſpecie ad individuum
„ & mixtum accidentale, ût
„ conſpicuum eſt ſcientibus
„ magiſterium Alchimiſtarum,
„ qui per Artem naturam imi-
„ tantur, mutant individuum
„ in ſpeciem & ſpeciem in ge-
„ nus in alembico per angu-
„ lum contrarietatis & defini-
„ tionem ejus, corrumpendo
„ mixtum & ſpeciem ejus ſim-
„ pliciter uſque ad chaos, &
„ per angulum Concordantiæ
„ & ejus definitionem faciunt
„ generationem, ipſius genus
„ naturale determinando & in
„ ſpecie ſpecificando, & ſpe-
„ ciem in gradu individuali
„ contrahendo: quoniam, ſi-
„ cut de hoc cupro fit cuprum,
„ de cupro fit elementatum
„ corrupta cupreitate per *cor-*
„ *ruptionem*, & è converſo per
„ generationem de elementa-
„ to fit aurum, & de auro fit
„ hoc aurum, quia corrupta
„ una ſpecie quamprimum alia
„ generatur. Aurea ſanè verba (exclamat Sapientiſsimus Salzinger Doctor in omni facultate) quæ celte ſculpantur

in

in ſilice, ut ſilice duriores ſacræ Alchimiæ & veræ Philoſophiæ Lullianæ oſſores inſtruant, quomodo veri Philoſophi educant aquam de petra, & oleum de ſaxo duriſsimo; nihil enim eficacius & magis demonſtrativum analyſeos & ſyntheſeos naturalis, nihil ad inveniendum & producendum agens univerſale convenientius potuiſſet hic incomparabilis Author ex omnibus Libris antiquorum Sapientum eruere, quàm quod verbis luce meridiana clarioribus expreſsit: unde, quem hæc non afficiunt, aut caret lumine intellectûs, aut æquilibrio voluntatis: notate ergo verba chariſſimi Condiſcipuli, ſignate myſteria, vobis enim hìc ſeritur & metitur. Huc uſque Salzinger.

9 Liceat nunc de mea ruſticitate aliquid addere utendo humili exemplo, quod divinus Magiſter non dedignatus eſt ponere in Evangelio ad multiplicationem ſpiritualem explicandam mediante corruptione: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit multum fructum affert.* Quando hoc granum frumenti moritur in terra, tunc corrumpitur individuum phyſicum, & remanet viva ejus phyſica ſpecies, aliter non produceret plura grana individua ejuſdem ſpeciei; quando autem granum comburitur vel reducitur in pulverem & vaporem, tunc nedum corrumpitur individuum verùm & ſpecies, & remanet genus phyſicum; & ſic per corruptionem fit regreſſus phyſicus de individuo ad ſpeciem, & de ſpecie ad genus: è converſò verò fit per generationem & multiplicationem; illud genus phyſicum, ſcilicet ille pulvis, vapor, atomi, materia ſubtilis, vel, ut meliùs dicam, illa eſſentia generica, ſi infundatur in terram ſeminatam granis plurium ſpecierum, ſtatim contrahitur phyſicè & convertitur in omnes ſpecies, & per quamlibet ſpeciem contrahitur ad omnia ipſius ſpeciei individua. Nunc ad rem per Chriſti exemplum ſignificatam: niſi granum auri cadens in terram metallicam mortuum fuerit, hoc eſt corruptum & diſſolutum, ipſum ſolum manet, ſi autem ſic mortuum fuerit multum fructum affert; quia comedit ſubſtantiam metallicam & illam convertit in ve-

ram ſubſtantiam auri, ſicut granum frumenti, ſubſtantiam elementalem, quam ſumit, convertit in veram ſubſtantiam frumenti. Et hæc ſint per Allegoriam dicta.

10 Quantæ authoritatis fuerit iſte præſtantiſsimus Magiſter & Ars Lulliana in ipſius tempore, demonſtrat Privilegium Pontificium, & Ferdinandi Regis Hiſpaniæ, quibus Valentiæ publicè & è Cathedra legit, ût patet ex approbatione Arti breviſsimæ ſubjuncta fol. 276., & præfati Regis Privilegio Approbationi prædictæ annexo fol. 277. Vide plura in Tom. 1.

11 Tertius ſit A. R. P. Joannes de Rupeſciſſa Gallus Ordinis S. Franciſci Inſignis Theologus & in Philoſophia Lulliana peritiſsimus, qui ſcripſit Librum, cui Titulus de *Famulatu Philoſophiæ*, ſive de *Conſideratione quintæ Eſſentiæ omnium rerum, traditum Pauperibus Evangelicis*, qui Liber eſt præclara explicatio Libri Quintæ Eſſentiæ B. Raymundi. Quanta in hoc Illuſtriſsimo Lulliſta enituerit pietas & ſcientia patet, tum ex perſecutionibus, quibus examinata fuit ejus innocentia & patientia, tum ex propriis textibus ab ipſo Libro deſumptis; ſic enim loquitur in Proœmio fol. 9. „ Conſi„ deravi ergo, quòd tempus ex„ penſum in pruritu mundanæ „ Philoſophiæ plùs quàm annis „ quinque ante ingreſſum Ordi„ nis... & plùs aliis quinque, ex „ quo Ordinem hunc intravi, „ cum ſtrepitu multo inanium „ verborum, & conflictu inuti„ lium diſputationum, & laude „ vana, & gloria fatua lectio„ num tam in ſtudiis particu„ laribus, quàm in generali„ bus legens, ſicut eſt poſſi„ bile tempus prædictum redi„ mere, redimam... Vidi poſſi„ bilem modum in hoc, ſi uti„ litates, quas vidi in Philoſo„ phia divino Spiritu illuſtran„ te . . . revelem pauperibus „ Chriſti & Evangelicis Viris, „ ut, qui divitias propter Evan„ gelium contempſerunt, ſinè „ humana Doctrina ſciant faci„ liter & de levi ac ſinè no„ tabilibus expenſis ſuas cor„ porales miſerias & infirmita„ tes humanas divina benigni„ tate ſanare.

12 Ex quo textu inimici hujus nobiliſsimæ ſcientiæ Alchimiæ putantes antiquos Sapientes illam indagaſſe cupiditate conficiendi aurum & comparandi divitias, poſſunt videre quàm longè altiorem fi-

finem habuerint, ſcilicet perfectam totius Naturæ creatæ cognitionem, & per hanc inviſibilia Dei efficaciùs percipere, eorumque excellentia ineſcati, priora diſcerent contemnere, & poſteriora totis viribus proſequi. Unde noſter Illuminatus Doctor in ſuo Teſtamento dicit: *Poſtea, Fili, non æſtimabis omnes divitias hujus mundi unum botonem.*

13 Et nè quis arbitretur, Authorem intendere, aliquem per talem Medicinam poſſe fieri immortalem, huic objectioni obviat ibidem dicens: *Hoc autem in textu ſacro infallibiliter tenemus, Deum unicuique terminum conſtituiſſe, qui quocumque humano ingenio vel ſubſidio non valeat præteriri.* Et infra: *nullus valet ad ſublimia hujus Artis pervenire, niſi fuerit per altiſſimam contemplationem & ſanctiſſimam vitam deificata priùs mens ejus, ita ut non ſolùm cognoſcat omnia interiora Naturæ; ſed etiam cognoſcat tranſmutabilem tranſmutare naturam; & hoc pauciſſimis eſt conceſſum: & communiter hi* (nempe vulgares & non Philoſophi Alchimiſtæ) *fictionum & ſophiſticationum ſectatores ſunt: de quibus verificatur ad literam proverbium Pauli 2. ad Cor. 3. dicentis: ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Eadem eſt mens omnium verorum Lulliſtarum contra fatuos Alchimiſtas, quod eſſet impoſſibile, ſi aut Alchimia nihil eſſet, aut omnes hi illuſtres Authores eſſent deceptores, ût placuit R. P. Kirkero.

14 His finitis enarrat ſua vincula & catenas dicens: *Reliqua autem Opera philoſophica ſummè ſtupenda, quæ hic ſubticeo, conjectus contra Deum & juſtitiam (ſicut in die Judicii Deus oſtendet) ab æmulis in vincula integris jam ſeptem annis inter compedes & catenas, per ſublimes theorias & Illuminationes cœleſtes didici, inferiùs per libros ſingulos, ſi Deus voluerit, vobis Viris Evangelicis, quibus ſcribo, pleniſſimè revelabo, ût potero:* non enim omnibus, ſed *ſolis ſanctis fecit hoc opus*, ût teſtatur in Procem. fol. 10. Et quidni Sapientes Lulliſtæ reſervent ſolis Sanctis, quod R. P. Kirkerus ſolis Principibus?

15 Non obſtante tanto merito hujus Scriptoris non defuere quidam Chronologi, qui eum nigro carbone notare non

ſibi nefas duxerunt ; quibus omnibus potiorem ſe reddidit acerbiſſimus in B. Raymundum ejuſque Diſcipulos Bzovius, collocando Rupeſciſſam inter hæreticos & pſeudoprophetas ; ſed illum egregiè vindicavit ab hac calumnia R. P. Dermicius Thadæi ût & Illuminatum Doctorem noſtrum in Nitela Franciſcanæ Relig., & abſterſione ſordium, quibus eam conſpurcare fruſtra tentavit Abrahamus Bzovius. Videantur plura in 1. Tom.

16 Quartus ſit Chriſtophorus Pariſienſis præclariſſimus Philoſophus & unus inter celeberrimos Diſcipulos Illuminati Doctoris, qui nomen ſuum poſteris veræ Philoſophiæ Amatoribus & condiſcipulis ſuis plurimùm commendavit quatuor Tractatibus, quibus magnam lucem præbet Libris practicis B. Raymundi. Primus eſt Apertorium Alphabetale. Secundus Lucidarium ſeu ſumma major. Tertius Summa minor. Quartus Cythara, cujus initium: Deus Sanctiſsime &c. In cap. 7. hujus Libri invehitur in ſophiſtas, & in cap. 8. jubet cavere à quibuſdam dicendo : *Tertii & ultimi Artifices, qui inveniuntur in hac digniſsima Scientia & Arte, debent vitari omnibus viribus, cùm ſint homines phantaſtici ; & quamvis hæc tertia ſecta ſint homines docti in aliis Scientiis, nihilominus in hac ſunt ignorantiſsimi ; nam poſtquam de illa deſperarunt, dum non potuerunt adimplere ſuum deſiderium, & ob paſsionem illius perdiderunt fidem* (ſcilicet Artis) *facti ſunt ſchiſmatici & hæretici* (nempe hujus ſcientiæ, non Religionis) *cum qua fallaci opinione mordent hoc noſtrum divinum Magiſterium cùm infinitis argumentis, quæ in noſtra Summa Majori plenariè ſolvimus manifeſtando illorum malignam iniquitatem.* Ita Chriſtophorus. Hæc Cantilena malè ſonaret in auribus magni Cancellarii Baconis vocantis *Artem impoſturæ* Artem Divinam B. Raymundi, ût infra, & noſtratis D. Segui ſi adhuc viveret, qui ob Artem à ſe fruſtra attentatam omnes Alchimiæ Profeſſores è commercio humano tolli exoptabat in Vita B. Raymundi cap. 8., ubi dicit Sapientiſsimus Salzinger: Si ſecundùm D. Segui vera Literatura & vera Philoſophia concordat cum ignorantia, D. Segui fuit optimus Philoſophus, ſed ego malim eſſe peſsimus.

De-

17 Deinde hic Celeberrimus Lulliſta in Proœmio Summæ Majoris poſtquam enarraſſet quòd Filius Dei ad demonſtrandam ſuam liberalitatem & infinitam Miſericordiam, non ſolùm voluerit incarnari, ſed etiam in utilitatem humanæ naturæ voluerit quòd hæc famoſa Scientia & Ars non maneret incognita & abſcondita apud prudentes & juſtos, ſed inſpiraverit gratiam ſuæ Sapientiæ in aliquibus ſervis ſuis, inter quos, ait, fuit prœclariſſimus Raymundus Lullus... qui inſpirante Spiritu Sancto fecit infinitos & nobiliſsimos Tractatus & glorioſa Volumina apud prudentes & diſcretos. Videantur plura in principio 1. Tom.

18 Quintus ſit Rmus. Magiſter Petrus Degui Montis Albi Presbiter ſæcularis & Inquiſitor Generalis hæreticæ pravitatis per totam Hiſpaniam, qui edidit *Introductorium admodùm breve & ſuccinctum ad omnes ſcientias*, quod Januam Artis Illuminati Doctoris Magiſtri Raymundi Lulli nuncupavit, impreſ. Colon. anno 1516. Incipit Liber: In nomine Jeſu, &c. Ordinatio hujus Libelli mole quidem exigui, virtute verò ampliſsimi eſt ad mentem Illuminati D. nempe à ſenſualibus ad intellectualia; in quam ordinationem præcedens Author & omnes veri Lulliſtæ conſpirant; rationem hujus aſsignat in introitu Libri: *Quia à deviatione finîs oportet etiam, modum habendi ſe ad finem deviari* (hanc deviationem factam inſinuat per peccatum primorum Parentum, cujus labe non ſolùm Anima eſt inquinata, ſed etiam intellectus corpori infecto immerſus) *ideo* (pergit) *quod primò erat ſcibile, ei poſt ſcibile factum eſt; propter quod ordine è converſo procedendum eſt in operatione ipſius intellectus, à compoſitis ad ſimplicia, & à ſimplicibus ad divina.* Totus Libellus imitatur Libros Illuminati Doctoris, & ſignanter Librum de Principiis & Gradibus Medicinæ; quale eſt illud inſigne ſecretum de *Materia prima*, non peripatetica & Metaphyſica, ſed Chimicorum Lulliſtarum phyſica, de qua agit Lavinheta & hìc Degui agens de mutua informatione quatuor elemẽtorum ſimplicium; *quæ elementa ſimplicia ût forma & ût materia cujuslibet aliis, & ût cauſa formalis & cauſa materialis totius mutua informatione mediante*

te conſtituunt unum eſſe communi determinatione nominatum, quod elementum commune dicitur, in quo æquè tam ſecundum ſubſtantias, quàm ſecundum accidentia ingrediuntur, ita quòd ex ſubſtantiis ſubſtantia reſultat, & ex accidentibus determinatio quædam æquali gradatione æqualiter reſultat; quod reſultatum... materia prima omnium generabilium & corruptibilium dicitur. Certè tale animal (talis materia prima) in porticu Stagyritæ haberetur pro hircocervo vel vulpanſere; & cùm, ſecundum Doctrinam Lullianam, ſit crudum & per conſequens coquendum, neſciret culina Ariſtotelis, an magis congrueret aſſum, an elixum. Vide alia ibidem.

19 Sextus ſit Petrus Baudovinus Dominus de Montarſis plurimorum voluminum tam in Artem Generalem, quàm in varias Artes & Scientias particulares & ſpecificas Author ac inſignis Lulliſta, hic tranſtulit totum Librum de Quinta Eſſentia B. Raymundi in linguam Gallicam adjunctis expoſitionibus, reſtituendo deficientia quædam, & exhibendo figuras, tabulas, literaſque propriis ſuis ab ipſo B. Raymundo præſcriptis coloribus, magni pariter laboris, induſtriæ & perſpicaciæ Opus. Eidem linguæ commiſit Teſtamentum noviſsimum B. Raymundi, ſcripſit pariter Tractatus de Mathematica, Juſtitia, Medicina, Aſtrologia, Morali, de Commercio, de Immortalitate Animæ rationalis, de *Agente univerſali*, *de Materia prima diſſolventis & modo illud præparandi*, *de Clave in Libros Medicos & Chimicos B. Raymundi*; quæ omnia manuſcripta vidit & perlegit & examinavit meus ſapientiſsimus Magiſter Ivo & principiis Lullianis conformia reperit. Adhuc videbitur infra tractando de Ratione. Quid ſentiat hic præclarus Lulliſta de ſuo Magiſtro, de Arte & de Chimia, declarat in Libro typis dato Pariſiis cap. 10. ſic: „ Fecimus „ applicationem ſecũdùm hanc „ methodum generalem ad Ar„ tes & Scientias ac Negotia, „ imò etiam ad Chimiam, quæ „ eſt fundata ſuper ordinemNa„ turæ, ubi videtur probatio „ & poſsibilitas Operis Philo„ ſophorum, Magiſteriorum & „ Operationum utiliſsimarum „ ad invenienda remedia, per „ quæ poſsit conſervari ſanitas, „ & curari infirmitates. Et, „ cùm B. Martyr Raymundus

„Lul-

„ Lullus profundiùs tractaverit „ de hac materia, quàm quivis „ alius, prout videri poteſt in „ ſuis Operibus Chimiæ, Medicinæ, Aſtrologiæ, Phyſicæ, imò majori efficacia & „ ratiocinatione inde locutus „ ſit, & pulchriora ac majora „ ſecreta revelaverit, me obligatum cenſui, ut ſecundùm „ ſuam Artem Generalem explicarem quemdam Tractatum ab illo factum, qui eſt „ Clavis ſecretorum Naturæ ... „ Et infra dicit: in hoc Tractatu (Quintæ Eſſentiæ) Raymundus Lullus videre facit „ per ratiocinationem & demonſtrationem, quòd ſit poſſibile invenire Medicinam „ generalem & univerſalem ad „ conſervandam ſanitatem & „ curandas infirmitates, &c. Vide plura in 1. Tom.

20 Requieſcamus jam in numero ſeptenario Authorum ita Inſignium ab Univerſali Opere philoſophali, audientes præſtantiſsimi Galli cantum, qui, ût ſupra de Doctrina B. Raymundi, nunc iterum dat vocem de Chimia ejuſdem, ſcilicet A. R. D. Joannis Aubrii Presb. Monſpellienſis Scientiæ Lullianæ, Medicinæ & Sacrorum Canonum Doctoris Eximii, Abbatis N. Dominæ de Aſſumptione, Conſiliarii & Medici ordinarii Regis Galliæ. Hic Lingua ſua Gallica Librum typis mandavit Pariſiis circa annum 1659. jam quinta editione renovatum, & in quinque diverſa Idiomata translatum. Inſcribitur Liber: „ Triumphus „ Archæi & Miraculum mundi, vel Medicina univerſalis & vera ad ſanandas omnis generis infirmitates etiam „ deſperatiſsimas, &c., confirmata per Rationes neceſſarias & Demonſtrationes infallibiles, quibus nemo ſani „ judicii poteſt contradicere: „ ubi inſuper videntur Principia & Fundamenta omnium „ Scientiarum, Diſciplinarum, „ & Artium ... Methodo maximè miranda, & hucuſque „ inauditâ cum altiſsimis perfectionibus, quæ poſſunt attingere Intellectum humanum.

21 Præter hunc Librum fecit alium, cui Titulus: *Sol Microcoſmi*, in quo dat Theoriam Medicinæ Paracelſicæ veræ ſubſtantialis & particularis: item tranſtulit in ſuam maternam linguam ex latino Libellum de *Amico & Amato B. Raymundi Lulli*: cui præfixit Titulum *Medicinæ univerſalis Animarum*: (& certiſsimè in hoc ſe val-

valde præſtantem incomprehenſione Miſticæ Theologiæ oſtendit, quia hic ſolus Libellus quidquid diffusè tractatur à Theologis miſticis methodo prorſus divina comprehendit) edidit pariter Librum de *Inſtructione Concionatorum*: Item *Tubam Evangelii & Librum Librorum*, in quo dicit ſe diu converſatum eſſe cum Atheis, Infidelibus & Doctoribus Paganis ea intentione, ut per Sacram Scripturam, Relationem Miraculorum, Hiſtorias, Patres Eccleſiæ, & noſtros Doctores, illos induceret ad amplectendam veram Fidem, ſed exiguo & ferè nullo fructu, donec cum illis egerit per Rationes neceſſarias & demonſtrativas, de quibus videtur totum hunc Librum compilaſſe. Denique fecit *Compendium Ordinis admirabilis Cognitionum & pulchrorum ſecretorum Sancti Raymundi Lulli Martyris cum Compendio conſultationum & gratiarum actionum* ipſi ſubmiſſarum ex omnibus terræ partibus à Sapientiſsimis & in omni gradu Dignitatis vel Ordinis exiſtentibus Viris.

22 Qualis verò & quantus fuerit hic Author in Arte & Scientia Lulliana, & ſupradictis Librorum ſelectiſsimorum Argumentis ſufficienter probat veris Lulli Diſcipulis, & Opere per totum orbem notiſsimo omnibus fidem facit (ſi eos excipias qui nemini credunt niſi ſibi ipſis) teſtatur enim in Præfatione, quòd ſuis remediis pluſquàm ter centum millia hominum omnis ætatis, ſexûs & conditionis, fuerint reſtituti in priſtinam ſanitatem ex omnibus Regionibus, Provinciis, Regnis, &c. Et fol. 21. ait: *Author hujus Quintæ Eſſentiæ ſimplicis eſt Magnus Magiſter S. Raymundus Lullus Martyr, de qua compoſuit quemdam Librum, qui fuit notus Rupeſciſſæ Presbitero & Religioſo S. Franciſci.*

23 Poſtea pervenit ad aliam Quintam Eſſentiam millies altiorem ſupradictâ, de qua in Prologo ſui Archæi ait: *poſtea pervenimus ad cognitionem magnæ & incorruptibilis Quintæ Eſſentiæ, quam S. Raymundus Lullus ſatìs obſcurè publicavit ad eumdem finem converſionis Infidelium, poſt laborem decem annorum, quæ ſanat omne genus infirmitatum.* Hæc & alia plurima notatu digna dicit Aubrius, quæ brevitatis causâ prætermitto videnda in principio primi Tomi Magni Operis.

24 Nunc ad rem. Quid ad hæc

hæc Miſochimici? Utique R. P. Sollerius dicet in Actis S. Raymundi §. 11. fol. 25. *veterem eam eſſe & pervulgatam de Lullo fabulam, &c. quòd Chimicam & docuerit, & per ſe ipſe multoties exercuerit: imò eſſe commenta viro ſancto injurioſa.* Hem quantum malum! ſed unde probat Sollerius hanc eſſe fabulam? & qua certitudine Pater Feijoò ſupponit illam? an fortaſſe legerunt Libros B. Raymundi tam indubios, quàm de Chimia illi adſcriptos? an utroſque intellexerunt? minimè gentium, ſed à noſtris Vincentio Mut & Waddingo ille tela mutuatus eſt, & à Chronologia contra Chimicos Lulliſtas, putat enim *plebeias has fabulas per plebeia argumenta horum duorum Authorum egregiè confutatas*: quid autem roboris in ſe contineant horum duorum & quorumcumque aliorum oppoſitæ rationes, videatur in Perſpiciliis Lullianis 1. Tom.; hìc ſolùm placeat cuique contrariæ ſententiæ dare ſolvendum hoc argumentum: aut Aubrius verum ſcripſit de ſe & de ſuo Magiſtro, aut verum de ſe & falſum de ſuo Magiſtro, aut falſum de ſe & verum de ſuo Magiſtro, aut falſum de utroque? ultra hæc quatuor membra nullum ſupereſt. Si dicatur tertium & quartum (quod tamen ſinè impudentia neminem dicturum puto) tollitur omnis fides humana, & Viro toto orbe celeberrimo infertur calumnia falſarii ac deceptoris; præterea tot hominum illuſtria teſtimonia arguuntur mendacii: ſi dicatur primum, habemus intentum; ſi verò ſecundum, Diſcipulus erit ſuper Magiſtrum, quod abſit; *non enim eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum, ſed ſufficit Diſcipulo ut ſit ſicut Magiſter ejus.* Math. 10. v. 24. & 25.

25 Porrò, ſi injurioſum eſt Chimiam ſcire & practicè exercere, injurioſum eſt habere ſcientiam perfectam mineralium & rerum naturalium, injurioſum eſt ſcire generationem, corruptionem, tranſmutationem, regenerationem, perfectionem, & multiplicationem virtutum, injurioſum eſt habere perfectam poteſtatem & uſum naturalem creaturarum dominio hominis ſubditarum: &, ſi hoc totum eſt injurioſum, contrarium erit juſtum, ſcilicet eſſe ignorantem, impotentem, inexpertum, & inutilem in omnibus prædictis (& ſic etiam Ars Magna omnino vana

& inutilis ad hunc finem, ût placet Patri Feijoò, eſſet juſtiſsima.) En quàm præclara argumentatio! & tamen ſic implicitè argumentantur omnes qui ſunt contrariæ ſententiæ. Unde non poſſum non ingenuè fateri me aliquando inductum, vel potiùs ſeductum, tanta Authoritate tot Virorum alioquin doctiſsimorum, putaſſe Alchimiam eſſe nigromantiam; ſed, Deo favente & re meliùs introſpectâ, video non eſſe pejorem nigromantiam quàm nigram ignorantiam.

26 Sed fortè dicet aliquis, ſolùm eſſe verum, quod prædictum eſt de Alchimia, ſpeculativè & poſsibiliter, non verò practicè & actualiter; ſic enim affirmat prælaudatus P. Feijoò in ſuo Theatro Tom. 3. Diſc. 8. fol. 160. n. 8., ubi probans poſsibilitatem Alchimiæ, ſic concludit: *nam ſupponendo eſſe in natura illud agens* (converſivum) *& illud paſſum* (convertibile ſive tranſmutabile) *& eſſe unum alteri applicabile, quænam repugnantia poteſt aſsignari, nè hominis diligentia illa cognoſcat & applicet?* Ad hoc obiter reſpondetur, ſui muneris eſſe aſsignare hanc eamdem repugnantiam, quam negat, ad negandam actualitatem & exiſtentiam ipſius Alchimiæ, & ſic cogitur ſibi contradicere; quia, ſi ſunt tot dictæ poſsibilis actualitatis inveſtigatores, quot ſignificantur in dicto Libro, quare aliquis illorum numquam pervenit ad ipſam actualitatem totis viribus quæſitam? Si dicatur quòd, quia nullus eſt qui dignè quærat hanc rem poſsibilem, eſt maxima temeritas; ſi dicatur eſſe aliquod impedimentum repugnans tali inventioni; vel illud eſt vincibile ab homine, vel invincibile; ſi hoc ſecundum, poſsibilitas affirmata eſt implicatoria; ſi illud primum: ergo impoſsibile eſt nullum perveniſſe ad actualitatem dictæ poſsibilitatis, niſi probetur ab illo qui priùs probet ſe dicere verum & ſcire omnia quæ ſub ſole fiunt. Hoc ſolum placuit ratione examinare, quia defenſio veritatis me coëgit, quo videtur, ſi dictus Author ſimili ſecuritate tendit per alias vias ſicut per hanc, quàm ſecurè & munitus incedat!

27 Inquiro nunc: quomodo probat dictus Author carentiam actualitatis Alchimiæ? & reſpondeo quòd facillimè, negando

do ore rotundo omnes Authoritates in contrarium adductas, imò poſtquam repulit ipſas in citato Diſcurſu 8. fol. 169. ait: *ubi eſt advertendum quòd, quantum dicunt Alchimiſtæ de his & aliis Authoribus antiquiſſimis qui tractant de Chryſopœia, eſt inventio* (figmentum more latino) *& ſomnium.* Nunc quæro: quo jure vendicat ſibi fidem, ſic negando ipſam aliis? numquid non eſt verum quòd nemo præſumendus eſt malus niſi probetur? Dicet utique verum eſt. Ergo pariter eſt verum particulare, quod infallibiliter ſequitur ex illo univerſali, neminem ſcilicet præſumendum eſſe mendacem, niſi probetur.

28 Ad videndum ergo cuinam ſit credendum, ſupponamus priùs omnia mala peſſima, quæ dicit laudatus Pater de Alchimiſtis, eadem dicere de eiſdem B. Raymundum cum omnibus ſuis veris Diſcipulis, ſed non indiſcriminatim, ſed de falſis Alchimiſtis, qui neſcientibus naturam, conantur cũ ſola Arte efficere quod per naturam ipſam eſt efficiendum; ſed de veris Philoſophis Chimicis cum magna veneratione loquuntur, ût videtur in ſuis Libris; in hoc etiam conveniunt cum prælaudato Patre, ſcilicet quòd ſi aliquis ſe jactet & affectet ſe oſtendere & reputari philoſophalis ſecreti poſſeſſorem; eſt ſignum falſitatis ſuæque magnæ ſtultitiæ. Sed diſsident in hoc quod dicit idem Author in citato Tom. 3. Diſc. 8. §. 1. ſic incipiens: *Auri ſacra fames finxit ſibi duarum Artium inventionem; alteram ad efficiendum hoc pretioſum metallum, &c.*; nam apud veros Philoſophos omne aurum in comparatione veritatis ſcientiæ, arena eſt exigua; quia Anima nihil fortiùs deſiderat quàm veritatem; & propter hoc dicit B. Raymundus iterum in ſuo Teſtamento: *Poſtea, Fili, non æſtimabis omnes divitias hujus mundi unum botonem*; & etiam hæc eſt una ex rationibus, quare Crates Philoſophus & multi alii divitias contempſerunt: unde miror ſanè, prælaudatum Patrem tantum ſiſtere in confectione auri, cùm veri Philoſophi habeant finem millies altiorem, ût jam ſupra dictum eſt.

29 Ut videatur ergo cui ſit credendum, dignentur veritatis amatores, inter Illuſtres Authores, quos & inſignis pietas cum pari ſcientia, & monumen-

menta Inclytorum Operum nobis commendarunt, perluſtrare magnum Re & Nomine B. Albertum, qui Lib. 3. de metallis in Com. tr. c. 1. ait ſic: *Dicam igitur rationabiliter, aut ea, quæ à Philoſophis ſunt tradita, aut ea, quæ expertus ſum, exul enim aliquando factus fui, longè vadens ad loca metallica, ut experiri poſſem naturas metallorum: hac enim de cauſa quæſivi in Alchimicis tranſmutationem metallorum, ut ex his innoteſceret aliquatenus eorum natura & accidentia eorum propria: eſt autem optimum genus hujus inquiſitionis & certiſſimum; quia per cauſam uniuſcujuſque rei propriam res cognoſcitur, & de accidentibus ejus minimè dubitatur: nec eſt difficile hoc cognoſcere, ſicut nec de lapidibus ſcientia difficulter inveſtigatur; quia cauſæ eorum ſunt manifeſtæ, & corpora eorum non ſunt diverſa, ſed homogenea per totum, & non ſicut alia corpora, quæ propter ſui diverſitatem per Anatomiam non in toto poſſunt inveſtigari & ſciri.* Hæc B. Albertus, unde clarè infertur, imò ſinè illatione videtur ipſum adeptum eſſe practicam Chryſopœiæ & Alchimiæ, & hanc jam fuiſſe à Philoſophis traditam, quod confirmat loco citato ſic: *De tranſmutatione autem horum corporum & mutatione unius in aliud non eſt Phyſicè determinare, ſed Artis quæ vocatur Alchimia.*

30 His nondum contentus Vir in Alchimicis expertiſsimus, per totum *Librum de Mineralibus* quinque Libris comprehenſum omnia Artis principia cum toto modo operandi per tot luculentas & profundiſsimas rationes experimentis junctas deſcribit, ut nequidem vaſorum ſtructuram & regimen ignis omiſerit cum omnibus ſignis in opere occurrentibus; quæ omnia ex nuda theoriâ haberi poſſe, ſi quis aſſerere non veretur, crediderim pari illum certitudine alios perſuaſurum, quòd ſola theoriâ perfectè norit omnes reſiduas orbis plagas nondum à Columbo & ſuis ſequacibus detectas. Pervolvantur quæſo dicti quinque Libri modico volumine clauſi, & non poterit non ſuboriri admiratio Viros cęteroquin literatos tam modica attentione & tanta libertate chartis illinire, de cujus oppoſito ſingulis momentis poſſunt convinci: quod non aliunde provenit, niſi quia hu-

hujuſmodi Libros non conſulunt, ſed aut aliorum malè ſartis ratiunculis fidem adhibent, aut, ſi aliquando hos Libros adeunt, id agunt, de quo Illuminatus Doctor conqueritur in Lib. Deſol. §. 22. dicens: *Legunt iſtos Libros ſicut catus tranſiens ſuper ardentes prunas.*

31 Porrò pro tuenda veritate actualitatis practicæ & antiquitate Alchimiæ placeat diſcere ex B. Alberto Magno, ferè neminem antiquiſsimorum & celeberrimorum Philoſophorum fuiſſe hujus glorioſæ Artis & Scientiæ ignarum; horum enim nomina recenſet Albertus, & Scripta exactè pervolvit: quorum aliqua huc ponere non abs re erit, ut videatur ſi ipſe ût bonus dormitavit Homerus, & ſic per ſomnium finxerit quidquid dicit de antiquiſsimis Philoſophis in hac re, ſecundùm placitum dicti Patris, ût ſupra: itaque Miner. Lib. 2. tr. 1. cap. 2. inter antiquos Philoſophos nominat *Alexandrum Grecum Peripateticum*, qui virtutem lapidum attribuebat complexioni elementorum, & *probat* (ſunt verba B. Alberti) *per opera Alchimiæ, in quibus ſimplicia parùm proſunt, & cùm complexa fuerint admirabiles valde reddunt effectus.* Eodem cap. citat *Avicennam ejuſque dicta, quæ de Magicis & Alchimicis compoſuit.* Lib. 3. citat *Calliſthenem dicentem Alchimiam eſſe ſcientiam, quæ inferioribus metallis nobilitatem attribuit ſuperiorum.* Item cap. 8. citat *Hermetem, Gilgil & Empedoclem* ût Alchimiſtas: quem Hermetem ſpecialiter tr. 2. cap. 3. *Ducem & Patrem Alchimiæ dicit*: eumdem citat Lib. 4. cap. 4. & 7. *Propter quod dicit Hermes, qui eſt Radix, ſuper quam omnes Philoſophi ſui ſunt ſuſtentati, quòd rubeum ſolis medicina eſt, album verò Lunæ.* Plures alii in præfatis Libris citantur, ût *Plato, Anaxagoras, Democritus, Geber, Alchindi, Raſis, &c.*

32 Sed, quia plures ex his Philoſophis, quos B. Albertus non duxit ſibi nefas citare & venerari doctrinam ab ipſis traditam, placuit R. Patri Feijoò appellare ſobolem caninam (canalla) Saracenicam & Mahometanam; & non eſt operæ pretium hìc longam texere quæſtionem de moribus, vita, Religione & natione ipſorum, quod tamen alibi intactum non relinquetur; videamus alios Inſignes Authores Catholicos, quid

quid ſentiant de actuali exiſtentia Alchimiæ, inter quos primatum teneat Arnaldus de Villanova Doctor Inſignis & maximæ Authoritatis in Philoſophia, Alchimia & Medicina, qui in Tractatu de Doſibus Tyriac. circa finem oſtendens virtutem Lapidis cujuſdam Bezoardici ad expellendum venenum, ait: *Nec mirabimur de hoc cùm viderimus magnam medicinam, quem Lapidem rubeum vocaverunt in quantitate unius grani milii qualibet die ſumptam, collectionem duram quindecim annorum exteriùs eminentem in latere infra tres hebdommadas reſolviſſe.* Videantur alia ibidem notatu digna.

33 Et profectò ſi vidit Arnaldus effectum Lapidis Philoſophorum, hic lapis debuit eſſe, quia non entis nullæ ſunt qualitates, nec virtutes. Secundus eſt Petrus Bonus Lombardus, vulgò dictus Magiſter ſententiarum, Philoſophus & Chimicus excellentiſsimus, qui in ſua Margarita pretioſa tanta energiâ, authoritate antiquorum Philoſophorum, argumentorum copiâ & robore, Alchimiæ poſsibilitatem & exiſtentiam demonſtravit, ut, cui hic ſolus Liber non ſufficiat, nihil illi ſuffecturum ſpondeo. Legatur cap. 8. *in quo oſtendit, quomodo hæc Ars inventa ſit, & quibus data ſit, & quibus non, & quare ſic obſcurè ſcripſerunt eam Philoſophi*; ex quo videtur, ſi iſta Ars inventa eſt & data eſt, ejus exiſtentia jam eſt, & quidem non ſolùm ad ſpeculandum, ſed ad operandum, ut ipſe inferiùs confirmat ſic: *Ergo in ipſius opere eſt ſudandum.* Et de negantibus hanc veritatem ait: *Ideo vidimus quàm plurimos ſapientes hujus Artis terminos ignorantes, hanc quæſtionem inveſtigare volentes, arguentes ex extraneis, hanc Artem non eſſe veram; & ſic in fine concludunt, & determinant, & ignorant.*

34 Tertius eſt Admirabilis Doctor Rogerius Bacon Anglus noſtri Seraphici Ordinis, qui in Lib. 6. *Scientiarum* ait: „ Quarta verò Scientia non „ modicam habet utilitatem in „ notitia rerum & ſcientia in„ quirendâ; & eſt Alchimia, „ ſpeculativa, quæ in particu„ lari & per experientiam re„ rum inferiorum, generatio„ nem & naturas ac proprie„ tates inveſtigat: illa verò, „ quæ practica dicitur, nego„ tiatur per artificium circa „ ope-

„ opera utilia perſonis & rei-
„ publicæ in tranſmutatione
„ metallorum vilium in aurum
„ & argentum, & in com-
„ poſitione Uzifur & cætero-
„ rum colorum, & in reſolu-
„ tione cryſtallorum & marga-
„ ritarum & aliorum lapidum,
„ ac eorum compoſitione &
„ augmentatione, & in ope-
„ ribus multis circa lapides
„ pretioſos, & præcipuè in
„ præparatione multarum re-
„ rum, quæ faciunt ad conſer-
„ vationem ſanitatis, & cu-
„ rationem ægritudinis, & ad
„ prolongationem vitæ mira-
„ bilem & potentem. Videa-
„ tur an iſta fiant cum ſola poſ-
„ ſibilitate Alchimiæ?

35 Et in opere de emendandis ſtudiis Lib. 3. ita loquitur: „ Deinde completa par-
„ tium operis majoris enume-
„ ratione, quia ſexta ſcientia
„ eſt Alchimia, quæ utilis eſt
„ valde, (hìc notandum Authorem non ſibi contradicere vocando priùs Alchimiam quartam ſcientiam, & nunc ſextam, quia, ſi Alchimia generalis eſt quarta, quinta eſt ſpeculativa ſpecialis, & ſexta ſcientia eſt ſpecialis practica) „ &
„ eſt de majoribus ſcientiis;
„ ideo poſui eam ſub forma
„ Philoſophorum in ſuo loco
„ in ænigmatibus, promittens
„ me expoſiturum eam in ſe-
„ quentibus: poſt hæc deſ-
„ cendi ad peccata ſtudii, &
„ ejus remedia, & in ſexto
„ peccato manifeſtando deſ-
„ cendi ad generationem re-
„ rum ex elementis, & texui
„ illam totam uſque ad ſpecia-
„ lem generationem animalium
„ & plantarum, & diligentiùs
„ hanc practicavi; quia his ape-
„ riuntur magnarum ſcientia-
„ rum radices, &c. Si hæc figmenta dicantur & ad fabulas remittantur (quod dictu facillimum) remittimus etiam noſtros Adverſarios ad Magiſtros prurientes auribus, qui à veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur; nam illis hic Author non loquitur, ût proteſtatur in *brevi Breviario de Dono Dei* ſequentibus verbis.

36 „ Intelligenti itaque lo-
„ quor atque diligenti, qui &
„ fundamenta regulæ natura-
„ lis, quæ Alchimia naturalis
„ innuitur, à cunctis quidem
„ Philoſophis poſita non de-
„ ponit, nec malè ſuppoſita
„ fuiſſe ſupponit: non illis
„ quippe ignorantibus loquor,
„ qui ût bruta ſenſibiliter am-
„ bulantes ea ſolùm credunt
„ eſſe poſsibilia, quæ commu-

„ nis

„ nis uſus & inferioris naturæ „ communis curſus communi„ ter operatur. Ille profectò eſt „ Philoſophiæ naturalis & ra„ tionis inimicus, quicumque „ naturalem eſſe poſsibilemque „ metallorum invicem tranſ„ mutationem negat.

37 Nunc adhuc reſtat B. Raymundum loqui de ſe ipſo, quia ætatem habet, & licèt teſtimonium ejus non deſumatur ex puris verbis, optimè deſumitur ex Diſcipulis ſupradictis, qui practicam Alchimiæ didicerunt à tanti Magiſtri Operibus, quæ ſequuntur illum. Itaque in 1. parte Teſtamenti cap. 62. n. 3. ait: „ Et quòd „ hęc aqua (diſſolvens) habeat „ poteſtatem ad comburendum „ omne id, quod eſt illi extra„ neum & contrarium, pro„ bavimus per certam expe„ rientiam; nam in hac aqua „ diſſolvimus per artificium „ commune & minerale ſul„ phur, & poſtea ſublimavi„ mus illius humidum, quod „ in natura erat magis purum, „ per diſtillationem, & poſ„ tea poſuimus intus argen„ tum vivum vivificatum, & „ ſtatim eſt congelatum, &c. „ poſtea voluimus experiri ſuam „ luciditatem & miſcuimus „ aquam fini argenti cum aqua „ dicti ſulphuris, &c.; ſed totum hoc eſt actualis praxis Alchimiæ: ergo B. Author illam practicè cognovit & exercuit.

38 Et in 2. p. de practica cap. 26. n. 5. ait: „ Nunc, Fi„ li, ad meliùs intelligendum „ partem illorum, quæ tibi „ diximus *per viſibilem expe„ rientiam*; accipe unam par„ tem Lapidis & adminiſtra ei „ amalgamati decem partes ar„ genti vivi... & vide, ad quam „ formam ipſum terminetur „ per tranſmutationem; & ſi „ illud dimittit ipſum in ſpe„ cifica forma argenti, potes „ judicare, quam virtutem ha„ beat, &c. Et n. 7. ait: „ Non „ facies experientiam de toto „ Lapide, ſed de minori par„ te, quàm poteris, & ſerva „ aliam, donec habeas & ſcias, „ quot virtutes & poteſtates „ habeat, & quando ſcies po„ teſtatem ſuarum virtutum, „ conjunge & da ipſi cibum „ ſecundùm proportionem ſuæ „ fortitudinis, quia, ſi fortitu„ do ipſius eſt decem integra„ rum virtutum, debes admi„ niſtrare proportionaliter 100. „ pondera argenti vivi, & ſi „ eſt 15., debes ei adminiſtra„ re 150., & ſi eſt 100. debes „ adminiſtrare mille, & ſic de „ aliis.

„ aliis. Et infra ait : „ Et ha-
„ bebis duplicem mineram in
„ tua domo ad regnandum in
„ ſervitio Dei , ſed ſcito tenere
„ ſecretum , &c.

39 Et in eadem 2. p. cap. 29. *De inceratione , quæ dat fuſionem elixiri* , ait : „ Quan-
„ do fixaſti aquam ſuper ter-
„ ram , & aërem ſuper aquam,
„ ſicut tibi diximus , accipe
„ unam unciam de Medicina, &
„ pone ipſam in uno terreo cru-
„ cibulo ſuper lenem ignem, &
„ ſtatim quando ſentiet calo-
„ rem , fac deſuper cadere gut-
„ tatìm guttam poſt guttam
„ ſui albi olei : ſcito Fili , quòd
„ oleum ſit penetraturum om-
„ nes ſuas partes , & ſit intra-
„ turum inſenſibiliter profun-
„ dius corporis elixiris , & po-
„ net ſe ibi , & faciet elixir
„ fuſibile & ingrediens & pe-
„ netrans ; unde accipe modi-
„ cum & experire ſuam fuſibi-
„ litatem ſuper ignita laminâ
„ cupri , & ſi videbis , quòd
„ ſtatim reſolvatur ſicut cera ,
„ ſinè dare aliquid fumi, Medi-
„ cina erit cerata; quòd ſi non,
„ & dat fumum , reduc iterum
„ ad cerandum , & projice de-
„ ſuper guttam poſt guttam de
„ ſuo oleo , donec faciat ſig-
„ num, quod tibi diximus, talì-
„ ter , ſicut nobis fecit ; poſtea
„ permitte infrigidari, quia eli-
„ xir eſt completum & eſt im-
„ pretiabile pretium, &c. Millena adhuc clariora exempla actualitatis & exiſtentiæ Chryſopœię & Chimiæ poſſent ex Libris B. Raymundi adduci, ut R. P. Feijoò & alii viderent quid Illuminatus Doctor practicaverit in hac re.

40 Sed ipſe in tom. 3. n. 23. ingenuè fatetur ſe non vidiſſe niſi aliqua fragmenta Libri Chimici B. Raymundi , ſi fortè eſſet ipſius, & ſic non eſt tam mirum, quòd abſolutè aſſerat illud quod dicitur de eodem B. Raymundo & aliis Philoſophis circa efficientiam auri (*nam ibi ſolùm eſt quæſtio de auro*) numquam eſſe eventurum. Sed ad hoc integriùs videndũ offertur ipſi medium valde opportunum, ut ſcilicet adeat primum Tom. Magni Operis B. Raymundi , & ibi commodabuntur ipſi Perſpicilia Lulliana cum magno artificio Artis Magnæ elaborata , licèt eam reprobaverit , ex duobus vitris clarioribus illis , quæ dono dedit Carteſius ſuo Diſcipulo , quando ex ſpatio imaginario in domum ſuam reverſurus ipſi Magiſtro vale dicebat : imponat igitur ſibi illa perſpicilia & inſpiciat & videbit quinam

nam & quales ſint Libri Chimici B. Raymundi Lullii & integritatem hujus Operis & veritatis. Quo perſpecto mirabitur & dilatabitur cor ejus, quando converſa fuerit ad illum multitudo rationum, & fortitudo argumentorum venerit illi, inundatio veritatum operiet illum, quæ omnia aurum & lapides pretioſos, & pluſquàm hæc in tanta abundantia deferunt, quòd non valebit ſatìs laudem Domino tot & tantorum bonorum Largitori annunciare.

41 Sed, quia Medicina Univerſalis, quam negant etiam aliqui Profeſſores hujus tam nobilis & neceſſarię Scientiæ, eſt finis prædictorum; dignentur hi hanc percipere rationem: Certum eſt Deum creaſſe ſummum bonum in omni linea boni ad regendum omnia inferiora bona illius lineæ; & hoc ſignificant Sanctiſsima Chriſti Humanitas, Beatiſsima Virgo Maria ſinè originali macula concepta, Summus Pontifex, omnis Monarcha, ſol & quinta eſſentia trium Regnorum, animalis videlicet, vegetabilis & mineralis; nam hæc omnia ſunt ſigna divinæ Summitatis; ſed ſummum bonum in ſcientia medica eſt Medicina Univerſalis, ût per ſe patet: ergo creavit Altiſsimus Medicinam hanc, quæ deſpicitur tamquam nihil.

42 Item: ſolum ſummum bonum alicujus lineæ valet plus quàm omnia inferiora bona ejuſdem lineæ, ût patefecit nobis Deus in aliquibus ex ſummis bonis prædictis, & in aliis non videmus propter defectum ſcientiæ Philoſophiæ: ergo, ſi Deus creaſſet inferiora bona alicujus lineæ, & non ſummum bonum ejuſdem lineæ, poſuiſſet minorem plenitudinem, & reliquiſſet majorem vacuitatem in ſuis operibus, quod eſt impoſsibile, quia Dei perfecta ſunt opera: ergo neceſſarium eſt ſummum bonum in omni linea boni; & conſequenter Medicina Univerſalis.

43 Unde, qui hanc negant, videant quid accidat Atheo, qui negans ſummum bonum quod eſt Deus, cogitur affirmare inferiora bona, quæ corporali ſenſu attingit, & ſic affirmat infinitam vacuitatem, & plenitudinem finitam; ſic ſimiliter in medicinis particularibus, quas videmus eſſe bonas, cogimur affirmare eſſe inferiora bona in linea medicinali: ergo, nè dicamus Deum reliquiſſe majorem vacuitatem in

in Medicina, & in ipſa non poſſuiſſe ſignum ſuæ ſummitatis omnia regentis, debemus affirmare Univerſalem Medicinam regentem & animantem omnes Medicinas particulares. Hanc invenit B. Raymundus in vaſis Philoſophorum, & fecit, ût ex ſuis Libris & ſuorum Diſcipulorum teſtimonio convincitur.

44 Pro coronyde hujus Capitis non poſſum ſilentio præterire caſum notabilem noviter eventum, prout refert meus ſapientiſsimus Magiſter Ivo Salzinger in Perſp. Tom. 1. cap. 2., ubi loquens de pertinacia incredulorum ſic ait: „ Ego ipſemet novi unum horum incredulorum, qui ſe videntes dicunt, præſentem & oculis propriis videntem tranſmutari notabilem quantitatem cupri in verum ac purum aurum vix uno grano pulveris rubei (Artifice nullam manum applicante, imò nequidem præſente) viſo igitur tam luculento teſtimonio veritatis Artis quid actum? primò quidem mirabatur effectum, laudabat & affirmabat veritatem & præſtantiam Artis; poſt paucos verò dies dicebat fuiſſe illuſionem vel deceptionem, ſubſtituto ſicet auro pro cupro; cùm tamen tranſmutatione facta cuprum remanſerit in eadem forma cupri, ac ſi nullam vel minimam alterationem recepiſſet, totâ enchiriſi prætea à fideliſsimo ſereniſsimi Electoris Palatini Clementiſſimi Domini mei Cubiculario peractâ: cujus poſtea miniſterio præfatum cuprum delatum ad artis monetariæ peritum, ac rigoroſo examini ſubmiſſum, inventum eſt aurum naturali longe præſtantius: retulit mihi ipſemet dictus Cubicularius vir integerrimæ vitæ, ſe non potuiſſe primò inducere Aurificem, ut crederet, allatum cuprum non eſſe cuprum, ſed aurum; nam lapidi lydio admotum ac in partes diſſectum intùs & extrà non exhibebat niſi formam cupri, donec cupellæ immiſſum, notato priùs quàm optimè pondere, in eodem pondere egreſſum ſit ſub forma puriſsimi & nobiliſsimi auri, cum ſtupore prædicti Aurificis: hoc ipſum aurum mihi gratioſiſsimè oſtendere dignatus eſt ipſemet Sereniſsimus Elector piiſsimæ memoriæ, addendo, ſe ab Auguſtiſsimo ſacræ pariter memoriæ Imperatore

„ Leopoldo oretenùs accepiſ-
„ ſe, quòd ſpectante & præ-
„ ſente ſua ſacra Majeſtate
„ Cæſarea hoc ipſo pulvere
„ in quantitate grani hordea-
„ cei circiter applicato octo
„ libræ plumbi in genuinum
„ aurum fuerint converſæ:
„ non neglexerit haud dubiè
„ altefata ſua ſacra Cæſarea
„ Majeſtas omnem cautelam
„ adhibere, nè dolus aliquis
„ ſubreperet, faciendo expe-
„ rimentum per proprios &
„ fidos ſibi ſervos, prout fe-
„ cit Sereniſſimus Elector Pa-
„ latinus. Hęc ſapientiſſimus Ivo, quæ publicè typis dedit Moguntiæ Anno 1721. vivente adhuc dicto Principe de toto orbe benemerito propter maximum beneficium ipſi orbi collatum in Opere Lulliano ſuis largiſſimis expenſis undique coadunato traducto & magnificentiſſimè prælis mandato; quæ ſi non ita eſſent, ſum ab experientia certus quòd illicò inſurrexiſſent adverſariorum millia ad convincendum illum de publico mendacio, quod minimè factum cernitur.

45 Prolixior forſitan in hoc capite videbor, cùm adhuc cogar remittere veritatis amatores ad 1. Tom. Magni Operis, plurima ibi viſuros, quibus valeant pleniſſimè ſatisfieri; & non potui magis conſulere brevitati, quia mihi fuit neceſſe, ût eſt in proverbio, unâ fideliâ dealbare plures parietes; h. e. ſimul etiam ſatisfacere iis, quę à ſapientiſſimis Cuſturerio, Sollerio, noſtris Waddingo, Barcelo, Muto, & ab aliis contra idem propoſitum ob mota ſunt.

CAPUT VI.

DE MAJORITATE NUMERI ET qualitatis Appretiantium Artem Magnam & ejus Artificem B. Raymundum.

1 PErgit prælaudatus Pater in fine n. 3. ſic: *Et tandem alii applaudunt illius Arti Magnæ, alii eam ſpernunt; ſed quantùm ad hoc ultimum, tum numerus, tum qualitas ſpernentiũ Lul-*

Lullum eſt valde ſuperior numero & qualitate appretiãtium illum.

2 Dato igitur, & minimè conceſſo, quia falſum eſt, ut poſtea videbitur, & numerum & qualitatem ſpernentium B. Raymundum & ipſius Artem excedere hujus contrarium, quid quæſo inde infertur? Numquid Authorem & Artem eſſe aliquid vanum & inutile? minimè; nam, ſi ratio hęc valeret, poſſet inde arguere Infidelis: numerus & qualitas ſpernentium Legem Chriſti eſt major numero & qualitate Chriſtianorum, præſertim quando iſta Divina Lex incipiebat promulgari, quando ejus Profeſſores erant pauperes piſcatores, & puſillus grex: numerus & qualitas gradientium per viam latam vanitatis & vitiorum, quę ducit ad mortem, eſt major numero & qualitate intrantium per arctam viam quę ducit ad vitam: numerus & qualitas ſtultorum & imperfectorum eſt major numero & qualitate ſapientium & perfectorum; & ſic de aliis: ergo Lex Chriſti, via Cœli, ſapientia & perfectio, & ſic de ſimilibus ſunt aliquid vanum & inutile; nonne iſta eſſet egregia conſequentia? Et reſpondeo: minimè, imò eſſet abſurdiſsima; ſimilis igitur tenoris eſt illa quæ ſequitur ex minoritate numeri & qualitatis appretiantium B. Raymundum & ejus Artem, tali minoritate permiſſa. Quare docet Seraphic. Doct. D. Bonaventura in Specul. Diſ. regulam & exemplum non eſſe deſumenda *ex pluribus, ſed ex melioribus*: unde videtur majoritatem numeri nil facere ad rem in præſenti lite.

3 Et ſic lis adhuc pendet in *qualitate*, de qua quæritur: an ſit qualitas virtutis, pietatis, & ſanctitatis, an nobilitatis, honoris, dignitatis, & aliarum rerum, quæ appretiantur ab hominibus? Si primum, optimum teſtimonium habemus quanti fecerint B. Raymundum & ejus Artem & opera ab ipſa Arte deducta tot Viri virtute, pietate, imò & ſanctitate vitę pręſtantes, quot legerunt ipſius Libros. Id poſſem oſtendere teſtimoniis Venerabilium PP. Hieronymi Natalis Doctoris Pariſienſis, cujus perſonâ literis & prudentia uſus eſt Sanctiſ. Patriarcha Ignatius ad faciendas Conſtitutiones admirabiles Societatis Jeſu, Franciſci Doms ejuſdem Societat. literis & virtutibus celę-

leberrimi, & Antonii Llinas Franciſcani fundatoris omnium Seminariorum Miſsionum in Hiſpania & Indiis zelo ſalutis animarum & multis miraculis præclari, qui omnes cum magna fama ſanctitatis obiere; ſed, quia omnes ſunt Majoricenſes, ut promiſſa adimpleam, ad extraneos recurrere cogor; & ut brevitati conſulam ſufficiat unus pro multis.

4 Vir pietate inſignis Jacobus Faber Stapulenſis Doctor Sorbonicus, qui in Proœmio ad librum B. Raymundi *de Laudibus B. Mariæ* ſic fatur: „ Cùm duo ſint, quæ vi„ tam noſtram rectiſsimè inſti„ tuunt, Univerſalium ſcilicet „ Cognitio & operandi modus, „ &c.: unde jure evenit, ut „ hi Libri in pretio haberi de„ beant, qui, quæ rara & ne„ ceſſaria ſunt, *utiliter* monſ„ trant: cujuſmodi revera Li„ brum unum pii Eremitæ Ray„ mundi animadverti, qui ope„ randi modum monſtrat, ope„ randi dico, laudandi, oran„ di, & intentionem finemque „ dirigendi, quæ ad ſanctè inſ„ tituendam formandamque vi„ tam uniuſcujuſque neceſſaria „ ſunt: & ut verum fatear de „ me ipſo (cum modeſtia ta„ men loquar) *in Libris illius* „ *Viri plurimum mihi profice„ re viſus ſum*, & ingratus ni„ miùm viderer, & divini præ„ cepti reus, niſi in publicum „ proferrem, quod omnibus in„ telligo profuturum. Qua prop„ ter Librum ad publicum bo„ num recognovi: neque vos „ quidquam deterreat, quòd „ Vir ille idiota fuerit & illite„ ratus, horridæ rupis... aſsi„ duus Accola; *nam & credi„ tur quadam ſuperna infuſio„ ne dignatus, qua ſapientes „ hujus ſæculi longè præcelle„ ret, &c.: ingenuè fateor Ray„ mundo fermè verba defuiſſe, „ quibus ſuos pulchros poſterita„ ti mandaret conceptus; qui „ tamen valet introrsùs aſpice„ re, nihil videt barbarum, & „ quod ſententiam non contineat „ ſcitu digniſsimam: & Deus „ clementiſsimus tempeſtate noſ„ tra, ſua ſolita benignitate „ oculos hominum adaperiat, „ ut videre queant, quæ verè „ bona ſunt.*

5 Et in Præfatione ad Volumen Librorum Philoſophiæ Amoris & Proverbiorum ipſius B. Raymundi, quos dicat Alphonſo Cæſarauguſtæ Archiepiſcopo ait: „ Afluentes Arte „ Medica R. D. tuæ commen„ datiſsimus per Academiam „ noſtram Pariſienſem iter in „ Bel-

„ Belgas faciens, &c. *me ſu-*
„ *per Libris pii Eremitæ Ray-*
„ *mundi Lulli conſuluit, &*
„ *pleroſque ſacræ Theologiæ egre-*
„ *gios noſtri ſtudii Profeſſores,*
„ *qui omnes, ût par erat, piæ*
„ *mentis, & à Deo (ût pu-*
„ *tatur) illuſtratæ Opera pro-*
„ *baverunt*; verum ille, non-
„ dum factum ſatis præſenta-
„ neo ſermone ducens rogabat
„ inſuper, ut eadem de re ad
„ R. D. tuam darem literas,
„ &c.

6 „ Quid & ipſi ſenſerint
„ & ego cum eis, ne videar
„ in hoc Dignitati tuæ ampliſ-
„ ſimæ gratificari nolle, pau-
„ cis accipe. Sentiunt profectò,
„ quæ Romani, quæ Veneti,
„ quæ Germani, quæ denique
„ veſtri, qui omnes Opera il-
„ lius excudunt, legunt, ad-
„ mirantur, eos autem, qui il-
„ la profitentur publicè, liben-
„ ter audiunt, probantque au-
„ dita: ita in noſtro ubivis
„ gentium probè famigerato
„ Pariſienſi Gymnaſio eadem
„ formis mandant diligenter,
„ & ad alienas tranſmittunt
„ oras: profitentur cum adven-
„ tant, qui iſtas norunt Artes,
„ tum publicè tum privatim;
„ quod etiam ſuperiore Anno,
„ qui fuit Chriſti omnium ſer-
„ vatoris & Salvatoris quingen-
„ teſimus ac decimus quintus
„ ſupra milleſimum, ſacræ Pa-
„ ginæ Doctor egregius Ber-
„ nardus Lavinheta favorabili
„ Auditorio factitavit. Cæte-
„ rum Bibliotecæ noſtræ Libris
„ ejuſcemodi Doctrinæ ſunt
„ adornatæ, præſertim illa in-
„ ſignis Domus Sorbonica, quæ
„ nobiliſsimum eſt in toto ter-
„ rarum orbe, tam nominatiſ-
„ ſimorum Theologorum, quàm
„ publicorum Theologicorum
„ Certaminum Domicilium, &
„ ea, quæ ad ædem divi Victo-
„ ris eſt: Carthuſia inſuper,
„ quæ haud procul ab Urbe
„ Pariſia ſita eſt, capſulis ar-
„ ciſque id genus Librorum re-
„ fertis abundat, quos *ſancti*
„ *illi Viri* frequenter verſant
„ manibus „ fructum pietatis
„ inde ſuſcipientes, quos &
„ petentibus ſuſcepto Chiro-
„ grapho liberaliter communi-
„ cant.

7 „ At quoties audivimus
„ illam inclytam Romam Au-
„ thoritate Pontificia adverſus
„ malevolos calumniatores hæc
„ Opera defendiſſe, probaſſe,
„ roboraſſe? quomodo igitur
„ poſſent noſtri non approba-
„ re quæ ſciunt *à Capite Fidei*
„ *fuiſſe approbata*? at aliquan-
„ do non approbaverunt: ſi hoc
„ verum eſt, id eo tempore

„ præ-

„ præſertim eveniſſe putandum „ eſt, quo *ſequaces Aberruth „ priùs ſectæ Arabicæ, mox „ Chriſtianæ, ſed demum impii „ Apoſtatæ ſtudium pro maxi- „ ma parte obtinebant: contra „ quem & ſequaces Raymundus „ cum verbis tum ſcriptis viri- „ liter animoſèque decertavit*: „ quo tempore odium veritas „ peperit: verum nunc proſ- „ tratus eſt impius Arabs, Ray- „ mundus autem pius Victor „ (ût par eſt) ſuſceptus, nec „ abs re quidem; militabat „ enim ille omni lege rejecta „ diabolo, hic verò Lege Vi- „ tæ æternæ admiſsâ Chriſto, „ ex cujus luce, cùm alioqui „ idiota eſſet, ſapientes hujus „ mundi convincebat; pro cu- „ jus amore Martyrium etiam „ minimè detrectavit. *Qua igi- „ tur fronte hujus pientiſsimi „ Viri, qua mente Chriſti Mar- „ tyris ſcripta, quæ ſola ad di- „ vina mentes legentium tra- „ hunt, rejicere poſſemus*? ne- „ quaquam id putare velis ſa- „ cerrime Præſul, hęc ſanè ſunt, „ quæ Amplitudini tuæ ſcriptu- „ rus eram, &c. Tu igitur op- „ time Preſul ita vivens hos „ cum Epiſtola Libellos ſuſci- „ pe, benignoque favore & re- „ miſsis nonnumquam gravibus „ curis hos Libellos relegens „ animum divinis cogitationi- „ bus paſce; *neque deterreat le- „ gentem ſancti Eremitæ ſer- „ monis ſimplicitas, quem vi- „ ventem Vita ſimplex, vilis „ habitus & neglectus mundus „ Chriſto faciebant chariſsi- „ mum*: in quo ſemper felix „ vale. Ex inclyta Pariſiorum „ Academia ſub natalem Domi- „ ni cum Anno ab eodem 1516.

8 Et in Præfatione ad Librum de Contemplatione B. Raymundi ait Gabrieli Neophyto Carthuſio: „ Fluxerunt „ anni ſupra quatuordecim, „ &c. venit ad me quidam mi- „ hi apprimè notus & amicus, „ Librum tenens, &c., viſo ti- „ tulo Raymundi Lulli de Con- „ templatione, quæ fit in Deo, „ rapior illicò Libri legendi de- „ ſiderio: manſit apud me Li- „ ber, & plurimam mihi attu- „ lit conſolationem, & penè ad „ hoc pertraxit, ut dimiſſo „ mundo Deum in ſolitudine „ quærerem, & forſitan felix, „ ſi tractum ſecutus executioni „ demandaſſem: verùm dum „ hujus exequendi propoſiti „ gratiâ premor, dum opus „ omne vehementiùs urgeo, „ incautum laborem morbus ſe- „ quitur, &c.. Qua propter ad „ priores Artes revolutus li- „ benter, correctioni Libro- „ rum,

„ tum, qui ad pietatem for-
„ mant animos, operam de-
„ di; & hac quoque de cau-
„ ſa his diebus emiſi *primum*
„ *Volumen Contemplationum*
„ *Raymundi*, qui meritò inter
„ pios Dei cultores unus ad-
„ numerandus eſt; qui liber
„ me hunc in modum & *alios*
„ *complures* affecerat, ut ſic
„ ex uno multiplicatus ad plu-
„ rimos tranſeat, & ad te in
„ primis, quæ novella es & ad-
„ huc tenera Religionis plan-
„ tatio.

9 Ita ſentiunt de B. Raymundo & Operibus ſuæ Artis Magnæ Viri *qualitate virtutis & pietatis & vitæ ſanctitatis* præſtantiſsimi, de quo adhuc poſſem alios plurimos ſimilis qualitatis adducere teſtes partim antiquos, partim modernos, cum quibus egi de hac re & experimento probavi; ſed, quia nolo meum teſtimonium aliquid valere, videamus jam *qualitatem* ſpernentiũ B. Raymundum & ejus Artem.

10 Hanc qualitatem clarè explicat Admodùm R. D. Perroquet Presbyter, qui Vindocini Anno 1667. imprimi curavit lingua Gallica *Vitam & Martyrium Doct. Illuminati B. Raymundi Lulli cum Apologia ſuæ ſanctitatis & ſuorum Operum contra mendacium, invidiam & maledicentiam*, & cap. 3. fol. 67. ſic ait: „ Si hi, „ qui contemnunt ſuam Ar-
„ tem inſumpſiſſent laborem
„ examinandi ſua Opera, & ſe
„ occuparent in illis attentè
„ legendis, ut illa redderent
„ ſibi intelligibilia, perſuaſum
„ habeo, illos judicio in Ar-
„ tem magis propenſo uſuros,
„ quàm utantur; ſed illorum
„ ignorantia vel modica cu-
„ rioſitas non poſſunt non eſ-
„ ſe cauſa hujus contemptus.
„ Et cap. 5. fol. 88. Opera om-
„ nium Virorum Illuſtrium, qui
„ ſecuti ſunt methodum noſtri
„ Doctoris (quos citat præc.
„ cap.) ſatis monſtrant, *illam*
„ *non eſſe vanam, inutilem &*
„ *contemptibilem*, qualis vide-
„ tur Philoſophis hujus tem-
„ poris, qui omnem conatum
„ exſerunt ad illam deprimen-
„ dam, & ſuum Authorem dif-
„ famandum; quia hi (primi)
„ non ſunt minùs habiles & Il-
„ luſtres, quàm hi (ultimi) imò
„ ſinceritas & probitas, quam
„ Doctrinæ junxerunt, exaltant
„ illorum Authoritatem, & fa-
„ ciunt, quòd approbatio, quam
„ dederunt in favorem hujus
„ Scientię, ſit incomparabiliter
„ magis receptibilis quàm cẽſu-
„ ra horũ *ſpirituum criticorum*,

„ *quorum doctrina ſemper aſſo-*
„ *ciata eſt vanitati inſuporta-*
„ *bili & ſuperbiæ tam luculen-*
„ *tæ, quàm eſt Philoſophia exo-*
„ *tica, ſuperficialis, apparens,*
„ *puerilis vel fœminea, quam*
„ *docent*: vilipenſio quam fa-
„ ciunt omnium aliorum in
„ ſuis libris, ſcholis & con-
„ ferentiis publicis, ſatis de-
„ tegit malum illorum ſenſum
„ & mediocritatem ſcientiæ:
„ vera ſcientia non inflat cor,
„ ſed diſponit potiùs ad hu-
„ militatem, &c.

11 Conqueritur poſtea juſto planè dolore, quòd ſuo tempore viderit in ſcholis traduci Raymundum & ſuos diſcipulos publicis theſibus, & quidem à Viris Religioſis, qui non ſunt veriti „ appellare Lul-
„ liſtas temerarios, eò quòd
„ ſuſtinent, nihil eſſe, quod
„ non poſsit ſciri per illorum
„ Artem: ſic quidam Profeſ-
„ ſor in Philoſophia cujuſdam
„ Ordinis illos nominabat in
„ publica theſi, in qua læden-
„ do Juſtitiam & Charitatem
„ religioſam, nullum ſibi ſcru-
„ pulum fecit, Lulliſtis dare
„ locum inter Infideles & il-
„ los ſeparare à Chriſtianis:
„ opprobrium ridiculum & ca-
„ lumnia mali exempli in ore
„ perſonæ hujus profeſsionis.

Oſtendit poſtea neminem magis zelo Fidei animarum, quàm
„ B. Lullum & Lulliſtas quia
„ nemo eſt, qui legerit Ray-
„ mundum Lullum, qui neſ-
„ ciat, hunc ſolum Authorem
„ applicare ſuam Philoſophiam
„ pro defenſione noſtrorum
„ Myſteriorum, conando de-
„ tegere veritatem illorum per
„ rationem ad convincendos
„ Infideles, impios & hæreti-
„ cos: inventio ſuæ Artis &
„ compoſitio omnium ſuorum
„ Operum non alió tendit,
„ quàm ad hunc finem. Porrò
„ Lulliſtæ non habent aliud
„ motivum, quàm illud ſui
„ Magiſtri, quem conantur imi-
„ tari in hoc, ad exaltandum
„ meritum Fidei, & confir-
„ mandos fideles in ſua Fide;
„ eſt itaque indiſcretum & ex-
„ tra omnem rationem illos ſe-
„ parare à Chriſtianis. Ecce
„ Theſin: *Nihil ſciri dubius aſſerit Academicus: nihil non ſciri contendit Lulliſta temerarius*: (negatur ſuppoſitum) *medio tutiſsimus Chriſtianus.*

12 Certè, ſi piiſsimus & ſapientiſsimus Perroquet incurriſſet in alias theſes, in quibus B. Raymundo affingitur, quaſi ſola ratione naturali vellet demonſtrare Myſteria Fidei (quod non ſomniavit, imò in centenis lo-

locis ſuorum Librorum claris terminis contrarium docuit) ſi legiſſet ea, quæ Ignolſtadii Anno 1716. impreſſa fuere contra B. Raymundum ex erronea informatione, ſi, quæ Bambergæ Anno 1730. in Libro ſinè Cenſura & Approbatione contra Canones & Decretum S. Concilii Tridentini impreſſo ſinè conſcientia tradita ſunt, quorum Authorum nomina hìc ſilentio premuntur propter honorem ſuæ Religionis, ſi, inquam, hæc omnia legiſſet, potuiſſet nè cohibere bilem? at ego! ſed motos præſtat componere fluctus: hanc ſolùm humiliter flagito humanitatem à Viris Eccleſiaſticis præſertim & Religioſis, ſi B. Authoris & Martyris Chriſti illos non movet reverentia, moveat ſaltim proprii honoris obſervatio & modeſtia ſtatui ſuo conveniens; informent ſe, obſecro, meliùs, antequam calamum chartæ imprimant, nè comparente demum illorum inſufficientia in formando vero judicio, alienam, ût putabant, turpitudinem in ſe ipſos reflectant nullis ſæculis expurgandam.

13 Ad hoc propoſitum egregiè faciunt, quæ citatus Author cap. 2. fol. 49. ait: „ Quod cùm ita ſit, hic Au-
„ thor (B. Raymundus) repre-
„ henditur ſinè ratione, &
„ hi, qui illum vilipendunt,
„ aut numquam legerunt ſua
„ Opera, vel ſi quidquam de
„ his viderunt, modicam re-
„ flexionem fecerunt ſuper
„ principia; unde provenit,
„ quòd non conceperint ſuam
„ mentem nec vim ſuarum
„ ratiocinationum. Et fol. 51.:
„ taliter quòd juſta ſubſit cau-
„ ſa ſuſpectos habere de in-
„ vidia & ignorantia illos, qui
„ illum voluerunt cenſurare:
„ ratio, quæ dari poteſt de
„ hac ſuſpicione, deſumitur
„ ab excellentia & ſubtilitate
„ hujus Doctoris, quia ſua
„ ſcientia eſt extraordinaria
„ & maximè ſublimis, utitur
„ terminis novis & inuſitatis
„ pro expreſsione ſuorum con-
„ ceptuum; quia linguæ neſ-
„ cirent ſubminiſtrare alios
„ magìs proprios ad exprimen-
„ dam eamdem rem, præter-
„ quam, quòd quælibet Ars de-
„ bet habere terminos pro-
„ prios: unde provenit, ſecun-
„ dùm meum judicium, quòd
„ hi cenſores perculſi novita-
„ te hujus methodi, & non
„ ſufficientes penetrare Myſ-
„ teria, quæ includit, ad
„ excuſandam ſuam ignoran-

„ tiam, & debilitatem ſui ju-
„ dicii prorumpunt in invec-
„ tivam, & contemnunt Au-
„ thorem tam pulchæ inventio-
„ nis, non immorantes niſi
„ verborum ſuperficiei, abſ-
„ que eo, quòd laborem inſu-
„ merent conſiderandi, quid
„ ſignificent, & quis uſus il-
„ lorum poſsit fieri: nihilo-
„ minus illorum cenſura non
„ impedit, quominùs magni
„ Viri, qui attentè legerunt
„ Opera ejuſdem Doctoris, &
„ qui curam habuerunt infor-
„ mandi ſe de ipſius Vita, il-
„ lum tenent ût Scriptorem fi-
„ deliſsimum, ût ſanctum Mar-
„ tyrem, nominando illum per-
„ petuò Doctorem Illumina-
„ tum, & admirando ſua Scrip-
„ ta velut Prodigia Artis &
„ Scientiæ.

14 Ad confirmationem præcedentium pergit ita idem D. Perroquet: „ Nihilominus hic „ Doctor Illuminatus mihi de-„ dit tantam ſatisfactionem per „ ſuas ratiocinationes, & ſua „ methodus mihi ſemper vi-„ ſa eſt adeò pulchra & pro-„ pria ad illuminandum intel-„ lectum, ut penè valedixe-„ rim omni alteri ſtudio, ad „ me applicandum huic tota „ aſsiduitate mihi poſsibili, & „ in quo credo, me incom-„ parabiliter plùs profeciſſe, „ quàm feciſſem in ſcientiis „ vulgaribus; nam hæc appli-„ catio mihi procuravit cog-„ nitionem plurium, quæ non „ potui comprehendere plu-„ ribus annis in curſu Philo-„ ſophiæ & Theologię nec „ in lectura Doctorum ſcho-„ laſticorum: inde recogno-„ vi, *hanc ſcientiam nil pro-„ mittere, quod non poſsit „ adquiri*: unde gratias ago „ Deo, quòd mihi inſpirave-„ rit cogitationem, & prę-„ buerit occaſionem illi me „ applicandi. (Continuat fol. „ 83.) „ Quod fidelitatem at-„ tinet ſuorum (B. Raymun-„ di) Scriptorum, audeo cer-„ tificare, ſi proprium meum „ teſtimonium poteſt recipi „ poſt illud tot magnorum „ Hominum, qui me præceſ-„ ſerunt, quòd poſtquam le-„ gi & relegi attentè aliquos „ Librorum hujus Authoris uſ-„ que ad ſexaginta numero „ vel circiter maximè conſi-„ derabilium, quorum potior „ pars tractat de materiis Theo-„ logicis, numquam detexi vel „ reperi unam ſolam propoſi-„ tionem, quæ non fuerit con-„ formis ſenſui, quem teneo „ de Eccleſia, vel quę non „ fuerit proficua pro augmen-

„ta-

„ tatione Fidei Christianæ, & „ pro salute Animarum: nam „ hic divinus Philosophus tes- „ tatur in omnibus suis Libris „ Zelum extraordinarium pro „ gloria Dei, & extremam „ passionem inflammandi cor- „ da igne sui amoris per cog- „ nitionem suorum Mysterio- „ rum, extrahendo perpetuò „ mundum ad illum amandum; „ ût etiam obligandi Infideles „ per vim rationis adjutam „ gratiâ ad amplectendam nos- „ tram Fidem, & persuaden- „ di Christianos ad exponen- „ dam suam vitam pro con- „ troversia Jesu Christi, princi- „ paliter Personas Ecclesiasticas, „ quæ deberent ad suam imita- „ tionem prædicatum ire Evan- „ gelium his pauperibus Anima- „ bus, quæ sunt in ignorantia, „ & quæ moriuntur in suo erro- „ re, quia sunt privatæ mediis „ necessariis ad perveniendum „ ad cognitionem veri Dei.

15 „ Hoc fine glorioſus „ Martyr probat & declarat „ in diversis locis suorum „ Scriptorum, imò in quibus- „ dam tractatibus & volumi- „ nibus separatis Articulos Fi- „ dei per rationes tam effi- „ caces & tam evidentes, „ quòd quis deberet carere „ lumine naturali, vel non „ habere sensum communem, „ si illas non comprehende- „ ret; & esset deficere judicio „ vel bonitate illas respuere „ vel contemnere: quòd si ra- „ tio non omnibus sufficit ad „ penetrandas suas demonstra- „ tiones, quia sunt quando- „ que subtilissimæ, ad minùs „ hi, qui bene intelligunt re- „ gulas ratiocinandi, & qui „ habent quamdam cognitio- „ nem principiorum Philoso- „ phię, non possent illis con- „ tradicere, nisi sint valde „ pertinaces & obstinati (ve- „ lut est potior pars medio- „ crium Philosophorum) & „ nisi se declarent apertè ini- „ micos veritatis: taliter, „ quòd, postquam quis con- „ cepisset illius rationes, de- „ beret esse infidelior & obsti- „ natior dæmone, nisi confite- „ retur & amplecteretur veri- „ tates, quas demonstrat.

16 „ Quod me contingit, dicam „ ingenuè, quòd, postquam se- „ mel cum attentione legi, in „ principio, quando me huic „ studio applicavi, certas de- „ monstrationes Articulorum „ Fidei in Arbore Scientiarum „ hujus Doctoris, & in tractatu „ Dei, meum judicium erat adeo „ illuminatum, convictum & „ contentum, ut tunc in me ipso dixe-

„ dixerim, quòd poſt talem „ convictionem vellem cæcè „ credere hos Articulos, etiam „ ſi numquam fuiſſent revela- „ ti, & ſi inſuper contingeret, „ me obliviſci probationum, „ quas de illis conceperam, „ retenta ſola recordatione, „ quòd ſemel fuerim convic- „ tus: hinc propoſui ex tunc „ numquam impoſterum pete- „ re nec quærere rationes ad „ intelligenda hæc Myſteria, „ ſed ſolummodo adhibere il- „ las, quas invenirem ſatis „ fortes ad convincendum „ alios.

16 „ Nihilominus motiva „ hujus reflexionis non impe- „ diunt, quominus agnoſcam „ obligationem, quam habeo, „ præferendi, ût facio, Ver- „ bum Dei revelatum omni- „ bus rationibus humanis, „ ſciens talem revelationem eſ- „ ſe infallibilem, & quòd ju- „ dicium humanum poteſt de- „ cipi in ſuis cognitionibus: „ ſuppoſito, nos eſſe efficaci- „ ter perſuaſos (prout ſumus) „ ſive interiùs per lumen gra- „ tiæ, ſive per miracula, vel „ per meritum illorum, qui at- „ tulerunt hoc divinum Ver- „ bum, vel aliter, quòd ſit „ ipſe Deus, qui hoc reve- „ lavit: ſi enim Eccleſia non „ eſſet certificata & fortiter „ perſuaſa, quòd hoc Ver- „ bum veniret à Deo, eſſet „ animi levitas illi fidem da- „ re; & in hoc caſu quilibet „ haberet cauſam illi præſe- „ rendi rationem, poſito, quòd „ monſtraret contrarium hu- „ jus, quod Verbum revelatum „ nos docet.

17 „ En judicium, quod „ habeo de Operibus hujus „ Magni Doctoris de ſua me- „ thodo, quam invenio ad- „ mirabilem ad adquirendas „ omnes ſcientias in perfectio- „ ne, ût etiam, ad ſe diſpo- „ nendum ad practicam Virtu- „ tum. Hucuſque piiſsimus & ſapientiſsimus D. Perroquet. Unde videtur, qualis farinæ & qualitatis ſint ſpernentes B. Raymundum & ſuam Artem. Quibus jure merito poteſt dici illud Iſaiæ cap. 33.: *Væ qui ſpernis, nonnè & ipſe ſperneris? cùm fatigatus deſieris contemnere contemneris.*

18 Tranſeamus jam ad *qualitatem* Dignitatis, Nobilitatis, &c., & cùm Dignitas Papalis ſit maxima & prima in toto Orbe terrarum, poſtulat rectus ordo ab ipſa deſumendum eſſe exordium appretiationis, qua Summi Pontifices dignati ſunt B. Raymundum & ejus Ar-

Artem afficere. In primis Clemens V. B. Raymundum adhuc viventem & ejus Artem valde appretiavit, ût conſtat ex Epiſtola dedicatoria ad Clementem IX. Joannis Mariæ Vernon, ubi Author ſic ait: „ Raymundus Lullus Tertii „ Ordinis S. Franciſci magnus „ amicus Clementis V., qui il„ lum miſit cum Brevi Apoſ„ tolico ad Univerſitatem Pa„ riſienſem ad ſtabiliendum „ fundamenta ſuę Miſsionis uni„ verſalis per ſuam Doctrinam, „ ſicut continetur in hoc Bre„ vi relato ad Librum Domi„ ni Hauteville Doctoris Pari„ ſienſis.

19 Appretiavere eum poſt mortem Summi Pontifices, qui ſequuntur, quod ſic probatur; nam Pius IV. commiſit Concilio Tridentino reformationem Indicis Librorum prohibitorum, & quando iſte Liber exivit reviſus à dicto Pontifice, nullatenus fuere in eo poſita B. Raymundi Opera, ût antea inimicorum diligentiâ factum erat. Sixtus IV. deſignavit deputatos, qui examinarunt & approbarunt Librum Magiſtri Degui, qui intitulatur *Janua Artis Excellentiſsimi Magiſtri Raymundi Lullii* contra inimicos hujus Doctrinæ. Sed dum Sixto IV. ſucceſsit Innocentius VIII. putarunt inimici, ſe meliorem eventum cum hoc Pontifice habituros, quare ſecundam controverſiam excitarunt, qua fuit obligatus dictus Mag. Degui iterum ſe Curiæ Romanæ præſentare; & ipſi ita feliciter evenit, quòd dictus Liber tunc fuit Romæ impreſſus cum Approbatione ſex Commiſſariorum à Sixto IV. deputatorum; quod manifeſtè declarat, hos duos Pontifices B. Raymundum & ejus Artem appretiaſſe. Vide Cuſturerium Differt. 2. cap. 4. de hoc latiùs tractantem.

20 Leo X. B. Raymundo Officium conceſsit. Vide Cuſturerium ibidem. Sixtus V. propter exactam Commentatoris Franciſci Peña informationem Opera B. Raymundi in Indice Librorum prohibitorum poni noluit. Idem fecit Innocentius XI. Et in Inquiſitione Generali Hiſpaniæ fuit ſuſpenſa publicatio Indicis Pauli IV. Librorum prohibitorum donec ab ipſo per novam impreſsionem B. Raymundus & ejus Libri fuere penitus ablegati, quod ſine licentia vel permiſsione Pontificia factum non eſſet.

21 Tandem, præter Decretum

tum Sac. Concilii Tridentini, ſunt alia duo Decreta Congregationis Indicis in favorem B. Raymundi & ſuę Artis.

PRIMUM DECRETUM.

DIE 3. Junii 1594. In Congregatione Indicis, prę-ſentibus Cardinalibus Marco Antonio Columna, Franciſco Toleto & aliis, lecto Memoriali pro Raymundo Lullo, & omnibus conſideratis, quæ proponebantur, præſertim quoniam ſuper hoc Catholici Regis Literæ ad ſuum Oratorem in Urbe habebantur, decretum fuit, ut in novo Indice Lullus non reponatur, iiſdem de cauſis, quibus deputati in Sacro Concilio Tridentino eumdem Raymundum ab Indice ſuſtulerunt, &c.

SECUNDUM DECRETUM.

DIe 4. Martii 1595. In Congregatione Indicis habita in domo Cardinalis Columnæ, lecto memoriali pro Raymundo Lullo, decretum fuit, ut ſicut aliàs, quòd nomen Lulli ex Indice deleretur, & Literæ Compulſoriales quantò citiùs expedirentur. In hac Congregatione cum aliis interfuit Cardinalis Borromæus, &c. Vide Cuſtur.

23 Ex his Decretis clarè liquet falſitas Bullæ fictitię ſexti anni Gregorii XI.; nam, ſi reputaretur vera & alicujus entitatis, Clemens VIII. tunc Summus Pontifex reddidiſſet dubias Determinationes Papales in materia graviſsima Fidei, mandans expediri Literas Compulſoriales ad Cauſam Canonizationis B. Raymundi jam antea damnati ût hęretici abominabilis, & examinationis ſuorum Librorum, etiam damnatorum, propter horrendas hæreſes in ipſis contentas, quod quanta ſit abſurditas per ſe patet; & ſic Clemens VIII. B. Raymundum ejuſque divinam Artem maximè honoravit & appretiavit.

24 Alii Summi Pontifices appretiavere B. Raymundum & ſuam Artem; ut videre eſt apud

apud Cuſturerium & noſtrum Illuſtriſsimum Cornejo ; ſed, quia mihi fundamenta infallibilia hujus rei non innoteſcunt, ipſos prætermitto, addens, quòd meus germanus Frater ejuſdem Ordinis oretenus accepit à Rmo. P. Franciſco Diaz à S. Bonaventura, ſe habere Decretum à Sanctæ memoriæ Benedicto XIII. ad ponendum Lullum ût *Beatum Martyrem* in Martyrologio imprimendo, & eſt ſanè dolendum, quòd non fuerit adhibita major cura in recolligendis & notificandis tanti Viri manuſcriptis : unde evenit, quòd adhuc non potuerimus videre dictum Decretum ; ſed hoc non obeſt noſtro intento cùm ſatìs ſuperque ſufficiant prædicti Pontifices, & certum ſit nullum ex omnibus aliis tempore ſui Pontificatus B. Raymundo & ſuæ Arti contrarium extitiſſe.

25 Inſuper conſtat, quòd ſi aliquis Scriptorum adhuc in ſublimiori Eccleſiæ Dignitate conſtitutus aliquando minùs informatus contrarium ſenſit, poſteà, de Sanctitate B. Raymundi & de veritate ſuæ Doctrinæ magis certificatus, ingenuè ſe retractaverit ; ût fecit Emin. Cardinalis D. Joannes Saenz de Aguirre, qui in 1. editione tomi 2. Theol. D. Anſelmi ait : *Quamvis tot mihi pro Eimerici bona fide occurrant, non propterea certo, aut conſtanter pronuntiare audeo, Lulli Doctrinam fuiſſe à Gregorio XI. damnatam ; ſed id definiendum relinquo Sedi Apoſtolicæ.* Et in 2. editione tomi 2. Theol. D. Anſelmi factâ Romæ 1689. ait : *Utinam ante priorem hujus tomi editionem legiſſem, ubi de illius Doctrina* (B. Raymundi) *uberiorem Cenſuram tuli : ſua itaque illi fama, quod ad me attinet, integra eſto.*


26 Similiter fecit R. P. Pacificus Capucinus Miſsionarius Apoſtolicus, qui in relatione itineris de Perſia impreſſa Pariſiis anno 1631., poſtquam enarrat mirabilem modum, quo per demonſtrationem ſenſibilem & experimentalem fuit obligatus exuere falſam opinionem, quam conceperat de B. Raymundo & ſua Arte, concludit ſic: „ En hoc eſt, „ quod de his ſuperficialiter „ dicere poſſum, certificatus, „ quòd hoc modicum ſatisfa- „ ciet multis bonis mentibus, „ quæ per quamdam malam „ impreſsionem habent eaſdem „ cogitationes contra hunc Sāc-

„ tum, quas & ego habui, „ cui *reſtituo honorem* per „ præſens ſcriptum. Vide 1. „ Tom.

27 Idem fecere plures alii, quos benè novi, & longum eſſet enarrare, & præcipuè meus ſapientiſsimus Magiſter Ivo Salzinger, qui in Revelatione ſecretorum Artis B. Raymundi Tom. 1. lacrymis confitetur ſe aliquando fuiſſe unum ex illis, qui temeraria præſumptione conati ſunt emendare divinam Artem Beati Magiſtri. Et certus ſum idem facturos, quibus non deeſt ingenuitas & amor veri & boni, ſi nacti eſſent eamdem opportunitatem ſe meliùs informandi, ſicut prædicti.

28 Præterea, ſuper alios B. Raymundum & ejus Artem appretiantes, ſex alii enumerantur in 1. Tom. Cardinalitia Dignitate fulgentes; & plures Inquiſitores Generales & plures Epiſcopi, præter omnes, qui hac Dignitate præfecti fuere in Regno Majoricarum à tempore Martyrii & Cultûs immemorialis B. Raymundi uſque ad modernum Rmum. & Ilmum. P. & D. Benedictum Pañelles & Scardo Conſiliarium ſuæ Catholicæ & Regiæ Majeſtatis, &c. (Vivebat adhuc quando hîc Liber fuit ſcriptus) Ordinis Benedictini, qui propter ſuas excellentes dotes undequaque ipſum condecorantes, prę ſertim ſubtilitatem & ſapientiam, non potuit non videre faciliter & perſpicuè omnimodam connexionem Doctrinæ B. Raymundi & D. Anſelmi, ita ut, qui unum ſpernit, utrumque ſpernat; quare B. Raymundum ſingulari devotione, & ſectatores ipſius Artis & Doctrinæ maximo favore proſequebatur, ût in illa Majoricenſi Dyœceſi omnibus innoteſcit.

29 Plurimos adhuc Dignitate Eccleſiaſtica eminentes adducere poſſem; ſed, quia prędicti ſuperſunt, tranſeo ad ſæcularem Dignitatem, & brevitatis gratiâ, ſoli Monarchæ & Principes Catholici adducentur, qui B. Raymundum & ſuam Artem ſummoperè appretiarunt, ut clariſsimè patet ex eorum Privilegiis, quæ ſequuntur.



PRI-

PRIVILEGIA IN FAVOREM B. RAYMUNDI & ejus Artis.

NOS CAROLUS divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, Joanna ejus Mater, & idem Carolus ejus filius, Dei gratiâ Reges Caſtellæ, Aragonum, Legionis, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ, Indiarumque Inſularum, & terræ firmæ maris Oceani, Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, & Brabantiæ, Comes Barcinonis, Flandriæ, & Tirolis, &c. Domini Biſcaiæ, & Molinæ, &c. Duces Athenarum, & Neopatriæ, Comites Roſsilionis & Ceritaniæ, Marchiones Oriſtani, & Gociani.

Quę per Sereniſsimos & Catholicos Reges prædeceſſores noſtros colendiſsimos memoriæ celebris conceſſa comperimus, animo quidem liberali confirmamus. Ea præſertim, cum in favorem Reipublicæ, & literarum cultum indulta & conceſſa cenſentur. Sanè exhibitis coram nobis & humiliter pręſentatis per dilectum alumnum noſtrum Petrum Malferit Domicellum & utriuſque Juris Doctorem Sindicum ad nos deſtinatum per Univerſitatem noſtri Majoricarum Regni *duobus Privilegiis* Sereniſsimorum & Catholicorum Regum *Alfonſi*, *& Ferdinandi*, Patris, & Avi, ac Dominorum noſtrorum colendiſsimorum, felicis recordationis, *Studio generali Egregii Doctoris Magiſtri Raymundi Lullii Civitatis* Majoricarum illiuſque ſingularibus conceſsis, tenorum ſequentium.

NOS FERDINANDUS *Dei gratia Rex Caſtellæ, &c.* ût ſupra.

Exhibito *reverenter, atque humillimè præſentato Majeſtati noſtræ per dilectum noſtrum Gaſparem Galaf, civem ac Nuntium, pro parte veſtrûm dilectorum & fidelium*

noſtrorum Juratorum Civitatis & Regni atque Clavariorum partis Foraneæ Majoricarum, Privilegio *quodam per noſtram Regiam Majeſtatem vobis, & Univerſitati præfati Regni jam dudum conceſſo, tenoris ſequentis.*

NOS FERDINANDUS *Dei gratia Rex Caſtellæ, &c.* ut ſupra.

Quia vos dilecti & fideles noſtri Jurati, Conſiliarii, & probi homines noſtræ Civitatis & Regni Majoricarum, circa augmentum & ornamentum dictæ Civitatis & Regni admodum verſatis, conaminique ejuſmodi Civitatem & Regnum, glorioſa Artium & Scientiarum doctrinâ (quæ hominum mores purgat, tacitoſque & loquentes ornat) magnificare & decorare: propter quod mandati noſtri humiliter miſiſtis ſupplicatum, ut facultatem conſtruendi, & inſtituendi Studium generale in jam dicta Civitate, & Regno, & nihilominùs eidem ſtudio generali conſimilia privilegia, libertates, & immunitates, præeminentias & honores, quos, quas, & quæ habet generale ſtudium Civitatis Illerdæ, & particulares perſonæ ejuſdem, de noſtri ſolita benignitate concedere dignaremur. Veſtris igitur ſupplicationibus humaniter moti, propter notabilia obſequia per eamdem Civitatem & Regnum, prædeceſſoribus noſtris Regibus Aragonum divi recordii & nobis præſtita, tum quia exiſtimamus hujuſmodi generale ſtudium multùm utilitatis & augmenti in dicto Regno allaturum, illique profuturum: tenore præſentis Privilegii cunctis temporibus futuris valituri CONCEDIMUS VOBIS, *& plenariam facultatem impartimur, quòd poſsitis & valeatis in dicta Civitate, ubi malueritis, & videbitur vobis magis expedire, conſtruere, fabricare, & denuò inſtituere, conſtruique, inſtitui & fabricari facere ſtudium generale omnium Artium & ſcientiarum, quas tam generaliter, quàm particulariter in dicto ſtudio legere facere poſsitis, & valeatis, ſic, & quemadmodum ſolent legi & diſci in præfata Civitate Illerdæ: & ad majoris gratiæ cumulum ſcienter & expreſsè volumus & de gratia ſpeciali concedimus vobis, quòd hujuſmodi ſtudium Generale habeatis, & teneatis omni futuro tempore (prout dictum eſt) cum conſimilibus præeminentiis, privi-*

vilegiis & officiis, facultatibus, ordinationibus, honoribus, favoribus, libertatibus & prærogativis, quos, quas, & quæ præfatum Studium Generale Civitatis Illerdæ tam generaliter, quàm ſpecialiter tenet, & poſsidet virtute Regiarum & noſtrarum conceſsionum. Retinemus tamen nobis & ſucceſſoribus noſtris proviſiones, ſeu conceſsiones officiorum in dicto ſtudio formandorum, & ordinandorum, de quibus ſolemus providere in ſtudio generali præfatæ Civitatis Illerdæ.

Illuſtriſsimo propterea Joanni Principi Auſtriarum & Gerundæ filio noſtro chariſsimo, ac in Caſtellæ, & Aragonum Regnis poſt felices dies noſtros hæredi, & immediato Succeſſori, ſub paternæ benedictionis obtentu intentum noſtrum detegentes dicimus; Illuſtrique quoque Infanti Henrico Duci Sugurbii & Comiti Empuriarum patrueli noſtro chariſsimo, & in Principatu Cathaloniæ, Regnoque prædicto Majoricarum, & Inſulis ei adjacentibus generali Locumtenenti: necnon Blanes de Berengario Domicello generali Locumtenenti, Gubernatori, Magiſtro Rationali Regioque Procuratori, in eodem Regno, Bajulo, Vicario Civitatis, & aliis univerſis & ſingulis Bajulis forenſibus, & aliis quibuscumque officialibus noſtris in dicta Civitate & Regno conſtitutis, & conſtituendis, & dictorum officialium Locatenentibus præſentibus & futuris ad incurſum noſtræ iræ & indignationis dicimus, & diſtricte præcipiendo mandamus, quòd tenentes & obſervantes, tenerique & obſervari perenniter ad unguem facientes hujuſmodi noſtram conceſsionem & omnia & ſingula in eadem contenta in nihilo contraveniant, nec contravenire per aliquem patiantur; quanto dictus Illuſtriſsimus Princeps filius noſter chariſsimus nobis complacere, reliqui verò officiales noſtri gratiam noſtram charam habent, ac pœnam quinque mille florenorum cupiunt evitare. In cujus rei teſtimonium præſentem fieri juſsimus noſtro ſigillo communi impendenti munitam. Datum in Civitate Cordubæ die trigeſima menſis Auguſti, anno à Nativitate Domini milieſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio, *Regnorum noſtrorum, videlicet Siciliæ anno decimo ſexto, Caſtellæ, Legionis decimo, Aragonum verò & aliorum quinto.*

YO EL REY.

Fui-

Fuimus exinde humiliter pro veſtrûm parte ſupplicati, ex noſtra ſolita benignitate dignaremur providere & mandare præinſertum Privilegium, *& omnia & ſingula in eo contenta eidem Univerſitati ipſiuſmodi Civitatis & Regni juxta illius ſeriem & tenorem pleniores inviolabiliter firmiterque perpetuò cuſtodiri, & obſervari, neque aliquo pacto per quempiam quavis causâ infringi, ſeu contra ipſum veniri. Et nihilominus pro illius firmiori obſervatione & executione fuimus etiam tam pro parte veſtrûm, quàm pro parte dilecti noſtri* Joannis Cabaſpre *civis prædictæ Civitatis Majoricarum Magiſtri & Præceptoris electi; nominati, & confirmati in Lectura & doctrina Artis & Scientiæ* Illuminati, & Divi Doctoris Magiſtri Raymundi Lullii, *quondam civis Majoricenſis, quæ in eodem generali ſtudio legitur per ipſum* Joannem Cabaſpre, *humiliter ſupplicati, ut veſtigia ſequentes* Sereniſsimi Regis Alfonſi patrui *& prædeceſſoris noſtri, divi recordii, qui ſatìs ſuperque informatus* de mirificis virtutibus Artis, ſcientiæ & doctrinæ ejuſdem Egregii Doctoris Magiſtri Raymundi Lullii, *& quantùm illa poſsit proficere Regnicolis, & degentibus in ſuis, & noſtris Regnis, & dominiis, conceſſerat quondam Joanni Lobet oriundo Civitatis noſtræ Barcinonæ ad opus magiſtraliter legendi & docendi Artem, ſcientiam & doctrinam præfati Egregii Doctoris literas quaſdam tenoris ſequentis.*

„ NOS ALFONSUS Dei
„ gratia Rex Arago-
„ num, Siciliæ, citra & ultra-
„ far. Valentiæ, Hieruſalem,
„ Hungariæ, Majoricarum,
„ Sardiniæ & Corſicæ, Co-
„ mes Roſsilionis, & Cerita-
„ niæ.

„ Gratanter percepto,
„ quòd vos fidelis noſter
„ Joannes Lobet oriundus Ci-
„ vitatis Barcinonæ per mul-
„ tum tempus in Artibus &
„ Scientiis *Egregii Doctoris*
„ *Magiſtri Raymundi Lullii*
„ Majoricenſis ſtudiosè vaca-
„ tis, & quòd præfatas Artes
„ in Regnis, & terris noſtris
„ legiſtis, ipſarumque Lectu-
„ ram continuare proponitis:
„ ut noſtra dictæ Lecturæ ac-
„ cedat authoritas in robora-
„ men valoris, & inde veſtra
„ compleatur voluntas in con-
„ junctione hujus, quam ha-
„ betis charam, & noſtrâ de-
fen-

„ fendatur armaturâ contra im-
„ ponentes rabiem operibus
„ dicti prænominati *Egregii*
„ *Doctoris & illorum Lecturæ* :
„ propterea ad plenum certio-
„ rati, & pluribus fide dignis,
„ quòd Opera ipſius *Magiſtri*
„ *Raymundi nec bonis moribus*
„ *nec Fidei Catholicæ, in aliquo*
„ *contrariantur* :

„ Nec minùs viſa quadam
„ *litera Curiæ Pariſienſis Data*
„ *Pariſiis anno Domini milleſi-*
„ *mo trecenteſimo nono*, die
„ Martis poſt octavas Purifica-
„ tionis Beatæ Mariæ Virginis
„ glorioſæ, & munitâ ſigillo
„ prædictæ *Pariſ. Curiæ*, de
„ laudatione & *approbatione*
„ *artium & ſcientiarum dicti*
„ *Egregii Doctoris*, factis per
„ *Officialem Curiæ Pariſ.* &
„ fieri requiſitis per præliba-
„ tum Egregium Doctorem,
„ præhabita informatione teſ-
„ timoniali cum Sacramento
„ præſtito *à quadraginta Ma-*
„ *giſtris*, *& Baccalaureis in*
„ *Naturalibus & Theologalibus*,
„ qui ordinati fuere ad audien-
„ dam *Artem Generalem*, cum
„ illius contractione ad ſpecia-
„ les ſcientias, ab eodem per-
„ ſonaliter prælibato *Egregio*
„ *Doctore publicè in ſtudio Pa-*
„ *riſienſi.*

„ Attendenteſque, quòd
„ *Illuſtriſſimus Philippus Fran-*
„ *ciæ Rex* dictum Egregium
„ Doctorem, veluti fidelem vi-
„ rum in ſuis dictis, & tam-
„ quam *Apoſtolicum* in zelo,
„ & in cura pro exaltatione
„ Fidei Catholicæ habuerit,
„ ipſumque benigniter tracta-
„ ri ab omnibus orthodoxæ
„ fidei Catholicæ cultoribus
„ voluerit, & gratum accepe-
„ rit, etiamque ordinaverit ei-
„ dem favorem benevolum im-
„ pendi ab omnibus ſuis ſubdi-
„ tis, ût conſonum rationi vi-
„ ſum fuit, & dignum : Prout
„ apparet *quadam litera dicti*
„ *Regis Franciæ* ſuo ſigillo mu-
„ nita. Datum apud Veronam
„ ſecunda die Auguſti, *anno*
„ *Domini milleſimo trecenteſi-*
„ *mo decimo.*

„ Attendenteſque etiam,
„ quòd *Cancellarius Pariſienſ.*
„ *Franciſcus de Neapoli* ſpecia-
„ li mandato dicti *Regis Franciæ*
„ viſis, & quantum occupatio-
„ num frequentia patitur, dili-
„ genter inſpectis quibuſdam
„ operibus, quę dictus Egregius
„ Doctor *Magiſter Raymundus*
„ *Lullius* ediderat, teſtatus eſt
„ authenticè univerſis, *nihil*
„ *in dictis operibus inveniſſe*,
„ quod bonis moribus obviet,
„ & *Sacræ doctrinæ Catholicæ*
„ *ſit adverſum* : quin potiùs in

dic-

„ dictorum ſerie ac tenore pro „ humani fragilitate judicii *zelum fervidum & intentionis „ rectitudinem pro fidei Chriſtianæ promotione*, ut patet „ *in quadam litera dicti Cancellarii. Dat. Pariſ. anno Domini milleſimo trecenteſimo undecimo.*

„ Attendenteſque etiam „ eſſe pronuntiatum per Reverendum in Chriſto Patrem „ *Bernardum* miſeratione divina *Epiſcopum Caſtelli*, & „ *Commiſſarium authoritate „ Apoſtolica deputatum*, ſuper „ litigio, quod in proceſſu ducebatur, inter conſanguineos & devotos dicti Egregii Doctoris parte ex una, & „ Magiſtrum Nicolaum Eimeric Inquiſitorem, in & ſuper „ *quadam Bulla fictitia*, vi cujus ſuper aliquas concluſiones per præfatum Egregium „ Doctorem in ſuis Libris poſitas, & contra earum poſitionem inquirebatur, in condemnationem dicti Magiſtri „ Nicolai Eimeric, & in *approbationem bonæ poſitionis „ & Catholicæ determinationis* „ in Libris prælibati Doctoris „ Egregii habitarum, juxta rectum arbitrium Reverendi „ Commiſſarii præfati, & bonam conſcientiam duodecim „ in ſacro elogio *Magiſtrorum* „ de Ordinibus *Beati Domini„ ci*, & *Minorum*, qui viſis „ concluſionibus teſtificarunt „ cum Sacramento, *ſanum & „ Catholicum habere ſenſum*, ut „ in Libris habentur dicti „ Egregii Doctoris; prout hæc „ & plura alia conſtant in duobus *Inſtrumentis publicis* actis Barcinon. Altero in poſſe „ *Petri Dalmatii* Notarii publici Barcinon. ſub anno Domini *milleſimo trecenteſimo „ octogeſimo ſexto.* Altero in „ poſſe Gabrielis Cañelles Notarii publici Barcinon. ſub „ anno à Nativitate Domini „ *milleſimo quadringenteſimo „ decimo nono.*

„ Et inſuper memores, „ quòd nos habentes gratiſſimum, quòd in ditione „ noſtra repertus fuerit *tam „ mirandarum Artium*, & „ *Scientiæ Author*, qualis præfatus Egregius Doctor & „ Magiſter *Raymundus Lullius*, earum *Lectionem publi„ cam approbavimus, & permiſimus*, prout apparet chartâ „ noſtrâ ſigillo noſtro munita. „ Datum Cæſarauguſtæ quinta „ decima die Januarii, anno à „ Nativitate Domini *milleſimo „ quadringenteſimo quinto deci„ mo*: quod jam antè conceſſum,

„ *appro-*

„ *approbatum & permiſſum* fue-
„ rat per prædeceſſores noſtros
„ Illuſtriſsimos, videlicet *Do-*
„ *minum Petrum Regem Ara-*
„ *gonum*, ût patet in quadam
„ ſua charta ſigillo ejuſdem
„ pendenti munita: Datum Va-
„ lentiæ decimo die Octobris,
„ anno à Nativitate Domini
„ *milleſimo trecenteſimo ſexa-*
„ *geſimo nono*. Et per *Dominum*
„ *Martinum Regem Aragonum*
„ filium ſuum: ût patet in
„ quadam alia ejus charta ſi-
„ gillo pendenti munita. Da-
„ tum Cæſarauguſtæ vigeſima
„ quinta Novembris, anno à
„ Nativitate Domini *milleſimo*
„ *trecenteſimo nonageſimo nono.*

„ Vobis dicto Joanni Lo-
„ bet, & à vobis ſubſtituen-
„ dis concedimus & elargimur
„ licentiam & liberam autho-
„ ritatem, & plenariam facul-
„ tatem, dictas præfati Egre-
„ gii Doctoris Artes & Scien-
„ tias *legendi Magiſtraliter*, in
„ omnibus Civitatibus, terris
„ & locis univerſæ ditionis
„ noſtræ, in eiſdemque facien-
„ di Scholas propter lecturam
„ dictarum ſcientiarum, nec
„ per Officiales, Conſiliarios,
„ Juratos, & probos homines,
„ aut alios illius Civitatis, lo-
„ ci, & terræ, ubi ſcholas
„ conſcribere decreveritis, vo-
„ bis, & ſubſtituendis à vobis
„ ſuper his impedimentum,
„ vel obſtaculum aliquod fieri
„ debeat, neque poſsit: qui-
„ nimo vos, & ſubſtitutos veſ-
„ tros benevolè tractent cum
„ auditoribus veſtris, & ipſo-
„ rum, in & ſuper conſtitu-
„ tione ſcholarum, & Lectu-
„ ra dictarum Artium & Scien-
„ tiarum, quieta, pacifica &
„ tranquilla vobis, & eis fa-
„ veant & aſsiſtant auxiliis,
„ præſidiis, & favoribus op-
„ portunis, ubi & quando fue-
„ rint requiſiti.

„ Illuſtriſsimis itaque qui-
„ buſcumque Locumtenenti-
„ bus Generalibus noſtris, hoc
„ noſtrum declaramus inten-
„ tum, mandamus ſcienter,
„ & expreſsè ſub iræ, & in-
„ dignationis noſtræ incurſu,
„ & quomodo fortiùs dici po-
„ teſt, univerſis & ſingulis
„ officialibus, & ſubditis noſ-
„ tris, ad quos præſentes per-
„ venerint, & ſpectent, & ſig-
„ nanter Officialibus, Conſi-
„ liariis, Juratis, probis ho-
„ minibus, & aliis prædictis,
„ quatenus licentiam & facul-
„ tatem noſtram hujuſmodi,
„ vobis dicto Joanni Lobet
„ teneant efficaciter, & ob-
„ ſervent, tenerique & ob-
„ ſervari faciant inviolabiliter

„ per quoſcumque. Nec vos „ aut ſubſtitutos veſtros ſuper „ lectione dictarum Artium, „ *vel conſtructione ſcholarum* „ moleſtent, & impediant, vel „ perturbent; aſsiſtant quin „ potiùs ût prę fertur, ſi gra- „ tiam noſtram charam habent, „ iramque & indignationem, „ pœnamque noſtro reſerva- „ tam arbitrio, cupiunt evita- „ re. Sonet ergo vox veſtra, & „ veſtrorum ſubſtituendorum, „ per doctrinam in auditorum „ auribus, nec motu detracto- „ rum quorumlibet conticeſ- „ cat, ſed dictas Artes & ſcien- „ tias in lumine exponi conti- „ nuent.

„ Et ut liberiùs, faciliùs, „ & tutiùs, vos dictus Joan- „ nes Lobet, & ſubſtituendi „ à vobis, circa prædicta, va- „ care poſsitis, & nec motus „ cujuſpiam, vos aut eos à „ dictarum Artium Lectione, „ retrahat, vel impediat, vos, „ & dictos ſubſtituendos à vo- „ bis, veſtrique & eorum au- „ ditoribus tenore præſentis „ ſub noſtra protectione, com- „ mandâ, & guidatico ſpeciali „ ponimus, & conſtituimus. „ Ita quòd quicumque ab in- „ de, auſu temerario, con- „ tra perſonas aut bona veſ- „ trûm cujuslibet quidquam „ attentare præſumpſerit; ſe „ in pœnas, contra ruptores „ protectionis Regis appoſi- „ tas, noverit incurſurum; „ damno, & injuria illarum „ penitùs, & plenariè reſtitu- „ tis. In quorum teſtimonium „ præſentes fieri juſsimus, noſ- „ tro ſigillo ſecreto in dorſo „ munit. Dat. in Caſtronovo „ Neapolis die vigeſima ſexta „ Januarii, anno à Nativita- „ te Domini *milleſimo quadrin-* „ *genteſimo quadrageſimo nono.*

REX ALFONSUS.

Vidit Conſervator Generalis.

Dignaremur pari modo præfatum Magiſtrum Joannem Cabaſpre, Magiſtruo & Præceptorem (ût præhabetur) electum, nominatum, & confirmatum in Lectura, & doctrina prædictis; ejus vita durante, ac cæteros alios quoſvis futuros Magiſtros in eiſdem Arte, ſcientia, & doctrina, tamquam Reipublicæ proficientes, cum eorum Auditoribus nullatenùs inquietari, ſeu moleſtari, quinimò benevolè pertractari, illiſque faveri, & ubi ac quoties opportuerit, auxiliis, præſidiis, & favoribus opportunis illis aſſiſti, ſic & prout, & quemadmodum aliis Magiſtris, & Doc-

toribus, Auditoribuſque aliorum ſtudiorum generalium, ſervatur, & cuſtoditur, & aliàs eidem Lecturæ ſpeciale præſidium authoritatis noſtræ interponere dignaremur. Nos vero ſupplicationibus eiſdem, utpotè juſtis, & rationi conformibus benigniter annuentes, & præſertim, quia cùm conceſſimus licentiam, & facultatem, ut ipſum ſtudium generale inſtrueretur, & fieret in ipſa Civitate, & Regno, perſpeximus illud convenire utilitati Reipublicæ ipſius Regni, & conſequenter ſervitio noſtro, qui caput ipſius Reipublicæ ſumus, ſicque ſemper fuit, & eſt intentionis noſtræ, ipſum privilegium & in eo contenta ad unguem obſervari. Et eſt etiam mentis geſta, & facta per Sereniſsimum Regem Alfonſum *imitari, quandoquidem non minùs, quàm illi, placet nobis, & quidem libenter, & animo hilari,* Artem, Scientiam, & Doctrinam tanti Doctoris Magiſtri Raymundi Lullii, *illius Virtutibus promerentibus, et ipſa ſcientia requirente, extollere dictumque Magiſtrum Joannem Cabaſpre, ac cæteros futuros Magiſtros in eadem Arte et Scientia honorare, præmiiſque remunerationibus Regiis dignos reddere.*

Itaque tenore præſentis Privilegii cunctis futuris temporibus perpetuò valituri, ex noſtri certa ſcientia deliberatèque et conſultò edicimus, et ſtatuimus præinſertum Privilegium noſtrum, et omnia et ſingula in eo contenta, juxta illius ſeriem et tenorem pleniores; tamquam de noſtra mente deliberatâ procedentia inviolabiliter cuſtodiri, firmiterque ad unguem obſervari; neque per quempiam quavis cauſa aliquo pacto infringi ſub pœnis in dicto Privilegio indictis: quarum rigoroſam executionem abſque ulla venia fieri, et abſque perſonarum exceptione præcipimus et jubemus, nihilominuſque edicimus et providemus, jam dictum Magiſtrum Joannem Cabaſpre Magiſtrum et Præceptorem (ût præhabetur) electum et nominatum, et confirmatum in Lectura et doctrina Artis & Scientiæ prænominati Doctoris Egregii Raymundi Lullii; *ejus vita durante, ac cæteros alios quoſvis futuros Magiſtros ipſiuſmodi* Artis, & Scientiæ, *cum eorum auditoribus, non ſolùm nullatenus inquietari, ſeu moleſtari, ſed etiam humaniter, benevolèque pertractari, illiſque favendo, et ubi ac quoties opportuerit, auxiliis, præſidiis,*

favoribus, quoad fieri poſsit, aſsiſtendo, ſic & prout & quemadmodum aliis Magiſtris & auditoribus cæterorum ſtudiorum generalium, favetur, auxiliatur, & aſsiſtitur, favoreſque, præſidia & honores præberi ſolent, & conſueverunt, atque ad majoris gratiæ auxilium, Lecturæ, & Magiſtrali eruditioni ipſiuſmodi Artis, & ſcientiæ, & doctrinæ, *præſidium noſtræ authoritatis interponimus, pariter & decretum.*

Sereniſsimæ propterea Joannæ Principi Auſtriarum, & Gerundę, Archiduciſſæ Auſtriæ, Duciſſæ Burgundiæ, &c. Filiæ primogenitæ noſtræ chariſsimæ, ac Gubernatrici generali, & poſt longævos, & felices dies noſtros immediatæ hæredi & ſucceſſori noſtræ, intentum aperientes noſtrum, ſub paternæ benedictionis obtentu dicimus, Locumtenenti verò generali, ac Gubernatori, Procuratorique Regio noſtris in eodem noſtro Regno, Bajulo inſuper & Vicario Civitatis, & aliis Bajulis forenſibus, Juratiſque Civitatis, & Regni ipſiuſmodi Majoricarum, & aliis denique Officialibus, & ſubditis noſtris in eiſdem Regno & Civitate conſtitutis, & conſtituendis, dictorumque Officialium Locatenent. tam præſentibus, quàm futuris dicimus, & præcipiendo diſtrictius mandamus, ſcienter, et expreſsè ſub incurſu noſtræ indignationis, & iræ, pœnæque florenorum auri Aragonici quinque mille noſtris, ſi ſecùs fieret, inferendorum ærariis, quatenus tenentes, & obſervantes, tenerique & obſervari perpetuò ad unguem facientes hujuſmodi noſtrum Privilegium, & omnia & ſingula in eodem contenta juxta ejus ſeriem, & tenorem pleniores in nihilo contraveniant aut contrafaciant, nec contravenire, aut contrafieri patiantur aliquâ causâ, vel ratione, quantò dicta Sereniſsima Princeps filia primogenita noſtra chariſsima paternam benedictionem habet charam, cæterique Officiales & ſubditi noſtri præappoſitam cupiunt non ſubire pœnam. In cujus rei teſtimonium præſens Privilegium fieri juſsimus, noſtro communi ſigillo impendenti munitum. Dat. in Civitate noſtra Cæſarauguſtæ, die vigeſimo primo Menſis Februarii, anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo tertio, *Regnorumque noſtrorum, videlicet Siciliæ anno trigeſimo ſexto; Caſtellæ, & Legionis trigeſimo; Aragonum & aliorum vigeſimo quinto, Granatæ autem duodecimo.*

YO EL REY.

Vi-

Vidit Amatus Re. Vidit Generalis Theſaurarius. Vidit Petrus Coſcolla pro Conſervat. Gener. Dominus Rex mandavit mihi Franciſco Caſtell, viſ. per Amat. Re. Can. cui fuit commiſſum: viſ. etiam per Gener. Theſau. & Petrum Coſcolla pro Conſer. Gener. In Majoric. VIII. fol. XXXVIII.

Supplicatoque Majeſtatibus noſtris per eumdem Petrum Malferit noſtræ dictę Univerſitatis Privilegia præinſerta dicto ſtudio generali *Magiſtri Raymundi Lullii* conceſſa confirmare, & de novo concedere ex noſtra ſolita benignitate dignaremur, conſiderantes ſervitia per dictam Univerſitatem nobis exhibita, quæ certè multa fuere, ac quantùm literarum cultus in omnibus terris colendus eſt ob optimum fructum, quem regna, & cunctæ Reſpublicæ à viris peritis colligunt, motique eiſdem reſpectibus, quibus dicti Prædeceſſores noſtri, ad dicta Privilegia concedenda moti fuerunt, prædictæ ſupplicationi decrevimus favorabiliter innuere. Tenore igitur præſentis, ex noſtri certa ſcientia, deliberatè & expreſsè noſtraque Regia authoritate Privilegia præinſerta, & omnia & ſingula in eis, & quolibet eorum contenta, & ſpecificata, à prima eorum linea uſque ad ultimam, laudamus, approbamus, & confirmamus, & quatenus opus ſit dicto generali ſtudio *Magiſtri Raymundi Lullii*, ejuſque ſingularibus præſentibus & futuris de novo concedimus, & elargimur, juxta privilegiorum præinſertorum tenores pleniores, ac prout, & quemadmodum Privilegiis eiſdem meliùs & pleniùs hactenus dictum ſtudium generale, illiuſque ſingulares uſi, gaviſique fuerunt, ac in præſentiarum ſunt in poſſeſsione noſtræque hujuſmodi laudationis, approbationis, confirmationis, &, quatenus opus ſit, novæ conceſsionis munimine roboramus, ſeu præſidio, & validamus; volentes & expreſsè decernentes, & declarantes, quòd hujuſmodi noſtra confirmatio, & quatenus opus ſit, nova conceſsio ſit, & eſſe debeat prædicto ſtudio & illius ſingularibus (ût præfertur) ſtabilis, valida, realis & firma, nullumque in judicio, vel extra ſentiat diminutionis incommodum, dubietatis objectum, aut noxæ alterius detrimentum, ſed in ſuo ſemper robore & firmitate perſiſtat.

Quo-

Quocirca ſpectabilibus, nobilibus, magnificis, dilectis Conſiliariis, & fidelibus noſtris Locumtenenti, & Capitaneo Generali noſtro, Regenti noſtram Cancellariam, Procuratori noſtro Regio, Bajulo inſuper, & Juratis Majoricarum, cæteriſque demum univerſis & ſingulis Officialibus, & ſubditis noſtris in dicto Regno conſtitutis, & conſtituendis dicimus, præcipimus & jubemus Regia authoritate noſtra prædicta, ad incurſum noſtræ indignationis & iræ, pœnæ florenorum auri Aragonum mille ab omni ſecùs agente irremiſibiliter exigendorum, & noſtris inferendorum ærariis, quatenus hujuſmodi noſtram confirmationis, & novæ conceſsionis gratiam, & proviſionem, & omnia, & ſingula in ea contenta teneant firmiter, & obſervent, tenerique & obſervari inviolabiliter per quoſcumque faciant juxta ſuî ſeriem, formam, & tenorem pleniores, cauti ſiquidem contrarium agere, aut fieri permittere ratione aliqua ſive causâ, pro quanto gratiam habent charam noſtram, & præter iræ & indignationis noſtræ incurſum, pœnam præappoſitam cupiunt evitare. In cujus rei teſtimonium præſentes fieri juſsimus, noſtro communi, quo, antequàm ad Sacrum Imperium electi eſſemus, utebamur ſigillo (cum nondum alia fabricata fuerint) impenden. munit. Dat. in Civitate noſtra Hiſpalis die undecimo Menſis Maji, Anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, Regno um noſtrorum, videlicet electionis Sacri Imperii anno nono, Regni Caſtellæ, Legionis, Granatę, &c. XXIIII., Navarræ tertio decimo; Aragonum verò, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, aliorum duodecimo, Regis verò omnium duodecimo.

YO EL REY.

Vidit Canc. Vt. Lu. Sanchez Gen. Theſau. Vt. Jo. Alemanus. Cont. Relator Generalis. Vt. Conſervat. general. Vt. de Ferrara R. Vt. de Bononia R. Vt. Majuſ. R. Vt. Ram. R. Vt. Boncianum.

Sacra Cęſarea Majeſtas mandavit mihi Alfonſo de Soria, viſ. per. Cant. de Ferrara R. Can. Theſ. gener. De Bononia. Majus. Ram. Et Boncian. Et tenent. Et pro Conſ. Et contra Relatorem generalem.

In

In Majoric. Sigilli comm. IIII. fol. CCVIII.

Copia hujuſmodi in his præcedentibus papyri foliis, præſenti tamen incluſo, licèt manu aliena ſcripta, deſumpta fuit à ſuo Originali pergameneo Privilegii Regis Univerſitatis Majoricarum conceſsi per Illuſtriſſimos Dominos Reges Caſtellæ, Aragonum, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Legionis, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, recondito & reſervato in ſcrinio Archivi domûs Juratiæ Univerſitatis Majoricarum & cum eodem Originali veridicè comprobata per me Melchiorem Tries, *Regiâ, ac Imperiali authoritate Notarium publicum Majoricarum, & Archivarium jam dictæ Univerſitatis: in cujus rei teſtimonium hìc appono ſigillum dicti Archivi, ût infra. Dic videlicet Sabbati, decimâ ſecunda Menſis Maji, anno à Nativitate Domini milleſimo ſexcenteſimo. Vidit Gregorius Forteſa Vic. Gen.*

NOS PHILIPPUS Dei gratia Rex Caſtellæ, Aragonum, Legionis, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Portugalliæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbii, Algezitæ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ, necnon Indiarum Orientalium, & Occidentalium Inſularum, ac terræ firmæ maris Oceani, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Athenarum & Neopatriæ, Comes Haſpurgi, Flandriæ, Tirolis, Barcinonæ, Roſsilionis, & Ceritaniæ, Marchio Oriſtani, & Comes Gociani.

Licèt adjectione plenitudo non egeat, nec firmitate, quod eſt firmum, confirmatum tamen interdum quoddam robur obtinet, non quòd neceſsitas id expoſcat, ſed ut confirmantis ſincera benignitas pateat, & rei geſtæ abundantioris cautelæ robur accedat.

Dudum pro parte Syndici Univerſitatis noſtræ Civitatis & Regni Majoricarum fuit Majeſtati noſtræ expoſitum, & deductum, ipſam Univerſitatem habere quoddam Privilegium per Sereniſsimum Dominum Regem Ferdinandum Abavum noſtrum eidem conceſſum, cujus exemplum authenticum nobis & in noſtro Sa-

Sacro Supremo Regio Conſilio exhibere fecerunt, hujuſmodi tenore.

NOS FERDINANDUS, &c. ût ſupra.

Supplicatumque nobis humiliter fuit pro parte Juratorum ejuſdem Civitatis, ut præinſertum Privilegium, & omnia & ſingula in eo contenta laudare, approbare, ratificare & confirmare, & quatenus opus ſit, unà cum proviſione officiorum Notarii, & Vitelli Gymnaſii Generalis ejuſdem Univerſitatis hactenus nobis reſervatâ in & cum inſerto Privilegio de novo concedere, & indulgere dignaremur.

Nos vero ſubditorum noſtrorum præſertim benemeritorum votis inclinati, eorum petitioni benignè annuentes, tenore præſentis, de noſtra certa ſcientia Regiaque authoritate, deliberatè, & conſultò, ac maturâ dicti noſtri ſupremi Conſilii accedente deliberatione dictum & præinſertum Privilegium, & omnia, & ſingula in eo contenta, expreſſa & declarata, à primâ ſcilicet ejus linea uſque ad ultimam incluſivè, *laudamus*, *approbamus*, & *confirmamus*, & quatenus opus ſit, unà cum proviſione dictorum Officiorum Notarii & Vitelli (ût præfertur) de novo concedimus, indulgemus, & elargimur; noſtræque hujuſmodi laudationis, approbationis, ratificationis & confirmationis, novæque tam dictorum duorum officiorum, quàm aliorum conceſsionis præſidio, ſeu munimine roboramus, & validamus, authoritatemque noſtram eis interponimus, pariter & decretum: Volentes, & decernentes expreſsè, quòd deinceps, quoties dicta duo officia Notarii, & Vitelli dicti Gymnaſii vacare contigerit, eorum proviſio ad dictos Juratos pleno jure pertineat, & ſpectet, ſicut nobis pertinebat & ſpectabat ante præſentem gratiam & conceſsionem. Decernentes inſuper, quod noſtra hujuſmodi gratia, & conceſsio proviſionis, & nominationis dictorum Officiorum, laudatioque, approbatio, ratificatio, & confirmatio, ac, quatenus opus ſit, nova conceſsio præinſerti Privilegii ſit, & eſſe debeat dictæ Univerſitati, & ipſius Juratis, modo, quo ſupra, ſtabilis, realis, valida, atque firma, nullumque in judicio, aut extra ſentiat

tiat diminutionis objectum, defectûs incommodum, aut noxæ alterius detrimentum; ſed in ſuo ſemper robore, & firmitate perſiſtat.

Sereniſsimo propterea Philippo Principi Aſturiarum, & Gerundæ, Ducique Calabriæ, & Montis albi, filio primogenito noſtro chariſsimo, ac poſt felices & longævos dies noſtros in omnibus Regnis & Dominiis noſtris (Deo propitio) immediatè hæredi & legitimo Succeſſori intentum aperientes noſtrum ſub paternæ benedictionis obtentu dicimus, eumque rogamus: ſpecialiter verò magnificis, dilectiſque Conſiliariis & fidelibus noſtris, Locumtenenti & Capitaneo Generali noſtro, Regenti Cancellariam, & Doctoribus noſtræ Regiæ Audientiæ, Advocato, & Procuratori Fiſcalibus, Regio Procuratori, Regenti Theſaurariam, & Locumtenenti, Magiſtris rationalis, Vicario, Bajulis, Alguaziriis, Virgariis, Portariis, cæteriſque demum univerſis & ſingulis Officialibus & ſubditis noſtris majoribus, & minoribus in præfato Majoricarum Regno conſtitutis, & conſtituendis, ipſorumque Officialium Locatenentibus, ſeu officia ipſa regentibus, & ſubrogatis præſentibus & futuris præcipimus, & jubemus ad incurſum noſtræ Regiæ indignationis, & iræ, pœnęque florenorum auri Aragonum mille noſtris Regiis inferendorum ærariis: quod præinſertum Privilegium noſtramque conceſsionem proviſionis dictorum Officiorum, laudationemque, approbationem, ratificationem, & confirmationem, ac, quatenus opus ſit, novam conceſsionem ejuſdem Privilegii, omniaque & ſingula in eo contenta & expreſſa juxta illius ſeriem & tenorem pleniores teneant firmiter, & obſervent, tenerique & inviolabiliter obſervari faciant per quoſcumque, & non contrafaciant, vel veniant, aut aliquem contrafacere, vel venire permittant ratione aliqua, ſive causâ, ſi dictus Sereniſsimus Princeps nobis morem gerere, cæteri vero Officiales & ſubditi noſtri prędicti gratiam noſtram charam habent, ac præter iræ & indignationis noſtræ incurſum pœnam præappoſitam cupiunt evitare. In cujus rei teſtimonium, præſentem fieri juſsimus, noſtro Regio communi ſigillo pendent. munit. Dat. in

Sancto Laurentio Regali die vigeſima quarta Menſis Octobris anno à Nativitate Domini *milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo*, Regnorumque noſtrorum videlicet citerioris Siciliæ, & Hieruſalem 44., Caſtellæ autem, Aragonum, ulterioris Siciliæ, & aliorum XXXXII. Portugalliæ vero XVIII.

YO EL PRINCIPE.

Dominus Rex, & ejus nomine Dominus Princeps mandavit mihi Dominico Ortiz. Viſa per Frigolam Vicecancell. Comitem General. Theſaurarium, Baptiſta Covarrubias, Sanz, Guardiola, & Clavero Regentes Cancell. Don Petrus Sanz Fiſci Advoc. & me pro Conſervat. Gen.

In Majoric. XII. fol. CC. XL. VII.

Copia hujuſmodi in his præcedentibus papyri foliis, præſenti tamen incluſo, licèt manu alienâ ſcripta, deſumpta fuit à ſuo Originali pergameneo Privilegii Regis Univerſitatis Majoricarum conceſsi per Illuſtriſsimum Dominum Regem Philippum Regem Caſtellæ, &c. recondito, & reſervato in ſcrinio Archivi Domûs Juriariæ Univerſitatis Majoricarum, & cum eodem Originali veridicè comprobata per me *Melchiorem Tries* Regiâ ac Imperiali authoritate Notarium public. Majoric., & Archivarium jam dictæ Univer.: in cujus rei teſtimonium hìc appono ſigill. dicti Archi., ut infra. Die videl. Sabbati decimâ ſecundâ Menſis Novembris, anno à Nativ. Dñi. milleſimo ſexenteſimo.

Vidit Gregorius Forteſa Vicar. Gener.



PRI-

PRIVILEGIUM ELARGITUM R. ET IN S. Theologia Profeſſori Magiſtro Jacobo Janer Monacho per Sereniſſ. Chriſtianiſſ. & Obſervandiſſ. Regem Hiſpaniæ Ferdinandum Neapolis, & inſuper legendi Artem Generalem Ilti. Doctoris per omnia Regna ejus, & ſignanter in Regno Valentiæ, & Diſcipulis ejus.

FERDINANDUS Dei gratia Rex Caſtellæ, Aragonum, &c.

Magnifico dilecto Conſiliario & Camerlenco Ludovico de Cabanyelles Militi gerenti vices noſtri generalis Gubernatoris in prædicto noſtro Valentiæ Regno, & ſeu ejus in officio Locumtenenti & ſubrogato ſalutem & Dilectionem. Expoſitione Majeſtati noſtræ non ſinè gravi querela factâ pro parte dilecti noſtri Jacobi Januarii Monachi Ciſtercienſis Ordinis Monaſterii Sanctarum Crucum, Magiſtri in Sacra Pagina & in Artibus, intelleximus, quòd, cùm ipſe ſit valde peritus, & in Arte & Scientia edoctus Laudabilis Magiſtri Raymundi Lulli. Quę quidem Ars & Scientia, ut per Acta publica & Authentica dicitur apparere eſſe approbata per Francorum Regem, & per Cancellarium Univerſitatis ſtudii generalis Pariſienſis, & per Legatum Summi Pontificis, & per Pontificem Innocentium, & per Generalem Sacri Ordinis Fratrum Minorum, & per Officialem Curię Pariſienſis, & etiam per Sereniſſ. Regem Alphonſum Patruum noſtrum divæ Memoriæ; qui omnes ſuis cum Literis, Patentibus & Privilegiis dictam laudabilem & valde utilem veram Artem & bonam Scientiam tamquam Catholicam, multorum in ſacra Theologia Magiſtrorum teſtimonio approbarunt, laudarunt, dogmatizarunt, voluerunt que & mandaverunt, illam veram Artem in omnibus Regnis & terris ſuis legi & publicari; ac omnibus & ſingulis dictam veram Artem audire & ſcire volentibus, edoceri: & præcipuè Sereniſſimi Reges Aragonum Patrui noſtri Petrus,

& Martinus recolendæ memoriæ ſuis cum opportunis Privilegiis coram nobis in Authentica Forma exhibitis, voluerunt & prœceperunt, quòd hujuſmodi Ars vera & Scientia in ipſo noſtro Valentię Regno legeretur & divulgaretur, & per omnia Regna noſtra, prout in iiſdem Privilegiis (ad quæ nos referimus) latiùs continetur; velitque Monachus ipſe & ejus Diſcipuli dictam veram Artem & bonam Scientiam per omnia Regna noſtra & maximè in Civitate ipſa Valentiæ legere, docere & manifeſtare omnibus illam veram Artem & Scientiam audire & ſcire volentibus; ût præmiſſum, ſicut præmittitur, eſt: factis tamen ſibi obſtaculo, impedimento & contradictione per nonnullos dictæ Civitatis, qui proprium magìs, quàm publicum forſan appetunt commodum, ipſam verò Artem & bonam Scientiam legere & docere nequit, quod in ejus atque dictæ Artis Scientiæque grave damnum & prœjudicium cedere dicitur: maximè, quia in Civitate ipſa Valentina (ût dicitur) quidam Artis iſtiuſmodi & Scientię valde devotus domum quamdam & redditus in ſuo ultimo teſtamento legavit; quam quidem domum & illius redditus Artis hujus & Scientię peritus hactenus (utì aſſeritur) petiit; ſed tamen iſte nunc illam petere & habere, ſi juris & juſtitiæ fuerit, intendit & vult: qua ex re hìc prædicti Monachi Magiſtri Jacobi Januarii parte ad ſerenitatem noſtram recurſum fuit, eidem humiliter ſupplicatum, ut ſuper his, ac etiam ſupradictæ Domûs recuperationem, & illius reddituum, ſicut præmittitur, legatorum Animæ ſalubri & decenti juſtitiæ remedio ſibi providere dignaremur.

Nos verò ſuplicatione ejuſmodi intellectâ, attendentes præmiſſa & etiam conſiderantes, quòd in Civitatibus noſtris Majoricarum & Barcinonæ ſunt domus, in quibus ſunt Cathedræ conſtructæ & dedicatæ cum redditibus ad Artem & Scientiam iſtam legendam, docendam & manifeſtandam; & quòd in Civitate iſta Valentina ſit domus & Cathedra (ût dicitur) cum redditibus, per teſtatorem illum legata, illius ſupplicationem benignè admiſimus, vobiſque propterea dicimus & mandamus ſcienter & expreſsè, ac pro prima & ſecunda juſsioni-

nibus ſub iræ & indignationis noſtræ incurſu, pœnâque florenorum auri Aragonum mille noſtris ferendorum ærariis, quatenus, poſtquam dictus R. Magiſter Jacobus Januarius eſt doctiſsimus in dicta Arte Generali & Scientia Magiſtri Raymundi Lulli, & ſufficiens ad legendum & docēdum eam, illicò viſis præſentibus, nec ſit mora, eumdem R. Magiſtrum Jacobum Janer, legere, docere & manifeſtare dictam veram Artem & bonam Scientiam omnibus & quibuſvis illam audire & ſcire volentibus, ſinatis & permittatis, abſque alicujus impedimento, obſtaculo & contradictione, quin potiùs conſilium, auxilium & favorem ei contra quoſcumque detis, præſtetis, faciatis, quin ubi, & quoties opportuerit & neceſſe fuerit, omni ſiquidem conſultâ & aliis quibuſvis obſtaculis ceſſantibus & penitùs rejectis, cum ſic prædictorum Privilegiorum obſervatione, & Reipublicę dictæ Civitatis commodo, ac pro hujuſmodi Artis & Scientiæ obſequio fieri volumus & jubemus, quibuſvis capitulis, ordinationibus & ſtatutis, in contrarium forſan factis, non obſtantibus ullo modo; ad quam abundantiorem cautelam ſub eiſdem juſsionibus & pœnis mandamus juſtitiæ Juratis & aliis quibuſvis Officialibus & ſubditis noſtris Civitate & Regno Valentiæ conſtitutis, aliorumque Officialium Locumtenentibus præſentibus & futuris; & præcipuè Rectori ſtudii nuper in dicta Civitate Valentiæ conſtructi Magiſtriſque Baccalaureis ſtudentibus & legentibus in dicto ſtudio, & aliis, ad quos ſpectet, quatenus illico, poſtquam dictus Magiſter Jacobus Januarii eſt ſufficiens ad dictam Artem & Scientiam legendum, ſinant atque permittant eidem legere, docere & oſtendere dictam Artem & Scientiam omnibus illam audire volentibus, nullumque ſibi obſtaculum ponant aliqua ratione ſivè cauſa, ſi præter iræ & indignationis noſtræ incurſum, prę appoſitam pœnam cupiunt non ſubire.

Poſtmodum autem ſequendo voluntatem dicti teſtatoris, juxta illius teſtamenti diſpoſitionem omnibus juſtitiæ remediis, quibus decet, compellatis quoſcumque detentores prędictorum domūs & reddituum ad dandum realiter & reſtituendum memorato ſupplicanti ſeu

ſuo

ſuo Procuratori omnia & quæcumque bona ſibi ratione prędicta legitimè pertinentia, promptam & expeditam juſtitiam illi miniſtrando & faciendo, ſervatis ſemper foris iſtius noſtri Valentiæ Regni ac aliis ſervandis, procedendo in prædictis breviter, ſimpliciter, ſummariè & de plano, ſinè ſtrepitu, formâ & figurâ judicii, ſolâ facti veritate & negotii qualitate attentâ, malitiis & diffugiis quibuſvis ſemotis, & ſinè perſonarum exceptione, ac taliter, & ût confidimus, in his vos habendo, quòd nullus juſtæ querelæ locus, quæ nobis eſſet valde moleſta, eidem ſupplicanti relinquatur, neque ad nos hac de cauſa iterum recurrere cogatur: quoniam Nos vobis officium veſtrum, ſi quatenus opus ſit, excitantes, in & ſuper præmiſsis & illorum ſingulis cum incidentibus, dependentibus & emergentibus ex eiſdem, locum, voces & vices noſtras & ſufficientem poteſtatem plenariè committimus per præſentes. Dat. in Civitate Hiſpali 27. die Menſis Januarii anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo.

YO EL REY.

Vidit Albanel Regens. Vidit Generalis Theſaurarius. Vt. Malferitus. Vt. Sanctangelus Conſer. Gen.

In diverſorum Valentiæ IX. fol. LXXIX.

Præcedentibus Privilegiis, quibus tot Sereniſsimi Hiſpaniarum Reges Catholici & fideliſsimi S. Matris Eccleſiæ Filii univerſo orbi Fidem fecerunt non ſolùm de immunitate à Cenſurâ per Bullam illam fictitiam Eimerici, Doctrinæ & Libris B. Raymundi, imò & ipſius Catholicitati illatâ, ſed etiam de Regia ſua propenſione ac Favoribus tam inclytæ Arti & Scientiæ omni jure impenſis, non incongruum videtur ordinem ſubjungi & numerum altefatorum Monarcharum contrahendo in Epitomen, quæ fuſiùs de illis enarrant R. P. Jacobus Cuſturerius S. I. Diſſ. 2. cap. 5. & ex ipſo R. P. Sollerius S. I. in Actis art. 6. §. III. & ſeq. fol. 96. Horum igitur

Primus Rex eſt Petrus 4., qui Barcinonæ anno 1369. Diplomate edito, Artem & Scientiam B. Raymundi Lulli perutilem, veram & neceſſariam confirmat; ſub hoc Rege, poſt tamen indultum præfatum Diploma, intentata eſt lis Doctri-

næ

næ Lullianæ ab Eimerico nempe ſub Gregorio XI. ût elucet in Epiſtola hujus Regis ad præfatum Pontificem datâ pro defenſione Artis Lullianæ anno 1377.

Secundus : Rex Joannes Petri primogenitus, in Regno Succeſſor, cujus Regis æquitate Cauſa Lulliana vindicata fuit contra infenſiſsimum illius hoſtem Eimericum toto Regno cedere juſſum : hujus Regis Literæ contra Eimericum datæ videri poſſunt apud D. Segui in fine Vitæ B. Raymundi adjunctæ, & etiam in fine Nitelæ Franciſcanę fol. 488. & in fine hujus Libri.

Diploma hujus Regis in favorem Artis Lullianæ in toto Regno tradendæ datum anno 1392. 12. Septembris in Monaſterio S. Cucufatis Vallenſis, docet, *illum inſecutum fuiſſe Parentis veſtigia & laudabile propoſitum.*

Tertius : Rex Martinus Frater Joannis idem corroborat Privilegio Cæſarauguſtæ anno 1399. 25. Nov. Lullianæ Doctrinæ & ejus Profeſſoribus conceſſo.

Quartus : Rex Ferdinandus Primus Nepos Martini, cujus vices ſupplevit.

Quintus : Rex Alfonſus Ferdinandi Filius, cognomento Magnanimus, duplicando Privilegia in gratiam Artis & Doctorum ejus : ſub hujus regimine lata eſt Sententia definitiva pro Arte & Libris ſupra inſerta.

Sextus : Rex Joannes Secundus Frater Alfonſi ejuſque in firmanda & tuenda Doctrina Lulliana compar, cui ſucceſsit

Septimus : Rex Ferdinandus Catholicus, cujus Authoritate erecta eſt Majoricæ Univerſitas Lulliana anno 1483. 31. Auguſti hodie dum floreſcens : huic inſuper debetur Privilegium Magiſtro Januario conceſſum (ût ſupra) & ſingularis tutela Lulliſtis contra adverſarios illorum tunc temporis acriùs furentes impenſa.

Octavus : Rex & Imperator Carolus Quintus Ferdinandi ex Joanna Filia Nepos Lullianam Artem & Scientiam Privilegio tanto Cæſare tantaque Scientiâ digno altiùs extulit, orbique magis notam reddidit : hujus veſtigia laudabiliter preſſerunt

Nonus : Rex Philippus Secundus, Caroli Filius, conferendo, confirmando & augmentando Privilegia Doctrinæ Lullianæ anno 1597. 24. Octobris defendendo pariter cauſam

ſam Lullianam in Curia Romana datis diverſis ad illam Literis.

Decimus : Rex Philippus Tertius, Philippi Secundi Filius, confirmando Privilegia, ſupplicando Summo Pontifici pro expurgatione Directorii Eimerici : inſtando pro Canonizatione B. Raymundi, ut exhibent Literæ anno 1614. 18. Oct. ad ſuam Sanctitatem datæ, & ſub eodem dato ad Cardinalem Zapata.

Undecimus : Rex Philippus Quartus, Filius Tertii : ejus benevolentiam erga Lulliſtas & Doctrinam Doctoris Ilti. ſignant variæ Literæ ad Curiam Romanam ſcriptæ pro tuenda cauſa Lulliana & impetranda Beatificatione Illuminati Doctoris.

Duodecimus : Rex Carolus Secundus Regio Decreto anno 1697. 16. Oct. approbat ſtatuta Univerſitatis, quæ ût Delegatus Apoſtolicus Illuſtriſſ. & Rever. D. Petrus de Alagon Archiepiſcopus Epiſcopus Majoricenſis condiderat, conceſſit ſingulares favores huic Doctrinæ, ſtabiliendo quatuor Cathedras Theologiæ de Schola Lulliana, unam Philoſophiæ, dando facultatem, ut ſoli huic Doctrinæ poſsint adjungi plures Cathedræ, (ût factum eſt in noſtro tempore) & dando ſemper præcedentiam in Collegio Theologiæ Cathedratico Lulliano, quamvis eſſet junior gradu & Lecturâ cæteris : ordinando inſuper, ut 25. Januarii ſingulis annis celebretur feſtum B. Raymundi Lulli, prout conſueverat ſtudium Generale, &c. Ingeſsit denique huic Decreto Decreta Prædeceſſorum ſuorum, illaque per hoc ultimum rata ac firma eſſe voluit.

Tertiuſdecimus : Rex Chriſtianiſsimus Francorum Philippus, cujus Regiæ propenſionis erga B. Raymundum adhuc in hac vita degentem, ejuſque Artem teſtis eſt lit. ſeq.

Philippus Dei gratia Franciæ Rex, Univerſis præſentes Literas inſpecturis ſalutem. Notum facimus, quòd Nos audito Magiſtro Raymundo Lullio exhibito præſenti, ipſum eſſe *Virum bonum, juſtum & Catholicum* reputamus, *& ad Confirmationem ac Exaltationem Fidei Catholicæ fideliter inſiſtentem.* Qua propter Nobis placet, quòd ipſe ab omnibus Orthodoxæ Fidei cultoribus, & præcipuè ſubditis noſtris, tractetur benigniter, ipſique favor benevolus impenda-

datur; quem gratum habebimus & acceptum: in cujus rei teſtimonium præſentibus Literis noſtrum fecimus apponi ſigillum. Dat. apud Vernonem 2. die Aug. anno Dñi. 1310. Iſte Rex (ût in Encomiis authenticis 1. Tom.) in ſuperſcriptione Literarum ad Iltum. Doctorem ſic aiebat: *Organo Sancti Spiritûs Doctorique divinitùs illuſtrato.*

29 Regio huic agmini jure meritiſsimo eſt confœderandus Sereniſsimus Elector Palatinus Joannes Wilhelmus ter beatæ memoriæ Piiſsimus & Sapientiſsimus Princeps, qui innumeris expenſis omnia manuſcripta Bti. Doctoris undequaque recollecta typis mandare curavit.

30 Quod admirans ſapientiſsimus Pater Sollerius è Societate Jeſu in Dedicatoria Martyrologio Uſuardi Antuerpiæ impreſſo anno 1714. præfixâ; ſic alloquitur Sereniſſ. Electorem: *Volvebam animo ſingulariſsimam illam tuam erga eum Sanctum venerationem, quem primo meo in Actis Sanctorum illuſtrandis conatu exornaveram: Raymundum Lullum loquor, magnum divini & humani Amoris ſpecimen, magnum tum immenſis laboribus pro Fide Catholica ſuſceptis ac profuſo ſanguine ſigillatis, tum Libris ſcribendis Naturæ ſimul ac Gratiæ Prodigium... ſine me hìc, Princeps Sereniſsime, orbi univerſo propalare, quod univerſus obſtupeſcat: ſuſceptam à Te Viri Beati portentoſique Operum omnium, dignam Te ſolo Principe, poſt quatuor ferme ſæcula editionem. Quid ego hìc prædicem ſolicitudinem tuam in Operibus undequaque conquirendis, accerſendis, colligendis, quid miſſos quaquaversùm eruditos viros, qui ea è Bibliothecarum ſcriniis ſemiſepulta eruerent, quid expenſas in rem Nomini tuo glorioſiſsimam factas & porrò faciendas ſub Dei ter optimi maximi ipſiuſque Beati Martyris Auſpiciis? audacter dicam id in hac re, Princeps Sereniſsime, à Te præſtitum fuiſſe, quod Princeps nullus, non Rex, non Cæſar hactenus aggredi auſi fuerint, ut ſingulari providentia Gloriæ tuæ jam ſatìs quaquaversùm diffuſæ cumulus hic ampliſsimus accederet.*

31 Prælaudati Principis veſtigia glorioſè & laudabiliter ſunt ſecuti duo germani fratres ejuſdem, alter Palatinus Elector Carolus Philippus Joannis ſucceſſor, & alter Mogun-

tinus Elector Ludovicus Franciſcus: necnon duo alii Eminentiſsimi Electores Moguntini Lotharius Franciſcus, & Philippus Carolus Sacri R. I. per Germaniam Archi-Cancellarii, qui ſuâ Sereniſsima & Eminentiſsima providentia & protectione Magni Operis Lulliani impreſsionem ſunt proſecuti, quorum omnium Regum & Principum glorioſa geſta Carolus Sextus Romanorum Imperator memoriæ ſemper Auguſtæ (ût videre eſt in frontiſpicio 1. Tom.) ſuo Cæſareo Privilegio coronavit.

32 Unde: ſi attendatur exacta diſcuſsio & rigida examinatio à Catholicis Monarchis adhiberi ſolita per Magiſtros in Sacra Theologia & in aliis Facultatibus præſtantiſsimos, ut certificentur de hujuſmodi rei veritate, & merito Perſonæ, cui favere decernunt, (ût ſupra) quantì faciant prædicta Privilegia ad appretiationem Lullianæ Doctrinæ & B. Doctoris, non patere nequibit.

33 Si tandem numero eſt certandum, videantur in primo Tomo magni Operis Lulliani ultra centum quadraginta Illuſtres Authores Dignitate, Pietate, Doctrina & Eruditione conſpicui, qui Artem Magnam & ejus Artificem B. Raymundum deprędicant, miris laudibus exornant, illam cœlitùs acceptam teſtantur, contra malevolorum inſultus tuentur, & ingenuis ſuæ ſalutis ac veræ ſcientiæ amatoribus commendant. Et licèt ex hoc numero aliqui pauci excludantur; alii, quia ſunt Majoricenſes, alii quia eodem ore ſorbent & flant; tamen, ſi omnes alii veri appretiatores Artis & B. Artificis, quos optimè novimus, & eorum adhuc nomenclaturam hìc referre eſſet valde prolixum, dicto numero includantur, in tantum excreſceret agmen, quòd R. P. Feijoò ſuo contrario numero non poſſet illorum aciem penetrare, niſi denuò valeret de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ; ſed, quia lis eſt de facto præſenti & non de futuro contingenti, legitimè infertur majoritas qualitatis & numeri B. Raymundum & ejus divinam Artem appretiantium.

DIS-

DISTINCTIO III.

DE OBJECTIONIBUS NUMERI 4. Et 1. de Litera textûs.

1 PERGIT Feijoana Epiſtola in numero 4. ſic: „ La Arte de Lulio con todo „ ſu epitheto de Magna, no „ viene à ſer mas que una „ eſpecie nueva de Logica, „ que deſpues de bien ſabida „ toda, dexa al que tomó el „ trabajo de aprenderla, tan „ ignorante como antes eſta- „ va; porque no da noticia „ alguna perteneciente al ob- „ jeto de ninguna ſciencia, y „ ſolo ſirve para hazer un jue- „ go combinatorio muy inu- „ til de varios predicados ò „ atributos ſobre los objetos, „ de quienes por otra parte „ ſe ha adquirido noticia. Po- „ drà decirſe tambien, que „ hay algo de Metafiſica en „ el Artificio Lulliano; pero „ aſsi en lo que tiene de Me- „ tafiſica, como en lo que tie- „ ne de Logica, es ſumamen- „ te inferior à la Logica, y „ Metafiſica de Ariſtoteles; aſ- „ ſi la Arte de Lulio en nin- „ guna parte del mundo lo- „ grò, ni logra enſeñanza pu- „ blica, exceptuando la Isla de „ Mallorca de donde fue na- „ tural el Author; por donde „ es claro, que acaſo debe eſ- „ ſa honra, no à la razon, ſi- „ no à la paſsion de ſus pai- „ ſanos.

2 Latinè: Ars Lulli cum toto ſuo Epitheto Magnæ, non eſt niſi nova ſpecies Logicæ, quæ poſtquam bene ſcita fuerit tota, relinquit, qui laboravit in ipſa addiſcenda, ita ignarum, ſicuti antea; quia non dat notitiam aliquam pertinentem ad objectum alicujus ſcientiæ; & ſolùm deſervit ad faciendum ludum combinatorium valde inutilem variorum prædicatorum, ſeu attributorum ſuper objecta, de quibus aliunde habetur notitia. Poterit etiam dici aliquid Methaphiſicæ reperiri in Lul-

liano Artificio; ſed in eo, quod habet tam Metaphiſicæ, quàm Logicæ, eſt ſummè inferior Logicæ & Metaphyſicæ Ariſtotelis; ita Ars Lulli in nulla parte mundi obtinuit, nec obtinet publicè doceri, excepta Majoricarum Inſulâ, cujas fuit Author: unde patet, ipſum forſan debere hunc honorem, non rationi, ſed paſsioni (affectioni) ſuorum compatriotarum.

3 Hæc objectio continet 8. ſequentia puncta: 1. eſt quòd ars Magna Lulliana non eſt niſi nova ſpecies Logicæ. 2. quòd bene & totaliter ſcita dicta Ars nil ſcientiæ dat ipſam addiſcenti. 3. non dat notitiam aliquam pertinentem ad objectum alicujus Scientiæ. 4. Solùm deſervit ad faciendum valdè inutilem Ludum combinationis variorum prædicatorum vel attributorum ſuper objecta, de quibus aliunde habetur notitia. 5. poteſt dici aliquid Metaphiſicæ etiam in ipſa Arte reperiri. 6. In eo quod continet Logicæ & Metaphyſicæ dicta Ars eſt ſummè inferior Logicæ & Metaphyſicæ Ariſtotelis. 7. In nulla parte mundi obtinet, nec obtinuit publicam doctrinam, niſi Majoricæ. 8. debet hunc honorem non rationi, ſed paſsioni (more latino *affectioni*) Majoricenſium.

4 Licèt omnia hæc puncta plenam habeant ſolutionem, tam ex dictis, quàm ex dicendis in 2. Parte hujus Libri; nihilominus punctatim per ſequentia capita ad ſingula ſingulariter reſpondebitur.

CAPUT I.

QUOD ARS MAGNA LULLIANA EST pluſquàm nova ſpecies Logicæ.

1 QUOD hoc ita ſit probatur authoritate Magni Magiſtri in hac Arte, qui de ipſâ in principio Revelationis Secretorum Artis 1. Tomi ſic ait: *Hanc veneror, quia (ût piè credo & lectione tantorum Operum per tot annos continuatâ convictus ſum) cœlitus acceptam tantò altiorem tantò perfectiorem illam pronuncio, quantò potentius*

tius & universalius nacta est ministerium : non enim usui unius hominis, nec uni Scientiæ vel Arti, sed omnium scientiarum & Artium naturalium Reformationi & ultimatæ Perfectioni, omnium errorum & hæresum extirpationi, omnium Infidelium conversioni, ac proin Sacrosanctæ Fidei Catholicæ & Apostolicæ per universum mundum propagationi est destinata. Sed omnia prædicta non potest præstare dicta Ars, nisi sit plusquàm nova species Logicæ ; nam hæc non potest, quod omnes veteres species & ipsa Logica non potuere ; sed omnes veteres species Logicæ & ipsa Logica vetus non potuere, quod de Arte dictum est : ergo vel Ars, per hoc, quòd sit solùm nova species Logicæ, potest plusquàm omnes veteres species Logicæ, quod totis viribus negat Feijoana opinio, vel est plusquàm nova Logicæ species.

2 Si aliquis prędictæ Authoritati, unde profluit allegata ratio, dubitet assensum præbere, inter plusquàm tria Librorum millia, in quibus hæc veritas est manifestata, adeat solum maximum Librum Contemplationis B. Raymundi, & præter experimenta facta in Arte & Scientia Medicinę supra citata, informet se de duobus publicis experimentis in Musica factis, altero Mannhemii apud Principem Palatinum, altero Salmanticæ, quibus experimentis per Artem Magnam Ars musicalis est reformata, & (quod Musurgis hucusque impossibile visum est) ad ultimatam sui perfectionem reducta, & exuet omne dubium. Videatur tractatus Masicæ primi Tomi ; &, sicut in hac Arte & Scientia, per Artem Magnam Lullianam, factum est, similiter potest fieri in omnibus aliis Artibus & Scientiis. Unde videtur, quòd dicere Artem Magnam Lullianam non esse nisi novam Logicæ speciem, esse idem ac dicere, ens non esse nisi novam lapidis speciem. Nam, sicut ens est universale ad omnia entia particularia, & generale ad omnia specialia, ita Ars Magna Lulliana est universalis & generalis ad omnes Artes & Scientias particulares & speciales.

3 Declaratur sic : in Arte Magna Lulliana continentur omnes Artes & Scientiæ universales, scilicet Grammatica universalis, quia significat universaliter, Logica universalis, quia

quia demonſtrat univerſaliter, Rhetorica univerſalis, quia perſuadet univerſaliter, Arithmetica, quia æquat, Muſica; quia componit, Geometria, quia comparat, Aſtronomia, quia omnia principia univerſalia univerſaliter circulat; quę univerſalitas æquè de omnibus Artibus eſt intelligenda; & dictæ ſeptem Artes ſunt ſeptem inſtrumenta univerſalia, ſeptem claves & ſeptem ſigilla, quibus aperitur & claditur Liber Artis Magnæ, & quibus ipſa Ars omnia ſua Artefacta in Theologia, Philoſophia, Jure, & Medicina, & in Artibus univerſalibus Memorandi, Intelligendi, & Amandi, & in omnibus aliis Artibus complet & perficit. Et cum hoc toto Lulliana Logica non eſt dictæ Artis niſi decima pars; quod Deo dante exemplificabitur, & à maximo uſque ad minimum in ſecunda hujus Libri Parte ad oculum demonſtrabitur, ut videat mundana Sapientia & Prudentia quàm miſerrimè tantum Dei donum ſpernat.

4 Optimè confirmat aſſertum Epigramma ad Præcurſorem Lullianum Moguntiæ impreſſum anno 1723., ubi Moguntinus in Arte peritus ſic ait:

Iliadem magni forſan miraris Homeri
In nuce non magna? Jam potiora cape.
Quidquid Ariſtoteles, Lombardus Papinianus
Hippocrates, Hermes & Ptolemæus erant;
Lullius eſt, & plus, ſupero qui lumine clarus;
Omnibus his quidquid defuit, unus habet:
Quæ neſciverunt illi, quæ ſæpe negarunt
Hæc ſolidè *Magnâ* Lullus in *Arte* probat.

5 Sed quęret aliquis, quid eſt Grammatica univerſalis? Cui reſpondetur, eſſe artem, quę ſignificat omnia principia univerſalia omnium, quæ ſunt in rerum naturâ ex ſuis principiatis, & principiata ex ſuis principiis, & connexionem principiorum inter ſe, & principiatorum inter ſe, & horum cum illis & è converſo: hoc idem applicetur reliquis Artibus univerſalibus, differentiâ ſervatâ, & ſcietur quid ſint, & ſimul videbitur qualiter paucis verbis multa intelligenda offe-

offerantur. Exempli gratia: per dicta ſignificatur quòd, ſicut ex definitione unius Artis clarè & facilè intelliguntur reliquarum definitiones; ſic ex perfecta intelligentia unius Scientiæ habetur reliquarum clara facilis & perfecta notitia per nexum univerſalem Artis Magnæ Lullianæ docentis numeros, pondera, & menſuras, in quibus Deus omnia diſpoſuit: ergo ipſa Ars valde plus eſt, quàm nova Logicæ ſpecies.

CAPUT II.

QUOD ARS MAGNA LULLIANA, SI BENE & totaliter diſceretur, ſic diſcenti omnem Scientiam præſtaret.

1 Pergit Feijoana opinio de Arte Magna Lulliana aſſerens, quòd *bene & totaliter ſcita nil ſcientiæ tribuit illi, qui in ipſa addiſcenda laborem ſumpſit.* In hoc aſſerto opinans ſupponit ſe ſcire dictum experimentum per ſe, vel per alium, qui dictam Artem *benè & totaliter didicit*; & in primis, negato ſuppoſito, dicitur, impoſsibile eſſe, aliquem Artem aliqualiter ſcientem, de ipſa aliquid tale docere; ût apparet in omnibus Lulliſtis ſupra citatis: ergo magis eſt impoſſibile, aliquem illam totaliter ſcientem, idipſum aſſervare; niſi contra ſcitam veritatem & omnino petulanter hoc proferat, quod de probitate tanti Patris adhuc ſuſpicari nefas duco: ergo, ut à dictâ notâ excuſetur, neceſſum eſt de ipſa Arte nihil ſcire, licèt contrarium præſumat.

2 Unde quęſo: quis eſt hic, qui benè & totaliter Lullianam Artem didicit? & nedùm laudabimus eum omnes Lulliſtæ, verùm noſtrum puſillum diſcipulatum ſuo magno Magiſterio humillimè ſubjiciemus. Ingenuè enim fateor me indignum aſſumendi per os meum tam Sacram & Divinam Artem, quia non feci mirabilia, nec in ſcientia nec in virtutibus, quæ fecerunt in vita ſua quotquot ipſam Artem ali-

aliqualiter ſcivere, ut ſupra authenticis teſtimoniis eſt probatum. Quare dico, neminem Artem Magnam totaliter noviſſe, niſi B. Raymundum, & ſi fortè Deus voluit alii revelare; quod neſcimus; quod autem ſcimus eſt, neminem poſſe in veritate aſſerere, Artem Lullianam totaliter ſcitam, totalem Scientiam ſic illam ſcienti non tribuere. Hoc patet in B. Doctore Illuminato, qui per ſuam Artem docuit omnem Scientiam & Artem in multis Librorum millibus, ita ut ipſe ſolus per ſuam Doctrinam valeat formare & perficere Univerſitatem in omni Scientia & Arte omnibus numeris completam & abſolutam.

3 Et ſi aliquis miretur Viros cæteroquin eruditos ita Artem cœlitùs acceptam maledictis impetere, meminiſſe dignetur, optimo concertatori & aliis non paucis accidiſſe, quod Eſopi vulpeculę, quæ offendens vas vitreum oris anguſti optimo pulmento repletum, & non valens os immittere ad guſtandum incluſum, cœpit lingere ſuperficiem, & nil ſaporis percipiens, fuit ita offenſa, ut indignanter abierit dicendo & maledicendo, ibi nil boni & utilis eſſe; ſed, ſi potuiſſet roſtrum acuere & guſtare, ipſi nil meliùs ſapuiſſet.

4 Quare B. Raymundus Charitate motus erga ſuos adverſarios etiam ponit in maximo Libro Contemplationis ſpeciale Caput ad acuendum & ſubtiliandum ipſorum intellectum, ut poſsint guſtare, quod in pretioſo vaſe Artis Magnæ deliteſcit; & ego ſimiliter ipſos & omnes ſuadeo, nè velint eſſe ſicut illi, de quibus S. Cyrillus in Joan. cap. 21. ait: *Fatuis ſanè conſuetudo hæc eſt, ſemper enim ſublimiori Doctrinæ, quam ipſi non itelligunt, detrahere ſolent, cumque attendere magis deberent, & ſubtilitate rerum elevari, contra dejiciuntur, & durum appellant ſermonem, quem admirari deberent; non aliter igitur, quàm edentuli ſoleant, molliora enim eligunt alimenta, etiam ſi pejora ſint, ſolidiora verò ac meliora edulia magnopere vituperant, ægrotationem ſuam celare ſtudentes, mentis quoque acumine privati Scientiam abhorrere ſolent, quæ magno ſtudio magnâque operâ eſſet conquirenda.*

5 Videatur jam quid de hoc puncto ſentiant Inſignes Au-

Authores, qui de hac Arte qualemcumque noticiam habuere. R. Mag. Bernardus de Lavinheta Gallus Artium & Theologiæ Doctor in *Practica compendioſa Artis Raymundi Lulli . . . ad omnes Facultates* Lugduni impreſsâ, qui Liber eſt opus aureum & omni laude digniſsimum teſte ſapientiſsimo Salzinger; de Arte fol. 21. dicit: „ *eſſe utiliſsimam ex* „ *eo, quia longè doctior quis* „ *mediante hac Arte in uno an-* „ *no erit, quàm in duodecim* „ annis expertum eſt ſequen- „ do communem opinionem, „ idcirco auro comparari non „ debere. Etiam Marianus Accardus Netinus in Literis datis Juſtiniano Deodato 10. Kalendas Maii 1507. præfixis Libro Sententiarum Raymundi edito Venetiis eodem anno, de utilitate Artis ait: „ Cujus „ rei Petrus Deguinus media- „ tus, & Jacobus Januarius „ noſtri optimi Præceptoris im- „ mediatus Præceptor teſtes „ ſunt locupletatiſsimi; quo- „ rum prior trigeſimo ſeptimo „ ætatis ſuæ anno, cùm vix „ prima hauſiſſet elementa, „ remiſſo, ût ait, ſtudio ſep- „ tem menſibus D. Raymundi „ ſcriptis incubuit, cujus Ope- „ ra (etsi tota penè Italia „ verbo tum eſt experta) quan- „ tum vir ille præſtare potuit, „ præſeferunt: alter, cùm ſep- „ tem peregiſſet Luſtra à Li- „ teris penitùs alienus, nulli, „ ût in ſcriptis ejus eſt vide- „ re, eſt poſtponendus. Vide ſupra Privilegium, quod hic habuit docendi Artem in tota Hiſpania.

6 Tandem Em. Cardinalis Joannes Bona Illuſtris per ſuam Doctrinam & pietatem, in notitia Authorum, quos ponit circa finem ſuorum Operum impreſſ. 1694. in Litera R. dicit: Raymundi de Sabunde *Theologia Naturalis valde ingenioſa praxim continens Artis Magnæ Raymundi Lulli. Adrianus Turnebus dicebat hunc Librum eſſe quintam Eſſentiam Divi Thomæ, &c.*

7 Unde, omiſsis aliis plurimis teſtibus ad idem collimantibus, ût in 1. Tom., ex tribus allegatis, quibus ût expertis non minor fides eſt adhibenda, ſic formatur argumentum: ſi illi, qui aliqualiter Artem Magnam Lullianam didicere, per ipſam pauco tempore ſcientiam ſunt adepti, quæ aliter multo tempore non adquiritur, quid & quantum ſcientiæ habebit, qui benè & totaliter dictam Artem ſpecu-

lativè & practicè dedicerit? Et, ſi praxis Artis Magnæ Lulliaræ eſt quinta eſſentia Div. Thomæ; numquid quinta eſſentia D. Thomæ non continet aliquid ſcientię? Hoc neutiquam affirmabo, quia per Artem Magnam aliqualiter perſpicio in D. Thomæ 4. partium elementis magnam & veram ſcientiam contineri. Unde iterùm quæro: ſi praxis Artis Magnæ Lullianæ eſt quinta eſſentia D. Thomæ, quid erit quinta eſſentia hujus praxis? In veritate & ſerietate dico coram Deo, hanc quintam eſſentiam eſſe Artem Magnam Lullianam, quæ eſt quinta eſſentia omnium Scientiarum, & eſt intenſiſsimum centrum, unde ſpeciales lineæ omnium Artium & Scientiarum rectè promanant, & per omnem circumferentiam & vaſtiſſimam ſphæram ſpecialium & individualium ſcibilium extenduntur.

8 Hæc veritas in Naturæ ſpeculo demonſtrativè videtur; quia, ſi Deus poſuit naturalem Rectorem in univerſo, qui eſt quinta eſſentia regens 4. inferiores eſſentias elementales diffuſa per omnia elementata uſque ad infima individua; magis debuit ponere ſcientiam univerſaliſsimam, quæ ſit quinta eſſentia & Regina dirigens omnes inferiores ſcientias uſque ad ultimata ſcibilia per ſui diffuſionem in illa: ergo ut Deus non conveniat magis cum minori ordinatione nobilitate & perfectione, quàm cum majori, quod eſt impoſsibile, neceſſaria eſt dicta Scientia & Ars.

9 Et, ſicut quinta eſſentia, literaliter loquendo, eſt centrum æqualificans pacificans & concordans 4. eſſentias elementorum in omnibus elementatis per totum orbem diffuſis, ita ut omnia elementalia queant rectificari nobilitari curari & perfici per ſuam quintam eſſentiam; ita pariter, & adhuc altiùs eſt Methaphoricè intelligendum de Arte Magna Lulliana erga omnes ſcientias & ſcibilia. Unde legitimè & Mathematicè concluditur, quòd, ſicut qui tangit centrum, neceſſariò tangit in uno omnem multiplicitatem linearum ab ipſo egredientium; ſic ille, qui benè & totaliter Artem Magnam Lullianam attingeret, neceſſariò attingeret omnem ſcientiam ab hoc centro promanantem.

10 Demonſtrato noſtro aſſerto, placeat adhuc ingenuis ve-

veritatis amatoribus ulteriùs attendere; Beatus enim, qui legit & intelligit verba Metaphoræ hujus, & obſervat ea, quę in ea delineata & ſignificata ſunt; tempus enim prope eſt removendi modium de Lucerna, qua videntur multa in Philoſophia & Theologia, in Jure & Medicina, & in omni ſcientia, & commodiùs, ſi Lulliana Perſpicilia applicarentur; & ſimul diſcernitur cæcitas aliquorum, qui putantes Artem prædictam ſe totaliter inſpexiſſe, nil ſcientiæ nec utilitatis in ea viderunt. Et, licèt modico labore poſſet demonſtrari veritas omnium Authoritatum huc uſque in favorem Artis allegatarum, debui tamen me cohibere, quia ad oculum patebit in 2. P. hujus Libri, & nè nimìs immorarer in minutiis vix reſponſione dignis, quibus, non ſinè tædio, ſpeciatim reſpondetur ad ſatisfaciendum ignaris & in hac re minùs informatis; nihilominus in obſequium veritatis ponitur exemplum in uno ex minimis punctis ipſius Artis, quod eſt Litera B., quæ in Figura A. ſignificat Bonitatem, & hæc eſt minùs univerſalis quàm B., quia B. poteſt omnia ſignificare, & Bonitas per ſe ſolùm ſignificat quidquid eſt de linea ipſius Bonitatis.

11 Ratio autem quare literæ Alphabeti ponuntur in hac Arte eſt multiplex. *Prima* eſt, quia faciliùs ingrediuntur combinationem, quàm nomina. *Secunda*, quia intellectus celeriùs fertur de una litera in aliam in mutua illarum comparatione, quàm de una dictione in aliam. *Tertia*, quia breviùs omnia in Arte ſcribuntur per literas, quàm per nomina. *Quarta*, quià Ars per literas poteſt uni manifeſtari, & alteri occultari. Exempli gratia; ſi aliquis Magiſter in hac Arte vellet ſimul & ſemel docere quatuor Facultates, & daret lectionem & explicationem de B. Theologiæ, & ejus proprietatibus, Theologus intelligeret hoc in ſua facultate, ſed Philoſophus, quin illud perciperet, totum intelligeret de B. Philoſophiæ, & ſimiliter Juriſperitus de B. Juris, & Medicus de B. Medicinæ. Sed fortaſſe Anti-Lulliſtæ hoc irridentes altùm ridebunt; &, ſi caperent centrum Rhetoricæ Lullianæ, quod eſt Metaphora, non illa trivialis, qua dicimus prata rident, ſed naturalis, univerſalis, &c., ipſi

viderent, qualiter hac Metaphorâ uſus ſim ad faciliùs explicandam Artem Magnam per Metaphoram quintæ eſſentiæ, quod, qui intelligit, ſinè dubio mirabitur.

12 *Quinta* ratio eſt, quia ſub eâdem litera poſſunt plura nomina ſimul artificialiter ſinè confuſione ſignificari; ſicut in uno & eodem adamante naturaliter ſinè confuſione *frigiditas*, *ſiccitas*, *luciditas*, *duritiès*, *ponderoſitas*, & alia plura ſignificantur. Hoc Arcanum latuit Emendatores Artis Lullianæ, qui imaginariâ confuſione abſterriti, abjecto mirabili literarum uſu, ſingulis terminis peculiaria ſigna ſubſtituerunt, quibus Artem totaliter corrupere. *Sexta*, quia literæ ſunt indifferentes ad quævis nomina ſignificanda, non autem termini. *Septima*, quia in formandis demonſtrationibus, aſſumpto quolibet literarum numero, quotus nempe ad demonſtrationes faciendas requiritur, quælibet demonſtratio particularis, mediante Syſtemate univerſali harum literarum retento, eſt tranſmutabilis in mille alias particulares, quod unicum Arcanum nullo auro eſt æſtimabile.

13 *Octava*, quia literæ uberiùs, quàm nomina poſſunt Arti Memoriæ inſervire, quibus ſic uſus eſt Jeremias Propheta in Lib. Lam., ubi præfixo Aleph dominium & principatum ſignificanti, tali ſignificatione ductus ſic incedit: *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo: facta eſt quaſi vidua domina Gentium: princeps provinciarum facta eſt ſub tributo.* Hoc idem reſpectivè poſſet ſanguineis lacrymis deplorari de Arte Magna Lulliana, cùm ſit Aleph continens totum rationale Alphabetum, tamquam Domina & Princeps omnium literarum. Quomodo ſedet ſola? cum ſit Civitas de cœlo deſcendens plena ſapientiali theſauro ſufficienti ad prędominandum omni doctrinæ, quam tradidere Gentiles; utinam id non eſſet, quia illi, qui deberent eſſe ejus amici contra ſuam vocationem facti ſunt ei inimici, & in non levem ſui & plurimorum perniciem eam deliteſcere cogunt plorantem in nocte ignorantiæ mundo tam periculoſæ, eoquòd noluerit illam recipere ſub imaginariâ deformitate Crucis Libri Contempl., in qua ſunt A. S. T. V. X. Y. Z. ſufficientia ad ſubjiciendum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ditio-

tioni omnia Regna mundi.

14 Ad hæc, fateor, ferè invitus ſum ingreſſus, minimè tamen à propoſito digreſſus, fuere enim neceſſaria in anteceſſu, etiam, ut melius univerſalitas Artis perciperetur. Sit igitur exemplum in *Bonitate*, quæ eſt primum principium Figuræ A. ſignificatum per B. Hæc *Bonitas* eſt univerſalis intentionaliter tam Divinæ, quàm omni creatæ *Bonitati*; ſed realiter eſt univerſalis omni *Bonitati* creatæ generabili, quia omnes iſtæ Bonitates, ab ipſa per realem generationem, quæ eſt naturalis ſpecificatio & individuatio, derivantur. Dicta *Bonitas* ſic in Arte definitur: *Ens ratione cujus bonum agit bonum, & ſic bonum eſt eſſe, & malum eſt non eſſe.* Additum definitionis ſic explicatur: *Et ſic bonum eſt eſſe, &c.* bonum eſt quòd hoc ita ſit, quòd bonum agat bonum ratione *Bonitatis*, & malum eſt quòd maneat otioſum non faciendo bonum ratione illius, vel ſic: bonum eſt eſſe vel concretum proveniens à *Bonitate*, & malum eſt non eſſe proveniens à malitia.

15 Dicta definitio eſt univerſaliſsima nedùm ad definiendum omnia alia principia univerſalia Artis, verum etiam ad definiendas omnes Bonitates inferiores & omnes eſſentias rerum à ſuprema uſque ad infimam. V. g. ſi *Bonitas eſt ens ratione cujus bonum agit bonum*, Magnitudo, quæ eſt ſecundum principium Figuræ A., eſt ens ratione cujus magnum agit magnum, & ſic de cæteris principiis; & è converſo, ſi *Magnitudo eſt ens ratione cujus* Bonitas, Duratio & cætera principia *ſunt magna ambiens omnes extremitates eſſendi*; Bonitas eſt ens, ratione cujus Magnitudo Duratio & cætera principia ſunt bona ambiens omnes extremitates eſſendi; & ſic de cæteris. Similiter, ſi B. eſt ens, ratione cujus bonum agit bonum; Divinitas eſt ens, ratione cujus Divinum agit Divinum, & ſic de aliis eſſentiis tam in naturalibus, quàm in moralibus ſic: Aureitas eſt ens, ratione cujus aurum agit aurum; juſtia eſt ens, ratione cujus juſtum agit juſtum. Et ſpecificando: ſi B. eſt ens, ratione cujus bonum agit bonum; B. Divina eſt ens, ratione cujus bonum Divinum agit bonum Divinum; B. infinita (contra Arii doctrinam) eſt ens ratione cu-

cujus bonum Infinitum agit vel producit bonum Infinitum; B. Angelica eſt ens, ratione cujus bonus Angelus agit bonum Angelicum, non verò bonum Angelum; quia non habet genus, unde tale agat, ſicut bonum aurum, quod de bona metalleitate ſpecificata per ſuã bonam & veram aureitatem, agit bonum & verum aurum. Et ſimiliter omnia principia poſſunt definiri per definitionem cujuslibet, & quodlibet per omnium definitionem, quod in nulla alia Arte hactenus inventum eſt.

16 Visâ tantiſper univerſalitate definitionis, videatur nunc univerſalitas *Bonitatis* definitæ, & brevitatis causâ utâr notis Algebraicis ſic: iſtud B. eſt univerſale omni B. particulari, tum intentionaliter, tum realiter, ût dictum eſt; & ideo quidquid diſcurritur & verificatur de B. univerſali univerſaliter, debet pariformiter diſcurri & verificari de omni B. particulari & de omni bono particulariter. Sicut, quidquid verificatur de animali, etiam de omni inferiori ſub ipſo contento, ſalvâ differentiali proprietate, verificatur.

17 Addatur ipſi B. lumen *Differentiæ*, quæ eſt unum ex principiis Figuræ T., & eſt *id per quod* B. C. D. & cætera principia *ſunt rationes claræ & inconfuſæ*; & ſic *Differentia* intrans in B. facit quòd ipſum habeat bonificativum, bonificabile, & bonificare, quæ ſunt tria correlativa coeſſentialia & naturalia unius ſimplicis B. eſſentialis, quorum quolibet deficiente totum B. periret; nam correlativa ſunt ſimul naturâ, & præſertim intrinſeca & naturalia, quæ non poſſunt conſervari niſi in circulo & triangulo naturali, hoc eſt in unitate & trinitate. Quòd dicta tria correlativa ſint neceſſaria in B., patet; nam B. neceſſariò debet eſſe bonificativum in ſe, cùm per ſe ſit primum principium bonificandi; &, ſi in ſe eſt bonificativum, neceſſariò eſt in ſe bonificabile, aliter hoc eſſet fruſtra, & quia cuilibet activo neceſſarium eſt proprium paſsivum; &, ſi B. eſt in ſe & per ſe bonificativum & bonificabile, neceſſarium eſt ei intrinſecum bonificare procedens à bonificativo & bonificabili, aliter maneret intrinſecè & naturaliter vacuum & otioſum, nec poſſet operari ad extra, quia Pater Divinus per Verbum fecit omnes

nes imagines Divinæ Operationis tam intrinſecæ, quàm extrinſecæ, & nemo dat quod non habet.

18 Iſta tria correlativa Bonitatis prędicant illud *tivum*, *bile*, & *are* Lulliſtarum, quod R. P. Ludovicus Flandes in Explicatione Libri Chaos B. Raymundi vocat *celeberrimum*, & bene dicit, eſt etenim, taliter quòd, ſi unum ex his tribus deficeret, omnes eſſentiæ rerum & tota natura periret, & illa ſpernens perſequitur id quod ſequitur; nam quidquid tractet, de *tivo*, *bili*, & *are* tractat. Quod dictum eſt de *Bonitate* univerſali ad Differentiam univerſalem contractâ, pariformiter eſt dicendum de omni *Bonitate* & bono particulari circa ſua propria correlativa intrinſeca per propriam Differentiam diſtincta, & ſic, trinitatem naturalem in omni re differentia oſtendit.

19 Sed, quid inde fortè aliquis objiciet? plura, nè dicam omnia, inde poſſunt demonſtrari, ſi Bonitati omnia alia principia Artis & ſeptem Artium univerſalia inſtrumenta applicarentur; &, ſi non videntes aliquid ſcientiæ in tota Arte bene & totaliter inſpectâ, ſibi Lulliana Perſpicilia applicarent, in puncto hoc ſimplicis Bonitatis indiviſibili omnia cernenda viderent. Videatur ergo unum vel aliud, v. g. quomodo Divina Bonitas faciens parere omnes alias Bonitates, in ſe non ſit ſterilis nec vacua nec otioſa, cùm ſit una ſimpliciſsima Eſſentia habens tria correlativa coeſſentialia neceſſaria realiter diſtincta, ſcilicet bonificativum quod eſt Pater, bonificabile quod eſt Filius, & bonificare quod eſt Spiritus Sanctus. Veniat aliud Principium Figuræ T., quod eſt *Concordantia*, quæ Bonitatem ingrediens, facit quòd bonificativum, bile, & are concordent in eſſe unam ſimplicem Bonitatem, cum aliquali tamen compoſitione in Bonitate creata, in qua Concordantia quia eſt finita non eſt nisi unio; ita Concordantia poſita in Bonitate Divina facit quòd tria ipſius Bonitatis correlativa ſint una ſimpliciſsima Bonitas & Eſſentia ſinè omni compoſitione, quia illa Concordantia in Divina Bonitate eſt infinita unio; quæ propriè eſt identitas. Sicut etiam Bonitas ad bonificandum Magnitudinem & omnia alia principia recipit illa in

ſuo

ſuo intrinſeco & proprio bonificabili eſſentiali, in quo inceſſanter bonificat, ſic Divina Bonitas, quæ eſt Pater, ad bonificandum & Deificandum naturam humanam, illam aſſumpſit in ſuo intrinſeco & proprio paſsivo bonificabili Deificabili, quod eſt Filius, in quo inceſſanter Deificat.

20 Et in hoc relucet modus quo omnia agentia naturalia operantur ad intra & ad extra; nam ignis nullatenus poſſet ignificare, nisi in ſe ignificans, in ſuo intrinſeco ignificabili extrinſecum ignificabile reciperet. Similiter eſt in omni tam ſenſuali, quàm intellectuali potentiâ; quia memoria, intellectus & voluntas hominis nullatenus poſſent memorare, intelligere, & velle ſua objecta, nisi priùs eorum ſimilitudines in ſuis intrinſecis & eſſentialibus *bilibus*, in quibus intrinſeca *tiva* inceſſanter agunt per intrinſecum & eſſentiale *are*, reciperent; nec virtus viſiva poſſet videre colorata, nisi reciperet ſpecies ab ipſis immiſſas in ſuo viſibili intrinſeco, ubi celebratur viſio, & ſic de aliis; & totum hoc germinat ab illo ſemine cauſali Bonitatis univerſalis, quo videtur quàm neceſſaria ſit ſcientia de univerſalibus ad certam veritatum particularium ſcientiam.

21 In fine finali, ut omnes adhuc Philoſophiæ ignari, hujus veritatis certitudinem clariùs videant, apponam groſſum exemplum in aliquo particulari Grammaticæ artificialis, quod particulare ſit verbum *amo*: iſtud verbum particulare continet in ſe verbum univerſale; nullum enim particulare, in quacumque linea ſit, valet exiſtere ſinè ſuo univerſali: extrahatur nunc ab hoc particulari *amo amas amat* &c. verbum univerſale, & abſtractum eſt *o*, *as*, *at*, &c., quod, ſalva & immota differentia particulari, quæ eſt *am*, conjugatur per omnes modos, &c. Mutetur nunc differentia *am* in differentiam *dom* ſalvo univerſali *o*, *as*, *at*, &c., & quod erat *amo* erit *domo domas*, &c., quod eâdem facilitate conjugabitur, qua *o*, *as*, *at*, &c.; & ſimiliter de omnibus aliis differentiis particularibus additis verbo univerſali *o*, *as*, *at*, &c.; & ſic eâdem facilitate, qua quis conjugaret verbū univerſale *o*, *as*, *at*, &c. omnia verba particularia primę conjugationis cōjugabit.

Pla-

21 Placeat nunc illis, qui de barbarie in ſua latinitate noſtrum Illuminat. Doctorem taxare non verentur, obiter notare realem barbariem Ethnicorum Romanorum, quam ipſi tanto beneplacito & veneratione ſequuntur: *o*, *as*, *at*, &c. eſt genus, in quo omnia verba ſpecialia primæ conjugationis neceſſariò debent convenire in ſignificatione, terminatione, &c. ſecundùm leges rectæ rationis & naturæ; quare ergo *amo* & *domo* diſconveniunt in præterito & ſupino, & *vapulo* in ſignificatione, cùm in his juxta prædictam legem debeant neceſſariò convenire & concordare? Numquid valde egregiè aſſereretur quòd homo & leo debent diſconvenire in ratione animalis, & Petrus & Paulus in ratione hominis, quia aliquibus placuit ſic iſtam Logicam expolire? Hoc à linguarum expolitoribus maximè perpendi deberet, nè putantes expolire & perficere, contingat ipſas ſuâ perfectione antiquâ noviter expoliare.

22 In hoc apparet quanta facilitate omnia verba particularia primæ conjugationis conjugarentur, ſi omnia, prout debent, in ſuo genere univerſali convenirent; & ſimiliter de omnibus aliis particularibus in omni Grammatica eſt dicendum. Quod totum oſtendit illa Conditio univerſalis Artis, ſcilicet: *Differentia eſt major in Concordantia, quàm in contrarietate*, quam pluries vidi à non capientibus eam ore rotundo negari; & veritas ejus clarè videtur in omnibus; nam *Differentia* Divinarum Perſonarum eſt major in *Concordantia* Divinitatis, quàm eſſet, ſi in ipſa Divinitate eſſet poſsibilis *Contrarietas*. *Differentia* Humanitatis Chriſti, qua differt à Divinitate, eſt major in *Concordantia* Unionis hypoſtaticæ, quàm in *Contrarietate* talis Unionis. Differentiæ Animæ rationalis & humani corporis ſunt majores, nobiliores & perfectiores in *Concordantia* ſuæ unionis ſubſtantialis, ſive tertiæ entitatis ab utraque entitate ût causâ intrinſeca cauſatæ, quàm in *Contrarietate* talis unionis; & ideo Anima Beata talem deſiderat unionem. Etiam in moralibus; nam *Concordantiâ* res parvæ creſcunt, & *Contrarietate* res magnæ decreſcunt; quia *Concordantia* eſt cauſa generationis multiplicationis & emolumenti, & *Contrarietas* eſt cauſa totius oppoſiti.

23 Nec quiſquam terminum barbarum *Concordantia* in terminum comptum *Concordia* mutare præſumat; quia ſic Grammaticam non bonificabit; nam ſecundùm Grammaticam rationalem tanta differentia eſt inter *Concordantiam* & *Concordiam*, ſicut inter radicem & fructum arboris; & major differentia eſt inter *bonificare*, & *benefacere*, quàm inter ignificare & calefacere. Ergo ex dictis ſequitur, quòd major eſt *Differentia* omnium Grammaticarum particularium in *Concordantia* Grammaticæ univerſalis, quàm in *Contrarietate* ejuſdem.

24 Noſter igitur ſapientiſſimus Concertator noverit ex ungue Leonem; nam, ſi Bonitas Grammaticæ Lullianæ, quæ Artis Magnæ eſt unguiculus, valet omnes diſperſiones Iſraelis & Gentium, ſermocinio ſcientiali congregare; quid poterit Magnus Leo? non audacter nec temerè dico, ſed multis non levibus motivis ductus, per Artem hanc Magnam congregandas fore omnes oves rationales ſub uno ovili & uno Paſtore univerſali; nam non poſſum intelligere prædictam *Bonitatem* ad minorem finem elargitam eſſe univerſo à Divina Bonitate; ideoque ſic faciendum in fine finali credo.

CAPUT III.

QUOD ARS MAGNA LULLIANA DAT omnem notitiam pertinentem ad omnia objecta omnium & ſingularum Scientiarum.

1 PERGIT Feijoana Epiſtola dicens in 3. puncto de Arte Lulliana, quòd *non dat aliquam notitiam pertinentem ad objectum alicujus Scientiæ.* Licèt hujus opinionis falſitas ex prædictis plenè maneat demonſtrata; nihilominùs ad ipſam adhuc reſpondebitur tamquam ſi nil hucuſque in contra dictum fuiſſet.

2 Et primò authoritate Joannis Bonlabii, qui in Epiſtola proœmiali ad Lib. intit. *Blanquerna* impreſ. Valentiæ Anno 1521. poſt Elogia B. Raymun-

mundi ait : „ Si viderent Con-
„ templatorem majorem Li-
„ brum multùm commendatum
„ per ipſummet & per alios ,
„ qui continet totam Philoſo-
„ phiam & Theologiam ſe-
„ cundùm ordinem 4. Lib.
„ Magiſtri Senten. in 5. Libris
„ contentam per pulcherrimam
„ practicam Artis Contempla-
„ tionis dictæ in quacumque
„ materia : ſi viderent quin-
„ genta alia volumina Libro-
„ rum de ipſomet , quæ ſcimus
„ ipſum feciſſe , & tenuimus
„ magnam partem de illis com-
„ poſitis in diverſis materiis ,
„ maxima parte illorum ſcrip-
„ tis in tribus linguis... poſtea
„ finit dicere de Artibus par-
„ ticularibus , quas fecit in
„ qualibet Scientia irradiante
„ in illo divina Bonitate fonte
„ omnis Sapientiæ.

3 Unde infertur quòd , ſi B. Raymundus per ſuam Artem Librum continentem totam Philoſophiam & Theologiam perfecit (quod veriſimum eſt) , per ipſam Artem omnem notitiam pertinentem ad harum objecta præbuerit. Immò , ſi dictus liber bene introſpiciatur , clarè videbitur , Artem in ipſo notitiam omnem de omni objecto omnium ſcientiarum exhibere : quod ſignificatur per illa verba prædictæ authoritatis , ſcilicet *per pulcherrimam practicam Artis Contempl. dictæ in quacumque materia* ; nam dictus Liber eſt praxis Artis Magnæ extenſæ ad omnes Artes & Scientias , dantis de omni objecto ipſarum omnem deſiderabilem notitiam , ût patet in ipſo Libro. Deinde : ſi B. Raymundus per ſuam Artem univerſalem *fecit Artes particulares in qualibet Scientia* , bene per ipſam Artem omnem notitiam pertinentem ad quodlibet objectum cujuslibet Scientiæ dedit. Omnem notitiam dico partim explicitam , partim implicitam ; quia ad explicandum practicè quidquid in Arte continetur experimenta particularia facta uſque ad finem mundi non ſufficerent ; quo non obſtanti , imò maximè faventi , omnem dat notitiam ſufficientiſsimam ad plenè intelligenda objecta omnium & ſingularum ſcientiarum in omnibus pertinentibus ad ipſa , taliter ut cum iſta omnimoda notitia , poſsit Artiſta in practica interminabiliter extendi. Sicut , qui benè legere didicit , optimè ſcit legere omnes libros totius mundi , licèt hoc nequeat in toto tempore vitæ ſuæ.

4 Secundò audiatur Authoritas Viri toto orbe celeberrimi Adm. R. D. Doctor. Joannis Aubrii Abbatis noſtræ Dominæ de Aſſump. Conſiliarii & medici ordinarii Ludovici XIV. Regis Galliæ, cujus ſupra laudabilem mencionem fecimus, qui fol. 3. Comp. Ordin. adm. de Arte & Scientia B. Raymundi & ſuis cogitationibus ſic ait: „ Quæ erant vi„ lipenſæ per ignorantes mali„ tioſos, qui nihil horum in„ telligebant, quæ modo de„ ſiderantur per ſuos maximos „ inimicos, & per maximos „ Viros totius orbis; quia quã„ vis ſua alta lumina non ni„ ſi in ſeptem rebus conſiſtant, „ h. e. in *Sapientia*, *Intelli„ gentiâ*, *Doctrinâ*, *Scientiâ*, „ *Rationali*, *Eruditione*, & „ *Eloquentiâ*, quæ comprehen„ dunt totum; nihilominus, „ ut parumper ſe accommoda„ ret ignorantiæ, & nè ſubi„ tò videretur adeò ſingularis „ & extraordinarius, ſimulavit „ ſe ſcribere de quadam ſcien„ tia univerſali, quamvis non „ poſsit eſſe nisì una ſola, prout „ ipſemet affirmat, (intellige „ reſpectivè) quæ eſt cauſa, „ quòd maxima pars homi„ num, qui non poſſunt com„ prehendere ipſius myſteria „ occulta ſub cortice termino„ rum valde ſimplicium, ſe „ detinuerit in Rhetorica Lul„ liana, &c., quæ cùm ſit val„ de modica brancha *Doctri„ næ*, quatuor perſonæ, quæ „ poſsident veram Clavem, ſe „ firmant in *Sapientia*, quæ eſt „ cognitio cauſarum univerſa„ lium omnium rerum; in *In„ telligentia*, quæ tractat de „ Principiis naturalibus totius, „ quod eſt in mundo; in *Doc„ trina*, quæ continet Princi„ pia artificialia omnium re„ rum (in qua reperitur ex „ parte hoc, quod ignorantes „ appellant Encyclopediam „ Scientiarum) cum ordine ſep„ tuaginta duarum linguarum „ univerſi; in *Scientia*, quæ „ eſt reſolutio certa & infalli„ bilis quæſtionum & dubio„ rum, quæ poſſunt fieri in „ omnibus rebus naturalibus „ vel artificialibus, exiſtens re„ gula purè naturalis & libra „ omnis generis veritatum, &c. „ cùm ſit certum, quòd hic „ theſaurus occultus quondam „ manifeſtabitur, quando pla„ cebit Amato, quòd ſui fa„ ciant, illum cognoſci (quod „ erit quæſitum per totum „ mundum); in *Rationali*, quæ „ continet probas infallibiles „ hujus, quod Scientia reſol„ vit,

„ vit, imponendo ſilentium „ contradicentibus per pro- „ bam ducentarum demonſtra- „ tionum conſecutivè, certa- „ rum infallibilium & neceſſa- „ riarum, quibus nemo poteſt „ contradicere; in *Eruditione*, „ quæ ſequens *ordinem Ratio-* „ *nalis* refert, quidquid om- „ nes Authores ſcripſerunt de „ omnibus rebus, &c.; deni- „ que in *Eloquentia*, quæ eſt „ ſequela Eruditionis per diſ- „ curſus maximè mirabiles. „ Hactenus Abbas Aubrius.

5 Super cujus textum, quem de Gallico fideliter tranſtulit in Latinum meus ſapientiſsimus Magiſter Ivo Salzinger ait: „ ſi proin Doctor Il- „ lum. & Magiſter noſter tan- „ tus omni jure viſus eſt huic „ eximio Diſcipulo, (quòd vo- „ cet illum Magiſtrum *Sapien-* „ *tiæ*, Principem *Intelligentiæ*, „ &c. ût ſupra) qui (quan- „ tum ex ſuis Libris & ſupra- „ dicto textu deſumere potui) „ ſextam & ultimam partem „ tantùm Artis Lullianæ atti- „ git, & quintam magis no- „ bilem, multò minùs ſepti- „ mam omnes ſex includen- „ tem ipſi fuiſſe notam, nul- „ lum nobis reliquit veſtigium, „ quis me de peccato arguet, „ quòd altiùs efferam laudes „ maximi hujus Doctoris? qui „ quantum in ſingulo genere „ ſcibilis, ſcilicet tam natura- „ lis quàm ſupernaturalis, ſin- „ gulos Doctores tranſcendit, „ tantum per omnes Artes & „ Scientias ſimul in uno ho- „ mine in altiſsimo gradu adu- „ natas omnibus ſupereminet. Hucuſque Salzinger præſtantiſ- ſimus Lulliana in Arte Magiſter.

6 Ad quod ſuperaddendum nil habeo, niſi quod, ſi B. Raymundus per ſuam Artem Magnam in omni Arte & Scientia & in ſingulo genere ſcibilis ſupereminet; optimè dat dicta Ars omnem notitiam pertinentem ad omnia objecta omnium & ſingularum Scientiarum. Videatur etiam Authoritas ſuprapoſita præclariſsimi Magiſtri Jacobi Januarii Ordinis Ciſter. in Arte Metaph., & ſingulariter notentur verba hęc: *Ad intelligendum facillimè primum ſubjectum primæ Phil., & Objectum primæ Scientiæ, aliarumque ſubjecta ſcientiarum ipsâ poſteriorum, & ſciendum objectum formale primumque ſcibile, aliaque objecta ſcibilia ipſo poſteriora*, &c.

7 Prætermiſsis aliis plurimis authoritatibus noſtræ ſententiæ faventibus, rem ipſam cla-

clariùs intueamur ; & , ut paucis multa intelligantur , in unico objectorum ſcientiarum, ſcilicet in Deo Theologiæ objecto ſtatuatur exemplum; quo objecto per Artem examinato , videbitur notitia , quam Ars ipſa dat de omnibus aliis. Examen fiet per decem Regulas & Quæſtiones generales , quas in frontiſpicio ſui phabeti Ars Lulliana præſefert ; & vocantur Regulæ & Quæſtiones generales , quia formare quæſtiones de omni re ſimul & ſolvere docent.

DECEM REGULÆ GENERALES.

8 *PRIMA* eſt de *Poſsibilitate* , quæ vocatur *Utrum* 2. de *Quidditate* , quæ vocatur *Quid* 3. de *Materialitate* , quæ vocatur *De quo* 4. de *Formalitate* , quæ vocatur *Quare*. 5. de *Quantitate* , quæ vocatur , *Quantum*. 6. de *Qualitate* , quæ vocatur *Quale*. 7. de *Temporalitate* , quæ vocatur *Quando*. 8. de *Localitate* , quę vocatur *Ubi*. *Nona* de *Modalitate* , quæ vocatur *Quomodo*. *Decima* de *Inſtrumentalitate* , quę vocatur *Cum quo*.

PRIMA REGULA.

9 PER primam igitur Regulam & Quæſtionem *Utrum* , quęritur & demonſtratur *poſsibilitas* & exiſtentia cujuslibet rei , & hæc Regula tres habet ſpecies , ſcilicet affirmativam , dubitativam , & negativam. Quæritur ergo : Utrùm Deus ſit ? Fidelis habet affirmativam , Atheiſta negativam , & Tartarus v. g. eſt in dubitatione , quæ eſt actus confuſus ex affirmatione & negatione proveniens , & ſic eſt in æquilibrio ad neutram partem vergens , ut ſit capax inveſtigandi & inveniendi veritatem, quam fortiter deſiderat. Et ideo hic eſt maximè advertenda ratio , quare aliqui non poſſunt ſcire aliquam veritatem , quæ aliquando ſolet eſſe , quia tam fortiter ſuæ præconceptæ opinioni agglutinantur , ut nullatenus velint de ea dubitare , tamquam ſi eſſet de fide , imò poſitivè abhorrent contrariam opinionem ſinè intentione illam amplectendi , etiamſi ipſam veram eſſe ſcirent , & confi-

fitendi ſe in propria opinione erraſſe ; & ſic renuunt ſtatui in æquilibrio ad inveſtigationem & inventionem veritatis neceſſario , in quo ingenuè fateror , me etiam non ſemel erraſſe.

10 Eſt etiam advertendum, quòd , licèt omnes Fideles firmiter & ſinè dubio Deum eſſe credamus; poſſumus demonſtrare Atheiſtæ poſsibilitatem & exiſtentiam Dei , & omnia alia , quæ de ipſo credimus infidelibus , & Fidelibus dare intelligentiam de his , quæ credunt , quin perdatur meritum Fidei , imò ut exaltetur Fides & meritum per intelligentiam (ût ſupra tactum eſt) & amor Dei per cognitionem augeatur. Ideoque per ſupradicta de inveſtigatione non intelligatur , quòd Fidelis debeat eſſe dubius in Fide , cujus veritatem vult inveſtigare , nec certò ſciens in veritate ſcitâ ; quia his ſufficit ſupponere poſsibile eſſe talem veritatem poſſe vel non poſſe demonſtrari. His prælibatis quęritur ,

11 Quid debet facere dictus Tartarus , ut à dubii confuſione liberetur ? Examinare diligenter utra conveniat magis cum eſſe & veritate affirmativa , an negativa ? quod facilè fit per triangulos Figuræ T. ; ſed quia nunc cogor clariùs loqui , & hæc Regula eſt valde ſubtilis , dico , quòd concepto ſignificato hvjus nominis Deus : nempe Summo ente ſupremo bono ſuprema perfectione , &c. ; nam , probato hoc eſſe , demonſtratum manet eſſe Deum , fit inveſtigatio ſic ;

PRIMA DEMONSTRATIO.

12 SI Deus eſt , ſummum eſſe eſt ; nam Deus eſt ſummum eſſe vel ens , &, ſi Deus non eſt , ſua privatio eſt ſummum non eſſe , vel nil; ſed hoc contradictionem implicat : ergo impoſsibile eſt quòd Deus non ſit. Probatur minor : ſi ſummum eſſe eſt nil, res , quæ ſunt quantò magis aſcendunt de inferiori eſſe ad ſummum eſſe , tantò magis deſcendunt ad nil ; & quantò magis deſcendunt à ſummo eſſe , tantò magis aſcendunt ad eſſe , nam recedunt à nihilo , & accedunt ad id , quod magis diſtat à nihilo , quod eſt majus eſſe. Et ſic res quantò altius & majus eſſe habent , tanto

in-

infimiores & minores ſunt; nam *Minoritas eſt ens prope nil*; & ſic *addendo*: majus eſſe rerum eſt minus, & minus eſſe ipſarum eſt majus; & *ſubtrahendo*: eſſe rerum eſt non eſſe, & non eſſe ipſarum eſt eſſe, in quo eſt contradictio manifeſta; quia, ſi majus eſſe eſt minus eſſe, ſimul eſt & non eſt majus eſſe; eſt majus, ût ſupponitur, & non eſt majus, quia eſt minus; &, ſi eſſe eſt non eſſe, res ſimul ſunt & non ſunt, quod falſum & impoſsibile eſt.

13 Declaratur magìs: ſi bonum eſt eſſe, & malum eſt non eſſe, ût dictum eſt ſupra in definitione Bonitatis, ſequitur per infallibilem Regulam de *Comparatione*, quòd magnum bonum eſt magnum eſſe, majus bonum eſt majus eſſe, & maximum bonum eſt maximum eſſe; ſed, ſi ſummum eſſe nil eſt, ſequitur totum dictæ veritatis contrarium, quod eſt impoſsibile, ût per ſe patet: ergo neceſsarium eſt, quòd ſummum eſſe ſit, quod eſt Deus benedictus, qui ſic nobis ſe manifeſtat. Minor patet; nam, ſi ſummum eſſe nil eſt, maximum bonum, quod eſt maximum eſſe eſt minimum eſſe, quia eſt nil, vel proximum nihilo, & majus bonum eſt minus eſſe, & magnum bonum eſt parvum eſſe; &, ſi malum eſt non eſſe, maximum bonum quia habet maximè de non eſſe cùm ſit minimum eſſe, habet maximè de malo, & ſic eſt maximum malum, & majus bonum eſt majus malum, & magnum bonum eſt magnum malum: &, ſi magnum bonum eſt magnum malum, ſequitur ſimpliciter, quòd bonum ſit malum & è converſo, & eſſe ſit non eſſe & è converſo, quæ omnia ſunt impoſsibilia: ergo neceſſarium eſt ſummum eſſe, quod eſt Deus talem impoſsibilitatem de medio tollens.

SECUNDA DEMONSTRATIO.

14 SENSUALITER videmus, & inteilectualiter intelligimus, quòd res quantò magis aſcendunt ad eſſe, tantò perfectiores ſunt, & quantò magìs deſcendunt ab eſſe, tantò imperfectiores fiunt; ſicut natura terræ & aliorum elementorum, quæ naturaliter ſpecificatur in plantam, quan-

quando in eam convertitur, in qua unum perfectionis gradum ſuper naturam elementalem aſcendit; &, ſi de planta in animalis naturam convertatur, alium naturalis perfectionis gradum aſcendit; &, ſi de animali in naturam & corporis humani ſubſtantiam convertatur, ad ſupremum perfectionis gradum naturæ corporeę naturaliter aſcendit; quia jam in ſupremo fine ſuæ naturalis perfectionis exiſtit; ſed totum hoc eſſet falſum, ſi ſuprema perfectio, quæ eſt Deus, nihil eſſet: ergo, ut ſit verum ſicut videmus & intelligimus eſſe, neceſſaria eſt ſuprema Perfectio, ad quam omnes inferiores perfectiones mediante natura humana aſcendunt, ut in ipſa perfectiſsimè quieſcant: in quo aſcenſu nedùm neceſsitas Divinæ Exiſtentiæ, verùm & Divinæ Incarnationis elucet.

TERTIA DEMONSTRATIO.

15 ID, per quod noſtra memoria, intellectus & voluntas magìs implentur, magìs convenit cum eſſe & veritate, quàm id per quod vacuæ iſtæ potentiæ manent; ſed memoria & intellectus & voluntas noſtra memorando, intelligendo, & amando ſummum eſſe, ſupremum bonum & infinitam perfectionem magìs implentur, quàm privationem ejus objectando: ergo poſitio ſummi eſſe boni & perfectionis ſupremæ magìs convenit cum eſſe & veritate, & privatio ejus magìs cum non eſſe & falſitate concordat; ſed eſſe & veritas pertinent ad affimationem, & non eſſe & falſitas ad negationem: ergo de quæſtione affirmativa eſt tenenda; quia, cùm ſit evidenter impoſsibile, quòd vas vacuum magìs impleatur per nihil, quàm per eſſe, neceſſarium eſt ſummum eſſe, eſſe in eſſe, per quod experimentaliter ſcimus noſtræ animæ potentias impleri, & per conſiderationem privationis ejus manere intolerabiliter vacuas.

ULTIMA DEMONSTRATIO.

16 TANDEM: ſi poſitio ſummi eſſe eſt non eſſe & nihil, privatio ejus eſt eſſe & aliquid, quia eſſe &

non eſſe, poſitio & privatio directè immediatè & contradictoriè opponuntur, taliter quòd, ſi alterum contradictoriorum eſt in eſſe, alterum eſt in non eſſe, & ſi unum eſt nihil, alterum neceſſariò eſt aliquid; ſicut, quia poſitio ignorantiæ in homine eſt nihil, ejus privatio eſt aliquid, ſcilicet ſcientia, & ſic privatio impediens & impoſsibilitans poſitionem ſummi eſſe, nè veniat ad eſſe, & ut maneat nil, neceſſariò debet eſſe aliquod eſſe; quia nil per nil impediri nequit, ſed privatio ſummi eſſe debet eſſe ſumma, ut ſufficiat ad impediendum poſitionem ejus: ergo talis privatio eſt ſummum eſſe; deinde eſt nil, quia privatio ipſius eſſe neceſſariò eſt nil, cùm eſſe non privetur immediatè per eſſe: ergo privatio ſummi eſſe ſimul eſt & non eſt ſummum eſſe, & conſequenter ſumma contradictio: ergo poſitio ſummi eſſe, quod eſt Deus ſummè neceſſaria eſt.

17 Videatur clariùs in ſubjecto realiter ſupponente: ſi eſſet privatio ſummi & infiniti eſſe, quod eſt Deus, totus mundus talem privationem ſuſtinere nequiret; quia totus mundus non eſt ſubjectum ſummum & infinitum, nec infinitæ poſitionis capax, quia ſic per ſe & ſimpliciter Deus eſſet, quod eſt impoſsibile; ſicut, quia homo infinitæ ſcientiæ incapax eſt, etiam eſt incapax infinitæ ignorantiæ, quę talis ſcientiæ eſt privatio; & ſic de cæteris poſitivis & privativis: ergo impoſsibilis eſt privatio ſummi & infiniti eſſe in toto mundo: ergo neceſſaria eſt poſitio ejus in toto mundo & extra; & conſequenter Deus neceſſarius eſt.

18 Similiter, imò & meliùs, meo videri, poſſet quicumque Magiſter in Arte per iſtam Regulam, poſsibilitatem & neceſsitatem exiſtentiæ omnium rerum, quæ debent complere opus Dei, quod eſt univerſum, demonſtrare; quia, ſi alicujus rei defectus argueret vel ſignificaret defectum perfectionis Divinæ poteſtatis, eſſet impoſsibilis, & ſic contrarium, ſcilicet perfectio complens vacuum talis defectûs, eſſet neceſſaria, quod facile demonſtrat Figura T. intrans in Figuram A. & applicata huic primæ Regulæ *Utrum*. Nam illud, quod ponit magis de bonitate, magnitudine, &c. in opere Dei, infallibiliter debet eſſe, & illud, quod, ſi

eſ-

eſſet privaret talem majoritatem, nullatenus poteſt eſſe; ſed, ſi non eſſent Angeli, homines, imò & dæmones & peccatores, pœna & Gloria, &c. poneretur privatio majoris bonitatis, &c.; nam, ſi non fuiſſent dæmones & peccatores, quomodo Chriſtus fuiſſet paſſus tot injurias, vilipendia, &c.? &, ſi hæc non fuiſſet paſſus, quomodo haberet de Juſtitia maximam gloriam correſpondentem merito talis ac tantæ patientiæ? &, ſi non eſſet pœna damnatorum, quomodo gloria Beatorum magis eluceſceret? & quomodo hi magis cognoſcerent obligationem quam habent erga Divinam Miſericordiam?

19 Adhuc clariùs videtur in hoc mundo, ubi, ſi omnes ſæculares eſſent Reges, nullus eſſet Rex, & nullus poſſet malos punire; &, ſi omnes Eccleſiaſtici eſſent ſummi Pontifices, nullus eſſet ſummus; &, ſi omnes homines eſſent ſancti, & non eſſet aliqua tentatio per quid contrarietatis exercerentur? Neceſſe ergo eſt ut veniant ſcandala & alia mala, ut bonum magis augeatur; nam malum eſt propter bonum & ipſi famulatur, & non è converſo. Et ſic in præſenti materia, quomodo Ars Lulliana fuiſſet tam examinata & approbata, ſi non fuiſſet tot contradictiones paſſa? Ingenuè fateor de me quòd plus boni attulit mihi, ſaltem coram Deo, hæc contradictio, quàm ſi manſiſſem in pace quietus. Ideo laborem ad alias Regulas protrahere libet.

SECUNDA REGULA.

1 VOcatur *Quid*, per quam inveſtigatur quidditas rei, cujus poſsibilitas & exiſtentia jam eſt inventa per primam, & quatuor habet ſpecies, ſcilicet *quid eſt res in ſe*, *quid habet in ſe*, *quid eſt in alio*, *quid habet in alio*?

PRIMA SPECIES.

2 PER primam ſpeciem quæritur, quid eſt Deus in ſe? & reſpondetur, quòd ipſe eſt eſſe ſuæ Divinitatis;

& ſimiliter eſt dicendum de omni ente creato v. g. Angelus eſt eſſe ſuæ Angeleitatis, homo eſt eſſe ſuæ humanitatis. Et magis propria eſt iſta definitio homini quàm *animal rationale*, quia per eam differt ab omni eo, quod non eſt homo, & per *rationale* convenit cum Angelo, à quo debet differre; & ſic de cæteris entibus, cum hac tamen differentia, quòd Deus non eſt eſſe realiter diſtinctum à ſua Divinitate, at omne aliud eſſe eſt realiter diſtinctum à ſua eſſentia, quia cauſatur ab illa; ſicut eſſe hominis, quod eſt tertia entitas cauſata à prima entitate, quæ eſt anima rationalis, & à ſecunda, quæ eſt corpus, quę duæ entitates ſunt ſimul tota humanitas, tota eſſentia, & totalis cauſa intrinſeca humani eſſe, quod per corruptionem ſubſtantialem deſtruitur quando moritur homo, remanentibus eſſentiis primæ & ſecundæ entitatis.

SECUNDA SPECIES.

3 PER ſecundam ſpeciem quæritur, quid habet Deus in ſe? & reſpondetur, quòd habet in ſe Deificativum, Deificabile, & Deificare; & iſta ſunt tria correlativa conſubſtantialia realiter diſtincta, ſinè quibus Deus eſſet otioſus & vacuus; nam impoſsibilis eſt operatio intrinſeca naturalis & ſubſtantialis ſinè operativo, operabili, & operari ſubſtantialibus; & ſic Deificativum eſt Pater, Deificabile eſt Filius, & Deificare eſt Spiritus Sanctus. Vel ſic: Deificativum eſt agens vel actio, *bile* eſt patiens vel paſſio, & *are* eſt agere vel actus ab utroque procedens. Adhuc breviùs: *tivum* eſt potentia naturalis, *bile* eſt ſuum objectum proprium & naturale, & *are* eſt notitia, ſive nexus, vel fluxus & refluxus utriuſque.

4 Similiter eſt intelligendum in omni ente creato ſubſtantiali, quod ſubſiſtere non valet ſinè tivo, bili, & are; cum hac tamen differentia, quòd in tivo, bili, & are Divinis eſt ſola æqualitas arithmetica, h. e. ſinè majoritate & minoritate, & in tivis, bilibus, & are creatis eſt ęqualitàs geometrica ſive proportionalis, quæ cum majoritate & minoritate exiſtit; v. g. in Angelo eſt Ange-

gelificativum, quod eſt activum ſive forma, bile, quod eſt paſſivum coeſſentiale ſive materia ſpiritualis, quæ vocatur Angelica materia, quia eſt minor ſua formâ, & are, quod eſt agere eſſentiale, ſive actus Angelicus ab activo & paſſivo procedens; ſive ſubſtantia à materia & forma Angeli emanata; quia omnis ſubſtantia creata eſt tertium punctum ſubſiſtens in duobus, à quibus emanat. Et ſic de ſimilibus, in quo relucet quomodo unitas in trinitate & trinitas in unitate omnium creaturarum ſupremam Dei Unitatem & Trinitatem repræſentet, quæ æqualiter in omnibns illis ſuam imaginem impreſsit.

TERTIA SPECIES.

5 PER tertiam ſpeciem Regulæ *Quid*, quæritur, quid eſt Deus in alio? & reſpondetur, quòd Deus Pater eſt generans in ſuo Filio, & Pater & Filius in ſuo Sancto Spiritu ſunt unicum ſpirans, quia tantum uniuntur in ſua activa ſpiratione, quòd in ipſa identificentur. Deinde Deus in natura humana Chriſti eſt ęqualiſsimè per omnia ſua attributa Deificans. Tandem in mundo eſt creans & conſervans, in gloria eſt glorificans, in inferno eſt puniens, &c. Similiter ſuo modo eſt diſcurrendum in aliis objectis.

6 Angelus enim in Deo eſt totus fixus immediatè recolendo, intelligendo, & diligendo æqualiter illud ſummum & æquale recolibile intelligibile & diligibile, ſe ipſum & creaturas inæqualiter, & idem facit in ſe ipſo & in aliis creaturis per omnem modum; etiam Angelificativum Angeli eſt Angelificans eſſentialiter in ſuo proprio & coeſſentiali Angelificabili, & tivum & bile Angelica ſunt influentia inceſſanter Angelificare ſinè contrarietate, ut ipſum eſſe ſive ſubſtantia Angelica ſubſiſtat ſemper incorruptibilis & perſeveret. Angelus etiam ſuperior in inferiori eſt loquens revelans & Divina ſecreta manifeſtans, & in mundo eſt fungens Divinis & ſuperiorum legationibus, dirigens conſulens docens cuſtodiens & defendens homines & omnia opera Dei ab inſultibus malignorum ſpirituum, &c.

PER

QUARTA SPECIES.

7 PER quartam ſpeciem Regulæ *Quid*, quæritur, quid habet Deus in alio? & reſpondetur, quòd Deus Pater in ſuo Filio habet unam actionem, & aliam in ſuo Sancto Spiritu, & Filius in Patre habet unam paſsionem, & in Sancto Spiritu habet unam actionem, & Spiritus Sanctus in Patre & Filio habet paſsionem; &, cùm actio & paſsio in Deo ſint infinitè æquales, ideo una Divina Perſona non habet plus nec minus in alia, quàm alia in illa, quod non eſſet ita, ſi Spiritus Sanctus paſsionem in Filio ſicut in Patre non haberet. Deus etiam in Chriſti Humanitate habet eſſe hominem, memorare, intelligere & amare humanitùs, & in ipſa habuit pati mori redimere, &c., & in ſua Anima rationali habet glorificare omnes ſpiritus beatos, & incorpore omnia corpora Beatorum, quæ beari nequirent, nisì plenitudo Divinitatis corporaliter in Chriſto inhabitaret; & ideo Deus in Humanitate ſibi appropriata habet finem ſupremum creatum omnis creaturæ, & ſupremam quietem, quam divinæ Perfectiones ad extra habere poſſunt.

8 Similiter Angelificativum habet unam actionem in ſuo proprio & coeſſentiali Angelificabili, & aliam in ſuo Angelificare, & Angelificabile habet unam paſsionem in ſuo tivo, & unam actionem in ſuo are, & Angelificare duplicem paſsionem in illis habet. Angelus etiam in Deo beatitudinem & paſsionem habet, quæ ei ſalus & perfectio eſt; in aliis Angelis & beatis animabus habet totidem glorias, quotidiem ſunt ipſi ſpiritus & Animæ juſtorum; in viatoribus habet dominium, poteſtatem, &c., & in corpore aſſumpto varietatem actionum, &c. Proportionatè de aliis omnibus eſt diſcurrendum; in quo videtur, hanc Regulam eſſe fontem originem & radicem omnium definitionum, per quam ſolam valent omnia tantifariam definiri, quantifariam definibilia ſunt.

REGU-

TERTIA REGULA.

1 REGULA hæc, quæ eſt de Materialitate ſive naturalitate generali, de qua ſunt ſpecialia, vocatur *De quo*, & tres habet ſpecies; prima eſt de origine rerum, ſecunda de conſtitutione ipſarum, & tertia de poſſeſsione & dominio.

PRIMA SPECIES.

2 PER primam igitur ſpeciem Regulæ *De quo*, quæritur, de quo eſt Deus? & reſpondetur, Deum abſolutè de ſe ipſo eſſe; quia de alio non trahit originem, cùm ipſe ſit primum omnium principiorum principium; & Deus Pater eſt de ſe ipſo, & Deus Filius eſt de Deo Patre, & Deus Sanctus Spiritus eſt de utroque; nam Pater eſt principium principians & non principiatum, Filius eſt principium principiatum & principians, & Spiritus Sanctus eſt principium principiatum & non principians, & iſta tria principia eſſentialiter ſunt unum principium abſolutum omnium principiativum.

3 Similiter Angelus eſt de ſe ipſo, quia non habet principium generale de quo naturaliter generetur, cùm à ſolo Deo de nihilo efficiatur; & Angelificativum eſt de ſe ipſo, Angelificabile eſt de illo; & Angelificare eſt de utroque; nam Angelificativum eſt principium ſolùm principians reſpectu ſui bilis & are, & Angelificabile eſt principium principiatum & principians, & Angelificare eſt principium ſolùm principiatum, & iſta ſunt unus Angelus perfectus & abſolutus.

4 Proportionatè eſt dicendum de omnibus entibus ſubſtantialibus, in quo videtur quomodo totum non diſtinguatur ab omnibus ſuis partibus ex quibus ſimul integratur; quia tria ſunt unum, & unum eſt tria ad ſimilitudinem Dei Unius & Trini. Sed in natura corporea omnia principiata ſunt per naturalem generationem de ſuis primis principiis generalibus & univerſalibus, quæ ſola non fiunt ex aliis neque ex alterutris, quia fuere immediatè

tè creata à Deo ex nihilo, & omnia ex illis fiunt; ſicut igneitas, aëreitas, aqueitas, & terreitas, quæ ſunt quatuor eſſentię ſimplices & radices totius naturæ, fuerunt factæ de generali Bonitate, Magnitudine, Duratione & cæteris principiis Figurarum A. & T., quæ ſunt principia Artis Lullianæ, & de trinitate iſtorum principiorum facta fuit quaternitas dictarum eſſentiarum ſic: de bonificativo Bonitatis, de magnificativo Magnitudinis, de durificativo Durationis, & de aliis tivis omnium principiorum factum eſt ignificativum igneitatis; & de bonificabili Boniratis, magnificabili Magnitudinis, durificabili Durationis, & de omnibus aliis bilibus ipſorum principiorum factum eſt ignificabile ipſius igneitatis; & de bonificare Bonitatis, magnificare Magnitudinis, durificare Durationis, & de omni alio are principiorum factum eſt ignificare ipſius igneitatis: ſimiliter tivum, bile, & are aëreitatis, aqueitatis, & terreitatis fuere facta ex omnibus tivis, bilibus, & are ipſorum principiorum.

5 Et de iſto quadrangulo eſſentiarum factus eſt univerſalis triangulus ſic: ex ignificativo, aëreificativo, aqueificativo, & terreificativo facta eſt forma prima et univerſalis; & ex ignificabili & tribus aliis bilibus facta eſt materia prima & univerſalis; et ex ignificare & aliis tribus are factum eſt totum primum et univerſale, ſive prima ſubſtantia quæ eſt primum chaos in quo omnia quæ ſunt in toto mundo ſunt ſeminata, & Deus benedictus ſic creans omnia ſimul de iſto primo gradu chaos fecit primum hominem, primum leonem, primam aquilam & omnia alia prima agentia naturalia, quæ poſuit in ſecundo gradu ipſius chaos dando omnibus virtutem accipiendi influentiam à primo gradu, & ſpecificandi illam in tertium gradum ipſius chaos in conſervatione & multiplicatione omnium ſpecierum ſucceſsivè uſque ad finem mundi.

6 Et, quia ad talem multiplicationem eſt neceſſaria quaternitas, nam trinitas ſinè quaternitate eſt incorruptibilis in omni creatura facta ex nihilo; ideo ex primo chaos profluunt quatuor elementa ſimplicia (dicuntur ſimplicia reſpectu componendorum ab ipſis, licèt deſcendant ex multis compoſitionibus jam à prima

ma Bonitate, quæ cùm ſit principium ſimpliciſsimum, non eſt ſine omni compoſitione, quia ſola Divina ſimplicitas hoc gaudet privilegio), & ex elementis ſimplicibus ad invicem mixtis ſunt quatuor elementa compoſita, quæ contrariantur ad corrumpendum, & concordant ad generandũ; & de his ſunt omnia elementata.

7 Et, cùm nullum reale naturale & particulare ſinè ſuo reali univerſali exiſtère valeat; ideo elementata ſive mixta à principio uſque ad finem includunt omnia elementa cum omnibus eorum incluſis formaliter, materialiter & ſubſtantialiter, quæ manent in ipſis mixtis non ſub forma & figura elementi, ſed ſub ſpecie minerali, vegetali, & animali. Quare eſt aliqualiter advertendum, quòd iſta Regula non eſt de pura materialitate, ſed de totalitate generali, vel de genere totali, de quo res ſpecialiter fiunt, & vocatur more Philoſophico materialitas, ſicut aurum & argentum dicitur materia, de qua eſt pecunia, licèt non ſit pura materia; ſic ſolet etiam vocari materia omne id, de quo aliquid fit.

SECUNDA SPECIES.

8 PER ſecundam ſpeciem Regulæ *De quo*, quæritur, de quo eſt Deus? & reſpondetur, quòd eſt de ſua Deificativitate, Deificabilitate & de ſuo Deificare; etiam eſt Deus de ſua Divina Bonitate Magnitudine Æternitate & cæterisDignitatibus. Similiter Angelus eſt de ſua Angelificativitate, bilitate, & de ſuo are, eſt etiam de ſua forma & materia ſpecificis, & de Bonitate, Magnitudine, Duratione, & cæteris principiis Angelicis; & ſic de aliis, cum hac tamen differentia, quòd inter Divina conſtitutiva, (ſic loquendo, & altiùs intelligendo) & ipſum Deum nulla eſt diſtinctio in re, etiam inter tria conſtitutiva Angelica (ſic loquendo) & ipſum Angelum nulla eſt realis diſtinctio, ſed inter conſtitutiva formalia & materialia omnium creaturarum, & conſtituta, eſt diſtinctio in re, ût dictum eſt ſupra; & ideo cum improprietate terminorum dicitur, eſſe in Deo conſtitutiva.

TERTIA SPECIES.

9 PER tertiam ſpeciem Regulæ *De quo* ſignificantem poſſeſsionem & dominium, quæritur, Deus cujus eſt? & reſpondetur, quòd nullius eſt, quia nulla creatura habet dominium ſupra ipſum, & ipſe eſt omnium Dominus, quare omnia ipſius ſunt. Sed omnes creaturæ corporeæ ſunt hominis, & omnes homines & Angeli ſunt Beatiſsimæ Virginis & Matris Dei Mariæ, & ipſa cum illis eſt Chriſti, & Chriſtus eſt ſolius Dei, quod ſignificavit Regius Vates dicens: *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis.* Etiam quælibet pars eſt ſui totius, cùm totum ſit dominus omnium ſuarum partium, quas poſsidet; & ideo homo facit quod vult de ſua anima rationali, & de ſuo corpore, & anima facit quod vult de ſua memoria, intellectu & voluntate, & de omnibus ſenſibus ſpiritualibus & corporalibus, & ſic de cæteris.

QUARTA REGULA.

1 REGULA hæc eſt de formalitate, quæ non intelligitur de pura forma, ſed de totalitate eſſentiali, & naturali, per quam res formantur & totaliter ſunt in ſe ipſis, ut exiſtant id quod ſunt & agant quod debent; & vocatur *Quare*, & duas habet ſpecies, ſcilicet *Quare* eſt res formaliter, & *Quare* eſt finaliter; et ſic prima ſpecies exiſtentiam, et ſecunda agentiam rei attendit.

PRIMA SPECIES.

2 PER primam igitur ſpeciem quæritur, quare eſt Deus? et reſpondetur, quòd Deus eſt formaliter per ſuam Divinitatem, et cùm Divinitas, et quidquid in ea eſt cum ipſo Deo idem ſint; ideo Deus per ſe ipſum eſt formaliter quidquid eſt et exiſtit. Et Deus Pater eſt formaliter per ſuam Paternitatem, et ſic de Filio et Sancto Spiritu. Deus etiam eſt formaliter Pater infinitè perfectus per ſuam Paternitatem in-

ininfinitè perfectam, et eſt formaliter Filius infinitè perfectus per ſuam Filiationem infinitè perfectam, et eſt formaliter Sanctus Spiritus infinitè perfectus per ſuam ſpirationem paſsivam infinitè perfectam; nam impoſsibile eſt aliquid in Deo, ſive abſolutum, ſive relativum, ſive commune, ſive proprium, quòd non ſit infinitè perfectum & infinita perfectio; nam in Deo, ût dictum eſt, concretum & abſtractum idem ſunt.

3 Imò communis perfectio infinita in Deo eſt impoſsibilis ſinè propriis & particularibus perfectionibus infinitis; nam communitas de particularibus non perfectis non eſt perfecta ſimpliciter; &, ſi nullus particularis eſt perfectus, nõ eſt perfecta adhuc ſecundùm quid, ut in nebulonum ſocietate pateſcit. Et, ſi perfectio propria ut eſſet infinita deberet communicari, jam non eſſet perfectio, ſed confuſio & defectus, ût patet in ipſo Patre Divino, in quo Paternitas eſt infinita claritas, quia infinitè diſtincta à Filiatione & paſsiva Spiratione; &, ſi communicaretur Filio & Spiritui Sancto, jam eſſet infinitè confuſa, quia Filius eſſet Pater, & S. Spiritus etiam eſſet Pater, & è converſo in omnibus tribus, ſi Filiatio & paſsiva Spiratio etiam eſſet communis; & ſic infinita claritas & Divinarum Perſonarum diſtinctio tolleretur; & ideo Paternitas, quæ in Patre eſt infinita perfectio, in Filio & Sancto Spiritu eſſet infinitus defectus; nam corporaliter videmus ſignum hujus in perfectionibus propriis, quæ aliis communicatæ fierent defectus; ſint in exemplum, licèt groſſum (& non deſit venia verbo) cornua, quę in capite bovis ſunt pulchra naturæ perfectio, & in capite hominis eſſent valde defectuoſa deformitas; & ideo Paternitas eſt infinita perfectio in Patre, quia manet propria in ipſo, & æqualiter eſt de Filiatione, & paſsiva Spiratione.

4 Et Divina communitas eſt infinitè perfecta, quia eſt de particularibus infinitè perfectis; quin etiam, ſi Divina Paternitas per ſe ipſam formaliter eſt infinitè bona magna æterna, & quidquid eſt per omnia alia attributa Divina, quæ omnia ſunt Dei infinitæ perfectiones; neceſſarium eſt, quòd per ſe ipſam formaliter ſit infinitè perfecta, & ſic æqualiter de Filiatione & paſ-

ſiva Spiratione. Etiam, cùm diſtinctio in Deo ſit perfectio, ſequitur, quòd diſtinctio infinita eſt infinita perfectio, & infinitè diſtinctum eſt infinitè perfectum: ergo, cum Divina Paternitas ſit infinitè diſtincta à Filiatione & paſsiva ſpiratione, & è converſo, omnes tres relationes ex hoc ſolo jam ſunt infinitè perfectæ. Sed, ſi præſcindantur Perſonalitates ſive relationes à Divina Eſſentia, jam ex uno latere manet hæc, & ex alio latere manent illæ, & ſic habetur Divina quaternitas, quæ, cùm ſit ex omni latere impoſsibilis, non eſt mirũ, ex hoc impoſsibili plura alia impoſsibilia ſequi.

5 Eſt etiam Deus formaliter bonus per ſuam Bonitatem, & quia ſua Bonitas eſt, & quia ipſe eſt ſua Bonitas, & ſic de aliis attributis. Deus etiam formaliter eſt, quia ſua attributa eſſentialia convertuntur in eodem numero, v. g. Divina Bonitas eſt Divina Magnitudo, & è converſo, & ſic de aliis; Divina Bonitas eſt omnia attributa, & è converſo, & ſic de aliis; & ideo Deus formaliter eſt bonus per omnia ſua attributa, aliter non eſſet totus bonus & totus Bonitas per totam ſuam Eſſentiam, & ſic de aliis; & hoc eſt Deum eſſe bonum magnum, &c., per eſſentiam. Et Deus formaliter eſt, quia omnia ſua attributa habent infinitos actus; &, quia omnia Divina attributa ſunt una ſimpliciſsima Eſſentia Divina, omnes actus ipſorum ſunt unus ſimpliciſsimus actus. Plurima Poſſent hìc de Divina Eſſentia dici, quæ brevitatis cauſa tacentur.

6 Similiter Angelus eſt formaliter per ſuam Angeleitatem, & eſt activus per ſuam Angelitivitatem, & paſsivus per ſuam Angelibilitatem, & actualis per ſuum Angelicare, quod eſt ejus Angelicale eſſe. Etiam eſt formaliter bonus per ſuam Bonitatem, magnus per ſuam Magnitudinem, & perfectus per omnia ſua attributa, quæ ſunt partes ipſius eſſentiales. Etiam Angelus eſt totus bonus, quia ſua Bonitas bonificat omnia Angelica attributa, eſt totus magnus, quia ſua Magnitudo illa magnificat, & eſt totus perfectus ſubſtantialiter & accidentaliter, quia omnes ſuæ perfectiones illum perficiunt. At Angelica attributa nullo modo convertuntur; nam, licèt Bonitas Angeli ſit magna per magnitudinem, & Magnitudo ſit bo-

na

na per Bonitatem, & ſic de aliis Angelicis perfectionibus, tamen, nec Bonitas eſt Magnitudo, nec Magnitudo eſt Bonitas, nec Angelus eſt ſua Bonitas nec è converſo; & ſic de aliis Angelicis attributis. Idem eſt diſcurrendum de aliis creaturis, quia in nulla illarum eſt identitas in ſuis creaturalibus attributis, nec inter ſuam eſſentiam & eſſe, aliter eſſent Deus; & ideo ipſis ſufficit unio, quæ adjectivè & compoſitè agat in illis ſimile illius, quod identitas ſubſtantivè & ſimpliciter in Deo operatur; nam unio finita, licèt habeat nomen identitatis, propriè non eſt nisi ſimilitudo illius.

SECUNDA SPECIES.

7 PER ſecundam ſpeciem Regulæ *Quare*, quæritur, quare eſt Deus finaliter? & reſpondetur, quòd Deus eſt propter ſuum abſolutum finem, ſive propter ſeipſum, qui eſt omnium finium finis, & propter ipſum omnia finaliter ſunt. Finis enim infinitus & æternus non poteſt eſſe propter finem finitum & temporalem. Etiam Deus Pater generat ut ſit Pater, & eſt Pater ut generet; & Deus Filius generatur ut ſit Filius, & eſt Filius ut generetur; & Deus Spiritus Sanctus ſpiratur ut ſit Spiritus Sanctus, & eſt Spiritus Sanctus ut ſpiretur. Etiam in Deo eſt Pater ut ſit Filius, & è converſo; & eſt Pater & Filius ut ſit Spiritus Sanctus, & è converſo; quia intra Deum non eſt ratio à priori nec à poſteriori, nec Majoritas nec Minoritas, ſed ſola Æqualitas finis; & ideo Pater eſt ut ſit infinitus finis infiniens & non infinibilis, & Filius eſt ut ſit infinitus finis infinibilis & infiniens, & Spiritus Sanctus eſt ut ſit infinitus finis non infiniens, ſed infinibilis; & hi tres ſunt ut ſit unus finis infinitus eſſentialis & abſolutus, in quo omnia perfectè finalizabilia requiem capiant ſempiternam.

8 Angelus eſt finaliter ut recolat, intelligat, & diligat Deum, & ut laudet ſerviat & obediat ipſi, & ad hoc eſt principaliter Angelus, & minùs principaliter eſt ut in ipſo Deo ſuam habeat beatitudinem. Similiter homo principa-

paliter eſt ut recolat, intelligat & diligat Deum, obediat & ſerviat ei, & minùs principaliter ut in ipſo Deo æternam habeat ſalutem & ſuam gloriam poſsideat; & adhuc minùs principaliter eſt ad merendum per Fidem; & ideo, ſi aliquis negligeret cognoſcere & intelligere Deum vano & falſo timore perdendi meritum Fidei, perverſam finis intentionem haberet; quia rerum intentio ſic rectè ad finis majoritatem aſcendit: malleus v. g. eſt ad fabricandum clavum, clavus ad lucrandum nummum, nummus ad emendum panem, panis ad comedendum, comedere ad vivendum, vivere ad ſerviendum Deo, & ſervire Deo, quia Deus eſt, ſive propter ipſum Deum, & hic ſiſtit majoritas intentionis omnium rerum, quia altiùs aſcendere nequit.

QUINTA REGULA.

1 REgula hæc, quæ eſt de quantitate & vocatur *Quantum*, duas habet ſpecies, prima eſt de quantitate continua, & ſecunda de diſcreta.

PRIMA SPECIES.

2 PER primam igitur ſpeciem quæritur, quantus eſt Deus continuè? Et reſpondetur, quòd Deus continuè non eſt quantus, quia eſt ens ſimpliciter & undequaque infinitum non habens puncta indiviſibilia ex quibus fiunt lineæ per longum extenſæ & diviſibiles, nec lineas ex quibus fiunt ſuperficies per longum & latum extenſæ & diviſibiles, nec ſuperficies ex quibus fit corpus quantum & continuum extenſum per longum, latum, & profundum, diviſibile in ſuperficies, lineas, & puncta indiviſibilia retrogradiendo analiticè, ſive reſolutivè eodem ordine, quo ſinthetice, ſive compoſitè à primis ſimplicibus punctis proceſſerat; & ideo, ſi Deus quantitatem haberet continuam, eſſet ens finitum, & ſua Voluntas amaret virtuosè talem finitatem, quia verè eſſet & de natura ipſius Dei eſſet; & voluntas hominum amans, quòd Deus eſſet infinitus, eſſet major in aman-

amando vitiosè id, quod non esset, quàm Divina Voluntas in amando virtuosè id quod esset, quod est imposſibile inferens impoſsibilitatem continuæ quantitatis in Deo, & neceſsitatem immenſitatis in ipſo.

3 Angelus est quantus continuè, quia habet quantitatem continuam ſpiritualem; nam Bonitas Angelica, quæ est punctum ſimplex ſicut alia attributa & principia Angeli, extenſa ad Magnitudinem facit lineam, & Bonitas & Magnitudo extenſæ ad Durationem & Poteſtatem faciunt ſuperficiem, quia jam ſunt duę lineæ, & ſuperficies extenſa & continuata ad alias ſuperficies (metaphoricè loquendo & ſpiritualiùs intelligendo) totam ipſius Angeli continuam conſtituunt quantitatem, per quam Angelus est quantus continuè, & est ibi & non alibi; & dicta quantitas est indiviſibilis, quia Angelus est incorruptibilis; nam, ſicut ipſe totus eſſentialiter & accidentaliter est productus de nihilo, ita totus vel nil est deſtructibilis.

4 Non est ita in continuo corporeo ex partibus diviſibilibus compoſito uſque ad ſua ſimplicia, & non ultra, cujus quantitas continua est corruptibilis, quia ejus ſubſtantia etiam est corruptibilis, ſicut fuit generabilis. Unde concluditur, omnia entia creata continuè, eſſe quanta in quantum eorum quantitas pertingere & ſe extendere valet.

SECUNDA SPECIES.

5 PER ſecundam ſpeciem Regulæ *Quantum*, quæritur, quantus est Deus diſcretè? & reſpondetur, quòd Deus non est quantus diſcretè, quia nec partes integrales nec eſſentiales habet, quarum quælibet ſuam propriam habet quantitatem diſtinctam & à quantitate aliarum diſcretam. Et in hoc clariùs videtur, quod Divina Bonitas neceſſariò est Magnitudo Æternitas, &c.; quia, nisi ita eſſet, non eſſet ipſa Bonitas magna æterna, &c. per ſe; & nisi eſſet per ſe magna &c., eſſet magna æterna, &c. per accidens; & ſic Deus diſcretam haberet quantitatem in ſua Bonitate Magnitudine, &c., quod est impoſsibile; ideoque neceſſarium

rium eſt, quòd Divina Bonitas ſit Magnitudo Æternitas Poteſtas Sapientia ſive Intellectus Voluntas Virtus Veritas Gloria & omnis infinita Perfectio, & quia eſt Magnitudo magnificatur per ſe ipſam in tantum, quòd eſt tota Divina Eſſentia Natura & Subſtantia ſinè materia & accidenti; &, quia eſt Æternitas nullam poteſt pati novitatem nec mutationem; &, quia eſt Poteſtas, nulla impotentia poteſt eam impedire ne exiſtat & agat infinitè; &, quia eſt Intellectus, intelligit ſe ipſam eſſe per ſe ipſam, de ſe ipſa, in ſe ipſa & cum ſe ipsâ quidquid eſt; &, quia eſt Voluntas, vult per ſe ipſam totum hoc; &, quia eſt Virtus, nullum vitium poteſt in ipſam intrare per malitiam parvitatis inconſtantiæ impotentiæ & cujuſque alius privativi; & quia eſt Veritas, verificat totum hoc, quod de ipſa Bonitate dictum eſt & verè dici poteſt; &, quia eſt Gloria, infinitè delectatur de iſta immenſitate; &, quia eſt omnis infinita Perfectio, ſecuriſsimè & infinitè diſtat ab omni defectu. Idem ipſiſsimum eſt de omnibus & ſingulis Divinis Attributis, in quo non parum relucet Perfectio Divinæ Bonitatis.

6 In Divinis Perſonis, licèt realiter diſtinctis, non eſt quantitas diſcreta, quia Bonificativum Divinæ Bonitatis, quod eſt Pater identificatur cum Magnificativo Divinæ Magnitudinis cum Æternativo Æternitatis & cum omnibus tivis Divinarum Dignitatum; & Bonificabile ejuſdem Bonitatis, quod eſt Filius, identificatur cum Magnificabili Divinæ Magnitudinis cum Æternabili Æternitatis & cum omni bili ipſarum Dignitatum; & Bonificare ejuſdem Bonitatis, quod eſt Spiritus Santus, identificatur cum Magnificare Divinæ Magnitudinis cum Æternare Æternitatis & cum omni are ipſarum Dignitatum vel Attributorum Dei; & ideo, ſicut Divina Bonitas eſt infinita, quia eſt Magnitudo Æternitas & omnes Divinæ Dignitates, ita æqualiter Pater eſt infinitus, quia eſt bonificativitas Divinæ Bonitatis & tota activitas Divinarum Dignitatum, & Filius eſt infinitus, quia eſt Bonificabilitas & tota paſsibilitas ipſarum Dignitatum, & Spiritus Sanctus etiam eſt infinitus quia eſt Bonificare ejuſdem Bonitatis

&

& tota actualitas ipſarum Dignitatum; &, quia tota activitas, tota paſsibilitas & tota actualitas Divinæ Bonitatis, licèt relativè diſtincta, ſunt una abſoluta Bonitas eſſentialis & eadem Divina & ſimpliciſsima Eſſentia; ideo quantitati non ſufficit ſua diſcretio ad ingrediendum diſtinctionem Divinarum Perſonarum.

7 Angelus eſt quantus diſcretè, quia habet partes ſubſtantiales & accidentales, ex quibus totus eſt compoſitus; nam ejus Bonitas, licèt ſit magna durabilis, &c., tamen non eſt magnitudo, duratio, &c., aliter eſſet infinita; ſed de ipſis primitivis & ſimplicibus principiis Angelicis componuntur tres ſimplices eſſentiæ radicales, quæ ſunt recolentia, intelligentia, & volentia, ex quibus (metaphoricè loquendo) oritur truncus Angelicus, ſcilicèt ſubſtantia conſtituta ex forma & materia Angelica, & ex iſta ſubſtantia ſive trunco pullulant tres rami potentiarum memoriæ, intellectus, & voluntatis Angelicæ, & ex iſtis ramis Divinâ influentiâ perfuſis (allegoricè procedendo) germinant omnes flores & fructus actuum memorandi, intelligendi, & amandi. Compoſitio autem Angeli, licèt ſimul & ſemel fuerit facta à Deo per creationem, habet tamen hunc realem & naturalem ordinem: ex bonificativo Angelicæ Bonitatis, magnificativo Magnitudinis, & ex omni alio tivo Angelicorum principiorum, compoſitum eſt recolitivum ſuę recolentiæ; & ex bonificabili, magnificabili, & ex omni alio bili ipſorum principiorum eſt compoſitum recolibile ipſius recolentiæ, & ex bonificare, magnificare, & ex omni alio are ipſorum principiorum eſt compoſitum recolere ipſius recolentiæ; & ex recolitivo, recolibili & recole e eſt ſimplex recolentia eſſentialis.

8 Similiter fit compoſitio intelligentiæ & volentiæ; & ex tribus formis ſimplicibus iſtarum trium eſſentiarum, ſcilicèt ex recolitivo, intellectivo, & volitivo, fit una forma compoſita totalis, quæ eſt Angelitivum; & ex tribus materiis ſimplicibus ipſarum trium eſſentiarum, ſcilicet ex recolibili, intelligibili, & volibili, fit una materia compoſita & totalis, quæ eſt Angelicale; & ex tribus are i, trium eſſentiarum eſt unum are compoſitum & totale, quod eſt An-

Angelicare, & ex his tribus eſt Angelus totus, & ex toto Angelo reſultant memoria, intellectus, & voluntas Angelica, quæ inceſſanter bibentes de vitali influentia propriâ fæcundatâ influentiâ Divinâ à principio per medium uſque ad finem producunt ſemper recolere, intelligere & amare bonum magnum & durabile in poteſtate, ſapientia, & amore virtutis, veritatis, & gloriæ completæ in omni perfectione; quod opus eſſet infinitum, niſi limitaretur à quantitate diſcreta, & ſimiliter eſt diſcurrendum in omni alio ente ſubſtantiali corporeo.

SEXTA REGULA.

1 REGULA hæc, quæ vocatur *Quale*, quærit & invenit qualitates omnium rerum, quę ſunt quadrupliciter, ſcilicèt ſenſuales, intellectuales, accidentales, & ſubſtantiales, & iſtæ propriè reperiuntur in Deo, non verò accidentales; & iſta Regula duas habet ſpecies, prima eſt de qualitate propria, & ſecunda de qualitate appropriata.

PRIMA SPECIES.

2 PER primam igitur ſpeciem quæritur, qualis eſt Deus propriè? & reſpondetur, quòd Deus propriè eſt bonus per ſuam naturalem & ſubſtantialem Bonitatem, & magnus per Magnitudinem, & infinitè perfectus per omnia ſua Attributa, quæ licèt in Deo convertatur & Deus cum ipſis, & è converſo, tamen Deus eſt bonus per Bonitatem &c., & hoc eſt ratione Diſtinctionis Perſonarum, per quam relucent actus, & per ipſos relucet pluralitas realium Dignitatum, ut bonus Pater de ſua Bonitate & per ſuam Bonitatem & in ſua Bonitate generet bonum Filium, & etiam ut Pater magnus per Magnitudinem generet magnum Filium de ſua Magnitudine, &c.; & ambo ſimul de ſua Bonitate Magnitudine, &c. ſpirent Spiritum Sanctum bonum magnum, &c. Et ideo, ſicut omnes Divinæ Rationes Qualitates Dignitates Perfectiones vel Attributa ſunt una Eſ-

Eſſentia per Divinam Unitatem, ita ſunt plures & reales per ſuos actus et Diſtinctionem Perſonarum.

3 Deus propriè eſt ſimplex per ſuam ſimplicitatem, ſicut propriè eſt bonus per ſuam Bonitatem, &c.; & quia Pater, qui eſt ſimplex intellectivus, & qui eſt de tota eſſentia ſimplicitatis, ſicut eſt de tota eſſentia Intellectûs, generat de tota ſua ſimplicitate Filium ſimplicem, & de utroque procedit Sanctus Spiritus ſimplex, ideo eſt ita impoſsibile, quòd Divina ſubſtantia ſit compoſita de Patre, Filio, & Santo Spiritu, ſicut eſt impoſsibile, quòd ſit per ipſos ignorata. Et in hoc relucet impoſsibilitas plenæ perfectæ & infinitæ ſimplicitatis eſſentialis ſinè ſimplificativo, ſimplificabili, & ſimplificare realiter diſtinctis, ſicut perfecta Unitas eſſentialis eſſet impoſsibilis ſinè unitivo, unibili, & unire realiter diſtinctis. Idem eſt dicendum de aliis Divinis Rationibus.

4 Divina Bonitas propriè eſt magna per Magnitudinem, æterna per Æternitatem, &c., & Divina Magnitudo propriè eſt bona per Bonitatem & æterna per Æternitatem, &c., & Æternitas propriè eſt bona per Bonitatem magna per Magnitudinem, &c., & ſic æqualiter de omnibus Divinis Dignitatibus.

5 Divinus Pater propriè eſt totus generans de tota ſua Memoria Intellectu & Voluntate, Filius propriè eſt totus genitus de tota Memoria Intellectu & VolûtatePatris,& Spiritus Sanctus propriè eſt totus ſpiratus de tota Memoria Intellectu & Voluntate utriuſque; aliter Pater non generaret de ſe toto, nec Filius eſſet totus genitus de toto Patre, nec Pater & Filius ſpirarent de ſe totis, nec Spiritus Sanctus de toto utroque procederet, quod eſt impoſsibile, cùm in Deo non ſint partes. Et ideo Pater eſt propriè tota ſua Memoria Intellectus & Voluntas paternalis, Filius propriè eſt tota ſua Memoria Intellectus & Voluntas filialis, & Spiritus Sanctus propriè eſt tota ſua Memoria Intellectus & Voluntas ſpiralis; &, ut Divina generatio ſit infinitè diſtincta ab ſpiratione, ſufficit, quòd Filius ſit quidquid eſt de ſolo Patre, & Spiritus Sanctus ſit quidquid eſt non de uno ſolo, ſed de utroque ſimul.

6 At in re tanti momenti

jam eſt neceſſe ora mordendi avida obturare, quod, inter plures magnas authoritates dictam veritatem fulcientes, præſtabit Eccleſię Sol & Doctor D. Auguſtinus, qui Lib. 15. de Trinit. cap. 7. ſic ait: „ At verò in illa Trinitate quis „ audeat dicere Patrem, nec „ ſe ipſum, nec Filium, nec „ Spiritum Sanctum intelligere „ nisì per Filium, vel diligere „ nisì per Spiritum S., per ſe „ autem meminiſſe tantummodo vel ſui vel Filii vel Spiritûs S.: eodemque modo Filium nec ſui nec Patris meminiſſe nisì per Patrem, nec „ diligere nisì per Spiritum S., „ per ſe autem non nisi intelligere & Patrem & ſe ipſum „ & Spiritum S.: ſimiliter & „ Spiritum S. per Patrem meminiſſe, & Patris & Filii & „ & ſui, & per Filium intelligere & Patrem & Filium & „ ſe ipſum, per ſe autem non „ nisì diligere & ſe & Patrem „ & Filium: tamquam Memoria ſit Pater & ſua & Filii „ & Spiritûs S., Filius autem „ intelligentia & ſua & Patris „ & Soiritûs S., Spiritus verò „ Sanctus charitas & ſua & „ Patris & Filii: quis hæc in „ illa Trinitate opinari vel affirmare præſumat? Si enim „ ſolus ibi Filius intelligit, ut „ intelligentia ſit & ſibi & „ Patri & Spiritui S., ad illam „ reditur abſurditatem, ut Pater non ſit ſapiens de ſe ipſo, ſed de Filio, nec ſapientia ſapientiam genuerit, ſed „ ea ſapientiâ Pater dicatur „ ſapiens eſſe, quam genuit.

7 „ Ubi enim non eſt intelligentia, nec ſapientia poteſt eſſe, ac per hoc ſi Pater non intelligit ipſe ſibi, „ ſed Filius intelligit Patri, „ profectò Filius Patrem ſapientem eſſe facit. Et ſi hoc eſt „ Deo eſſe quod ſapere, & ea „ illi Eſſentia eſt, quæ ſapientia, non Filius à Patre, quod „ verum eſt, ſed à Filio potiùs habet Pater Eſſentiam, „ quod abſurdiſsimum atque „ falſiſsimum eſt. Eſt ergo Deus „ Pater ſapiens, ea qua ipſe „ ſua eſt ſapientia, & Filius „ ſapientia Patris de ſapientia „ quod eſt Pater de quo genitus eſt Filius. Quocirca conſequenter eſt & intelligens „ Pater ea qua ipſe ſua eſt intelligentia, neque enim eſſet ſapiens qui non eſſet intelligens: Filius autem intelligentia Patris de intelligentia „ genitus, quod eſt Pater. Hoc „ & de memoria non incon-

ve-

„ venienter dici poteſt. Quo-
„ modo eſt enim ſapiens, qui
„ nihil meminit, vel ſui non
„ meminit? Proinde quia ſa-
„ pientia Pater, ſapientia Fi-
„ lius, ſicut ſibi meminit Pa-
„ ter, ita Filius: & ſicut ſui
„ & Filii meminit Pater, me-
„ moriâ non Filii, ſed ſuâ: ita
„ ſui & Patris meminit Filius,
„ memoriâ non Patris, ſed ſuâ.
„ Dilectio quoque ubi nulla
„ eſt, qui ullam dicat eſſe ſa-
„ pientiam? Ex quo colligitur
„ ita eſſe Patrem dilectionem
„ ſuam, ut intelligentiam &
„ memoriam ſuam. Ecce ergo
„ tria illa, id eſt memoria,
„ intelligentia, dilectio ſive
„ voluntas in illa ſumma & im-
„ mutabili Eſſentia, quod eſt
„ Deus, non Pater et Filius &
„ Spiritus S. ſunt, ſed Pater
„ ſolus. Et quia Filius quoque
„ ſapientia eſt genita de ſa-
„ pientia, ſicut nec Pater ei,
„ nec Spiritus S. ei intelligit,
„ ſed ipſe ſibi, ita nec Pater
„ ei meminit nec Spiritus S.
„ ei diligit, ſed ipſe ſibi: ſua
„ enim eſt & ipſe memoria,
„ ſua intelligentia, ſua dilec-
„ tio: ſed ita ſe habere de
„ Patre illi eſt, de quo natus
„ eſt. Spiritus etiam S. quia
„ ſapientia eſt procedens de
„ ſapientia, non patrem ha-
„ bet memoriam, & Filium in-
„ telligentiam, & ſe dilectio-
„ nem: neque enim ſapientia
„ eſſet, ſi alius ei meminiſſet,
„ eique alius intelligeret, ac
„ tantummodo sibi ipſe dili-
„ geret: ſed ipſe habet hæc tria,
„ & ea sic habet, ut hæc ip-
„ ſe sit. Verumtamen ut ita
„ sit, inde illi eſt, unde proce-
„ dit. Hactenus Eccleſiæ Sol
„ ſuos ſparsit radios.

8 Et certè non poſſum ſatìs mirari quod vexatio me notare compulit, ſcilicet, quòd vix aliqua ſententia ex Arte Lulliana poteſt elici, quæ non ſit expreſſa, vel proximè deducibilis in & ex Sacra Scriptura, & ſanctis Patribus & Eccleſiæ Doctoribus, ita ut, ſi aliquis addiſceret ſolam Grammaticam ſive Artem ſignificandi Lullianam, & his perſpiciliis munitus eorum legeret textus, non obſcurè videret id, quod ſibi videbantur merę congruentiæ & piæ meditationes, eſſe proprias & neceſſarias demonſtrationes. Jam iterùm ad intentum.

9 Angelus propriè eſt bonus per ſuam naturalem & ſubſtantialem Bonitatem, eſt pariter magnus per Magnitudinem, & perfectus per omnia ſua principia ſive Angeli-

licas dignitates ; & Bonitas Angelica eſt Angelo propria ratio bonificandi, ut propriè ſit bonificans, & Magnitudo eſt ipſi propria ratio magnificandi, & quælibet alia dignitas Angelica eſt ei propria & naturalis ratio perficiendi in ſua propria linea ſuum recolere, intelligere, & amare; & ſic Angelus per omnes ſuas proprias qualitates intellectuales ſubſtantiales & accidentales eſt naturaliter perfectus in eſſe & operari. Etiam Angelus per ſuam formam eſt propriè activus, per ſuam materiam eſt propriè paſſivus, & per ſuam unionem ſubſtantialem propriè cauſatam à materia & forma eſt propriè actualis.

10 Homo propriè eſt generans de ſua propria elementativa, vegetativa, ſenſitiva, & imaginativa nutrimentalibus ſpecificatis per proprium humidum radicale generantis nulli aliorum communicabile ; non verò de rationativa ; quia nihil poteſt de ipſa abſcindi ; & ideo debet de foris advenire animalitati genitæ & in ſua propria linea naturali completæ ; quod, ſi ità non eſſet, homo, qui eſt nobiliſsimum animal, minùs generaret naturaliter, quàm leo, qui generat leonem elementatum, vegetatum, ſenſatum, & imaginatum. Imò, ſi humana generatio ità non eſſet, ut dictum eſt, caro numquam concupiſceret adversùs ſpiritum, nec in humanis membris ſentiretur alia lex repugnans legi mentis, quia nullum movens movet contra ſe ipſum, & nullus Legislator legem contra ſe ſtatuit.

11 Et multa alia non parva inconvenientia ſequerentur contra majoritatem noſtræ cognationis cum Chriſto, Divinæ Maternitatis, Incarnationis Filii Dei, & plurima alia, quæ eſſet nimìs longum demonſtrare. Et ideo bonum & perfectum erit, quòd ſicut Divinum Verbum unitum eſt perfectæ Humanitati, ut dirigat nobilitet & Deificet ejus naturales proprietates ; ita Anima rationalis creetur & uniatur perfectæ animalitati in ſua propria linea naturali, ut dirigat informet perficiat & rationalizet ipſius naturales proprietates imaginandi, ſentiendi, vegetandi & elementandi, quæ ſinè Anima rationali non eſſent nisi brutales; & ſic Animæ rationalis ſola

eſt

eſt proprietas elevandi per informationem intrinſecam, naturalitatem dictarum proprietatum à ſolo generante productam, ad moralitatem, & ad eſſe rationale, quod non eſt parum; & ſic magis tenebit, & perfectior erit ſimilitudo, qua dicitur: *Sicut Anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.* Nam licèt ſinè Anima nihil caro deſideret, & ab illa ſumat ſenſus & motus rationales, tamen habet proprium deſiderium, ſenſum, & motum animalem; aliter non indigeret refrænari utì ſubſtantia ipſi Animę ſubjicienda; & ideo, ſicut Deus perficit proprietates naturæ aſſumptæ Deificando; ſimiliter Anima perficit proprietates animalitatis tamquàm forma ſuam diſtinctam materiam rationando. Imò, cùm corpus ſive caro, quæ eſt materia Animæ, ſit ſubſtantia ipſi Animæ ſubdita, neceſſariò habet propriam formam diſtinctam realiter ab ipſa Anima, per quam propriam & corporalem formam ſubſtantialem propriè movetur & agit. Similiter eſt de aliis rerum proprietatibus.

SECUNDA SPECIES.

12 PER ſecundam ſpeciem Regulæ *Quale*, quæritur, qualis eſt Deus appropriarè? Et reſpondetur, quòd Deus appropriatè eſt Incarnatus, & ſic appropriatè eſt homo, & *ly appropriatè* non ſignificat, quòd impropriè ſit homo, cùm propriiſsimè hoc ſit per propriiſsimam & veriſsimam, quam aſſumpſit humanitatem, ſed ſignificat, quòd hoc non habet ex ſua propria natura, ſed per naturam humanam ſibi appropriatam, quam ſubſtantiavit per ſe ipſum in ſe ipſo, ut ipſe appropriatè eſſet homo. Et ideo in Chriſto Deus appropriatè eſt homo & homo appropriatè eſt Deus, & Chriſtus propriè eſt Deus & homo, & Deus & homo propriè eſt Chriſtus.

13 In Chriſto Divina Bonitas appropriavit ſibi humanam Bonitatem, ut Deus appropriatè ſit bonus homo, & Divina Magnitudo appropriavit ſibi humanam Magnitudinem, ut ſit magnus homo, & ſimiliter omnes Divinæ Perfectiones appropriaverunt ſibi om-

omnes humanas Perfectiones, ut Deus appropriatè eſſet perfectiſsimus homo in tanta perfectionis creatæ celſitudine, quod ſola Bonitas humana Chriſti valet pluſquàm omnes Bonitates creatæ ſimul, & æqualiter eſt de Magnitudine & aliis humanis Perfectionibus. Et, quia in Chriſto Divina Memoria eſt humanificata per humanam Memoriam, & Divinus Intellectus per humanum Intellectum, & Divina Voluntas per humanam Voluntatem, Deus appropriatè memorat, intelligit & amat humanitùs; &, quia potentiæ Animæ rationalis Chriſti ſunt Deificatæ per Divinam Memoriam Intellectum & Voluntatem, homo appropriatè memorat, intelligit & amat Divinitùs. Et quia Deus ſibi appropriavit potentias imaginativam, ſenſitivam, vegetativam, & elementativam humani corporis, appropriatè eſt corporalis imaginans, ſentiens, & vivens humanitùs in corpore, in quo crevit nutritivè, ſenſit calorem & frigus, famem et ſitim, fatigationem, &c; &, quia tota natura corporea Chriſti eſt Deificata, Divinitùs & appropriatè exercet omnes actus corporales humanos, & ſic Divinitùs operatus eſt homo Chriſtus, quod corporaliter egit in hoc mundo. Et hæc eſt communicatio idiomatum per Regulam *Quae* aliqualiter explicata.

14 Angelus eſt bonus appropriatè per moralem Bonitatem, magnus per moralem Magnitudinem, & perfectus per omnes morales Perfectiones, quæ ſunt de ſimilitudinibus accidentalibus naturalium perfectionum. Angelus etiam eſt appropriatè virtuoſus per moralem virtutem, juſtus per juſtitiam, & ſic de aliis virtutibus moralibus; eſt etiam appropriatè confirmatus in gratia, & beatificatus in Gloria; eſt etiam appropriatè figuratus & ſenſibilis in corpore aſſumpto, & imaginabilis in ſpecie imaginali. Etiam Bonitas Angeli eſt appropriatè magna, & Magnitudo ipſius eſt appropriatè bona; quia ipſa Bonitas, ut bonificet Magnitudinem & componatur cum ipſa, appropriat Magnitudini ſuam Bonitatem accidentalem, cum qua Bonitas ſubſtantialis intrat in Magnitudinem, ſicut ignis cum ſuo calore intrat in lignum, ut calefaciat & ignificet illud; & ſic Bonitas ſubſtantialiter & accidentaliter bo-

bonificat Magnitudinem; ſimiliter facit Magnitudo ad magnificandum Bonitatem; & ſic de aliis principiis Angelicis mutuo ſe communicantibus; & quia inter illa non eſt aliqua reſiſtentia vel contrarietas, talis compoſitio & communicatio eſt inceſſanter in inſtanti intenſo ſinè ſucceſſione temporali.

15 Similiter homo eſt qualis appropriatè per omnes habitus virtutum & ſcientiarum adquiſitos & infuſos. Vegetare, ſentire, & imaginari ſunt qualitates appropriatæ Animæ rationali, quia ipſa eſt forma movens omnes potentias ſibi conjunctas, ut per ſe ipſas moveantur, ſicut dictis potentiis rationaliter agere appropriatum eſt per Animam rationalem. Ignis appropriatè eſt ſiccus per ſiccitatem propriam terræ, & aer appropriatè eſt calidus per calorem proprium igni, & aqua appropriatè eſt humida per humiditatem propriam aeri, & terra appropriatè eſt frigida per frigiditatem propriam aquæ; &, quia ignis prædominatur aliis tribus humoribus, ex quibus omnibus eſt compoſita cholera, ipſa eſt propriè calida & appropriatè ſicca; &, quia aer prædominatur in ſanguine, ipſe ſanguis eſt propriè humidus, & appropriatè calidus, & eſt melior complexio, quia in altiori gradu habet humiditatem & calorem, quæ ſunt principia vitæ, generationis & Concordantiæ; &, quia frigus prædominatur in phlegmate, ipſum eſt propriè frigidum, & appropriatè humidum; &, quia terra prædominatur in melancholia, ipſa eſt propriè ſicca, & appropriatè frigida, & eſt mala complexio, quia in altiori gradu habet ſiccitatem & frigiditatem, quæ ſunt principia mortis corruptionis, & Contrarietatis. Et hujuſmodi qualitates appropriatæ ſunt neceſſariæ ut fiat compoſitio in omni elementato, ſicut in omni creatura ſpirituali eſt neceſſaria qualitas appropriata ut fiat ſpiritualis compoſitio.

*** *** *** *** *** ***

SEPTI-

SEPTIMA REGULA.

1 REgula hæc eſt temporalitatis rerum inveſtigativa, quę vocatur *Quando*, & quindecim habet ſpecies, ſeptem ſignificatas per Regulas *Quid*, & *Dequo*, ût jam dictum eſt, & octo ſignificandas per Regulas *Quomodo*, & *Cumquo*, ût dicetur; quæ ſpecies brevitatis causâ prætermittuntur, cui placuerit videndæ in Arte Generali ultima.

2 Quæritur igitur indifferenter, quando eſt Deus? & reſpondetur, quòd Deus eſt æternus, & ideo non eſt in tempore comprehenſus, ſed comprehendens, & eſt in omni tempore, & extra omne tẽpus, quia eſt ipſa Æternitas & duratio ſinè principio & fine exiſtens ante tempus, quod eſt ens creatum & in ipſa Æternitate terminatum.

3 Quia Divina Generatio eſt æterna, ſemper eſt in *fieri*, & in *facto eſſe* (ſic loquendo, ut meliùs intelligatur, licèt verbum *facio* intra Deum nil habeat faciendum) nam, ſi eſſet ſolùm in *fieri*, *factum eſſe* ipſi adhuc futurum, vel ſemper defecturum eſſet; &, ſi eſſet in ſolo *facto eſſe* ſicut generatio temporalis, quæ quando eſt in *fieri* adhuc non eſt in *facto eſſe*, & quando eſt *in facto eſſe*, jam non eſt *in fieri*; jam ipſi generationi Divinæ *fieri* præteriiſſet: ergo, ut ſignificetur eſſe tota ſimul de præſenti ſinè præterito & futuro, dicitur, ipſam eſſe ſemper in *fieri* & in *facto eſſe* simul, & idem eſſe *fieri* & *factum eſſe* in ipſa: & sic Pater æternaliter eſt generativus & generans, & Filius generabilis & generatus, & æqualiter de ſpiratione æterna, in qua uterque eſt ſpirativus & ſpirans, & Spiritus Sanctus eſt ſpirabilis & ſpiratus.

4 Deus eſt Æternitas, in quam non cadit tempus, ſicut eſt Infinitas, in quam non cadit locus, Intellectus, in quem non cadit ignorantia, & infinita Perfectio, in quam non cadit defectus; &, quia omnes Divinæ Dignitates convertuntur cum Æternitate & è converſo, ideo omnes fuerunt ſunt & erunt (sic loquendo) sinè tempore in Generare & Spirare, quod eſt Æternare; & ideo per operationem, quam Deus habet in ſe ipſo, & per creare, & per om-

omne id, quod facit in mundo, non cadit novitas nec mutatio in ſuam Divinam Eſſentiam. Et ſignum hujus eſt pictor, qui ante pictionem in pictione & poſt pictionem imaginis non eſt paſſus novitatem vel mutationem ſuæ humanę eſſentiæ, quia imaginem de illa non pinxit; & in hoc etiam cognoſcitur, quòd impropriè dicatur *Deus fuit & erit*, & propriè dicatur *Deus eſt*, ſicut ipſe dixit *Ego ſum qui ſum*, & *Antequam Abraham fieret ego ſum.*

5 Quia Sapientia Dei eſt æterna, mundum ante illius creationem intellexit, qui mundus tunc erat æternaliter idea intellecta in Divina Sapientia; & , cùm quidquid erat ante mundi creationem, non eſſet nisì ſolus Deus, qui ſolus ens increatum & Creator eſt; ideo mundus creatus non eſt Deus, & conſequenter alius eſt mundus in quantùm eſt idea æterna, & alius in quantùm creata eſſentia eſt, cujus tempus per æternam ideam, ſicut ejus quantitas per Infinitatem comprehenſum eſt. Et, ſicut ſigillum comprehendit litteras & figuram, quam imprimit ſinè novitate & mutatione ſui, ſic, & meliùs ſinè comparatione, Deus infinitè comprehendendo impreſsit (ſic loquendo) ſuam ſimilitudinem in totum mundum & in ejus partes ſinè aliqua novitate & mutatione ſui.

6 Antequam Deus Judam crearet, ipſum damnandum eſſe ſciebat, & tale ſcire eſt ipſe Deus & æterna idea, quæ eſt immutabilis; & creavit illum cũ Juſtitia, quæ etiam eſt idea æterna immutabilis, quia in Deo Juſtitia & Æternitas convertuntur, ût pluriès dictum eſt; & Deus non potuit illum creare cum Juſtitia, quin ipſi liberum daret arbitrium ad bonum & ad malum, qualiter ipſe vellet, ut ſalvari vel damnari liberè poſſet. Tandem Judas liberè peccavit tradens Chriſtum, laqueo ſe ſuſpendens, & de Divina deſperans Miſericordia; & totum hoc, quod Judas fecit ita differt ab idea, quæ eſt Deus, ſicut eſſentia mundi ab idea Divinæ Sapientiæ: ergo in hoc poteſt cognoſci, quomodo Præſcientia Prædeſtinatio & Juſtitia, quæ ſunt ipſe Deus vel Divina Idea, ſint æternæ & immutabiles & extra tempus, quod comprehendunt; & quomodo operatio Judę & libertas, quam habuit ad fugien-

dum malum, fuerint in contingentia & in tempore, in quo fuit factum reale judicium ſuæ damnationis potens fuiſſe ſalvationis, quæ poſsibilitas ſignificatur per bona opera judæ & ſocietatem cum Chriſto & Apoſtolis antequam peccaret, & fortiùs ſignificatur per diligētias, quas fecit Chriſtus, ut Judas non perderetur; & ideo, ſicut literæ impreſſæ à ſigillo non cauſant nec arguunt mutationem in ipſo, quando mutantur & corrumpuntur, ita, & minùs ſinè comparatione, creaturæ mutatio & perditio nil mutationis in Æternitate inferre valet.

7 *Quando*, ſive tempus, eſt accidens reale, ſinè quo omnia creata, quæ fuerunt, ſunt, & erunt, non potuerunt, nec poſſunt, nec poterunt eſſe. Et tempus eſt id, ſinè quo non poſſent eſſe hæc adverbia: *ante*, *poſt*, *citò*, *tardè*, *frequenter*, *rarò*; &, ſinè quo non poſſent eſſe augmentatio, diminutio, alteratio, privatio, motus, potentia, habitus, actus; & ſinè quo numerus horarum, dierum, annorum, &c. eſſe nequiret. Et tempus eſt accidens proprium totius ſubſtantiæ mundialis, per quod ipſa tota temporificata eſt, ſicut per ſuam univerſalem quantitatem eſt quātificata, & per alia ſua prædicamenta accidentata eſt; nam, ſicut in mundi ſubſtantia omnes ſubſtātię particulares ſubſtantificantur, ita in quantitate ipſius quantificantur omnes quantitates particulares, & in tempore illius temporificantur omnia temporalia, & ſic de aliis univerſalibus accidentibus; & ideo tempus ſic conſideratum, ſicut alia mundi accidentia, clariùs intelligetur, nam ita realiter in ſe eſt.

8 Tempus dupliciter eſt, æviternum ſcilicet, & motum naturalem ſucceſsivū ſequens. Tempus æviternum vocatur ævum, per quod omnis duratio ſpiritualis creata menſuratur, quæ ideo æviternalis vocatur; ſicut per tempus mēſuratur omne temporificatum, quare vocatur temporale. Viſuri igitur poſteà de tempore, nunc de ævo ſive de *Quando* Angelico videamus: Angelus fuit ſtatim quando fuit creatus in ævo, in quo fuit incœptus; ſed iſtud ævum, quod eſt quid abſolutum & menſura æviternalium, non eſt de eſſentia Angeli, nam ipſe per crea-

creationem habet ſuum ævum ſpecificum & proprium, quod pars eſt ipſius Angeli, ſicut ſua Bonitas & alia principia.

9 Angelus eſt in ſuo ævo ſive in ſuo tempore intenſo ſicut in ſua intenſa quantitate, & ideo ſicut eſt quantificatus per ſuam quantitatem, ita eſt æviternatus per ſuum *nunc* ſive ævum, per quod eſt novus & incœptus; &, ſicut in ſua quantitate eſt indiviſibilis incorruptibilis & immortalis, ut magis Divinam ſignificet ſimplicitatem, ita in ſuo *nunc* eſt à motu & ſucceſsione remotus, ut magis declaret Æternitatem. Verumtamen eſt in ſucceſsione per accidens, quia de loco in locum eſt mutabilis, non tamen ſua mutatio eſt de ſucceſsivo motu, quia non habet partes tali motui ſubjectas, ſicut aquila, quæ ad volandum priùs movet caput, deinde collum, corpus, & pedes ſucceſsivè, & tandem alas, quibus movetur & localiter mutatur; ſed mutatio Angeli eſt inſtantanea, quia in ſuis partibus non habet ante & retro, cùm ſit ſpiritus in ſuperficie non incluſus: quare tempus & motus Angeli non eſt ſenſibilis nec imaginabilis, ſed ſolùm ab intellectu attingibilis.

10 Tempus Angeli non eſt per horas, dies, annos, &c. menſurabile, & ideo in ſuo *nunc* non fuit junior nec erit ſenior, ſed æqualiter in ſuo ævo perſeverans. Idem dicendum eſt de Anima rationali reſpectu ævi extrinſeci & ſui *nunc* intrinſeci, de quo fuit creata & incœpta, ſicut de ſua Bonitate, Magnitudine, &c.; cū hac tamen differentia, quòd ejus intellectus in ſuo peregrino intelligere, hoc eſt, quod vadit & venit in diverſo tempore, dependet à ſenſibus externis & imaginatione inſtrumentaliter, & à rebus exterioribus objectivè, & à ſuis innatis principiis radicaliter & ſubjectivè; intellectui verò Angelico in ſuo intelligere ſufficiunt ſua innata principia ſubjectivè, & Deus objectivè & primariè, ut ſimul ipſum Deum, ſe ipſum, & alias creaturas inſtanti in æviternali intelligat; in quo altior modus Angelici intelligere non parùm relucere videtur.

11 Tempus reſpiciens motum ſucceſsivum eſt accidens reale omnia generabilia & corruptibilia movens, ut ſint ſubſtantialiter & accidentaliter

in

in continuo motu ſucceſsivo, ſicut primus gradus chaos, ex quo Deus produxit ſecundum ſpecificando ipſum de nihilo, ſcilicet omnia prima agentia naturalia, nempe primum hominem, primum leonem, &c., & ex iſto per influentiam primi ſequitur tertius gradus, ſcilicet, omnia, quæ fuerunt, ſunt, & erunt ex primo & ſecundo gradu uſque ad finem mundi ſucceſsivè. Et iſtud tempus eſt accidens ſimplex indiviſibile & inviſibile exiſtens ſemper præſens in ſuo ſubjecto, ſcilicet orbe; &, quoniam ſuum ſubjectum eſt diviſibile & mobile in parte, non in toto, videtur ipſum tempus per accidens diviſibile & præteriens in figura mundi hujus, ſcilicet in ſubjectis ſuam influentiam recipientibus, licèt temporis eſſentia indiviſibilis & immobilis in ſe & ſemper præſens exiſtat; quod clarè demonſtrabit lux ſolis, quę ab ipſo influxa ad hæc inferiora, videtur eſſe diviſa in diverſis ſubjectis lucidis variè coloratis recipientibus illam, cùm tamen ſit indiviſibilis & inalterabilis ipſum ſolem ſemper concomitans.

12 Adhuc clariùs: ſicut ſol in inferiora ſuam influit virtutem & non ſuam eſſentiam, ſic tempus ſuam virtutem & non ſuam eſſentiam in res diſtinctas & mobiles influit; & ideo, ſicut ſol in ſua eſſentia manet inalteratus, quamvis rerum generatio recipientium ejus virtutem adveniat & prætereat, ita temporis eſſentia manet inalterata, quamvis diſtinctæ res mobiles ejus virtutem recipientes veniant & prætereant. Etiam videtur in hoc, qualiter quælibet res temporalis ſuam propriam habeat durationem eſſentialem, a tempore & menſurâ illius diſtinctam; ſicut duratio Petri, quæ finitur & corrumpitur quando Petrus moritur, & duratio temporis & diei, in quibus moritur adhuc perſeverat. In quo videtur, quòd præteritum & futurum, hora, dies, &c. non ſunt de eſſentia temporis, ſed ſolùm figura & menſura, qua utitur homo, ut cognoſcat tempus, & de illo agere queat; nam, his omnibus deficientibus, adhuc præſens eſſentia temporis perſeveraret.

13 Sol iterùm ſit in clarius exemplum, cujus motu ſiſtente, umbræ motus ceſſaret, imò non eſſet umbra, ſi totum terræ centrum nihil eſ-

ſet;

ſet; & per conſequens jam non præteriret dies nec adveniret nox nec eſſet numerus dierum, annorum, &c.; & hoc non obſtante, tempus adhuc eſſet id, quod eſt, ſub quo eſſet firmamentum, lux ſolis, & motus eorum ſicut nunc eſt. Et hæc eſt temporis eſſentia per Regulam *Quando* inveſtigata, quę immota manens omnes movet res temporales, ut meliùs ſignificet Æternitatem, quæ immota & immobilis omnia movet.

OCTAVA REGULA.

1 REgula hæc localitatis rerum inveſtigativa vocatur *Ubi*, & etiam quindecim habet ſpecies, quæ ob brevitatem prætermittuntur viſibiles in Arte Generali ultima?

2 Quęritur igitur, ubi eſt Deus? & reſpondetur, Deũ in ſua eſſe Immenſitate, per quam interminabiliter extra ſuprema cœli ſuperficiem & in omni contento ab ipſa, eſſentialiter præſentialiter potentialiter & operativè exiſtit; non tamen ipſam ſuperficiem localiter cõtinet, nec ſic continetur ab ipſa; quia ſua Immenſitas nec tangibilis nec à loco comprehenſibilis eſt.

3 Divina Bonitas eſt in tota Immenſitate comprehendens & comprehenſa convertibiliter, h. e., Immenſitas eſt etiam in tota Divina Bonitate comprehendens & comprehenſa; & ſic de omnibus & ſingulis Attributis, & ideo ipſa Bonitas eſt tota Divina Eſſentia convertibiliter, & ſic de omnibus & ſingulis Divinis Attributis.

4 Deus Pater eſt totus ſinè loco in toto ſuo Filio & in toto ſuo Sancto Spiritu comprehendens & comprehenſus, & æqualiter Filius eſt totus in toto ſuo Patre & Sancto Spiritu, & Sanctus Spiritus eſt totus in utroque, & è conversò, quia Divina Æqualitas hoc requirit. Et totus Pater eſt ſinè loco in tota Eſſentia ſua & Filii & Spiritus Sancti convertibiliter, & æqualiter eſt Filius & Sanctus Spiritus in eadem Eſſentia omnium trium convertibiliter; & ideo quęlibet Perſona eſt Eſſentia omnium trium & è conversò, quia Divina Identitas hoc requirit. Pater eſt to-

totus in ſua propria actione generativa convertibiliter, & Filius æquè eſt totus in ſua propria paſsione generabili, & Pater & Filius ſunt in tota ſua communi actione ſpirativa convertibiliter, & pariter S. Spiritus eſt totus in ſua propria paſsione ſpirata; ſed actio, paſsio & actus ab utroque procedens æternaliter manent proprietates incõvertibiles, quia Divina Diſtinctio hoc conſervat.

5 Sola Filialis proprietas per unionem hypoſtaticam eſt in humanitate aſſumptâ, & ideo ſolus Deus Filius eſt homo; &, quia Deus eſt ubique, in omni loco Deus eſt homo; ſed, quia humanitas non eſt ubique, ideo homo non eſt Dues in omni loco; nam res ubi non eſt non poteſt aliquid eſſe. Quia Deus eſt homo in uno tempore & in multis locis, ideo homo, qui eſt Deus, poteſt eſſe in eodem tempore in cœlo & in terra & in pluribus Altaribus ſacramentaliter, imò & in cœlo ſacramentaliter, & non ſacramentaliter, hoc ſecundo modo in ſe ipſo, & primo in ſacrario pectoris Immaculatæ Virginis Matris ibi in æternum permanſurus tamquam in loco & domo propria nobiliori, quàm totum cœli palatium; ſed, quia humanitas eſt finita & non poteſt in Deitatem converti, licèt Deificetur omni poſsibili modo; ideo homo non poteſt eſſe Deus ubique & extra, ſicut Deus in omni loco & extra eſt homo, nam totus Filius eſt Incarnatus, qui non eſt pars ſed totalitas Deitatis.

6 Solus Deus & nihil aliud erat ante mundi conſtitutionem; &, quia ſinè loco mundus non poterat eſſe, Deus illi locum creavit, in quo eſſet collocatus, nam non poterat collocari in nihilo, nec in Deo erat locus; &, ſi Deus mundo non creaſſet locum, conveniret, quòd in ſua Divina Eſſentia vacuitatem feciſſet, in qua mundus caperetur; & ſic Divina Eſſentia, quæ eſt æternaliter Infinita, noviter per mundum eſſet terminata & repleta, & eſſet diviſibilis & corporalis; quæ omnia, cùm impoſsibilia ſint; neceſſe eſt, quod Deus locum in mundo & mundum in loco creaverit, & quòd Deus ſit in toto mundo ſinè occupatione loci & totus mundus in Deo ſinè occupatione Immenſitatis. Et ſic poteſt cognoſ-

noſci, Deum in loco immutabiliter eſſe, quin in eo ſit collocatus nec locus in Divina Eſſentia figuram faciat nec aliam impreſsionem; & ſimiliter de operationibus, quas habet Deus in loco.

7 Angelus eſt in ſuo loco ſpirituali intenſo, ſicut in ſua eſt quantitate, nam locus eſt omni finito & terminato, ut ubicumque ſit, in ipſo loco ſuo ſit collocatum; & ideo, ſicut intelligentia eſt in Angelica natura ubicumque Angelus intelligat, ſic locus eſt in quolibet Angelo & in qualibet alia creatura, & è converſo eſt Angelus in ſuo loco ubicumque ſit; ſed, ſicut natura piſcis meliùs convenit cum piſce in aqua, quàm in aere, ita Angelus meliùs convenit cum ſuo loco in cœlo, quàm in terra; &, cùm locus corporalis Angeli eſſe non poſſit, quia incorporeus eſt; ideo ipſe Angelus ſuum poteſt habere locum, & etiam loco rerum corporalium ineſſe, quin expellat vel privet eas ipſo loco, ut occupet illum; nam, ſi ita eſſet, Angelus ſuum relinqueret locum dum corporis locum intraret privans illud ſuo loco; & ſic corpus eſſet ſinè ſuo loco, & Angeli locus ſinè locato, quod, cùm impoſſibile ſit; videtur, quòd locus Angelicus non impediatur per locum corporeum nec locus Angeli illum occupet, ad ſignificandum, Deum ubique eſſe ſinè occupatione loci.

8 Intermedium non occupat Angelus dum tranſit de uno loco in alium, ſicut non occupat terminum ſive locum, à quo recedit, nec terminum, ad quem accedit, & hoc eſt, quia quantitatem non habet extenſam, per quam localiter tangat & dividat illud medium, & ideo in inſtanti & ſinè ſucceſsione de loco in locum ita ſubtiliter mutatur, ut nec ſenſus nec imaginatio, ſed ſolus intellectus talem motum attingere valeat.

9 Bonitas Angeli in Magnitudine coeſſentiali intensè eſt collocata, & è converſo, & quodlibet principium Angelicum in omnibus aliis & omnia alia ſunt collocata in illo, & sic forma Angeli eſt collocata in ſua materia & è converſo, & ſubſtantia Angeli in utraque, & è converſo; & sic totus Angelus eſt collocatus in ſuis partibus & ſuæ partes in illo, et sic totus eſt collocatus in ſuo loco intrinſeco. Similiter eſt de Anima

rationali, quæ dum existit in corpore mutatur successivè de loco in locum per accidens, scilicet per corpus, quod ipsa movet ut per se ipsum moveatur.

10 Rerum corporalium locus per omnia, quæ dicta manent de tempore est æqualiter intelligendus; nam, sicut substantia mundialis per tempus universale tota est temporificata, sic per suum locum universalem est æqualiter locificata; et ita, quolibet prædicamento istius substantiæ universalis benè intellecto, intelliguntur omnia alia, per quæ ipsa est æqualiter accidentata. Demonstretur igitur, esse istum locum, quem inquirimus, sic: sicut adverbium *nunc* necessariò infert tempus esse, quia sinè isto tempore, *nunc* nihil esset, ita præpositio *in* necessariò locum infert, quia, si locus non esset, *in*, nihil esset; sed videmus et intelligimus, realiter esse *in*, scilicet nucleum in nuce et formam in materia: ergo necessariò est locus. Præterea, si terra et aqua removerentur de medio aëris et annihilarentur, adhuc necessariò locus aliquid esset, sicut si amphora esset vacua ab omni contento, adhuc locus in ea esset: unde, si per annihilationem terræ & aquæ in medio aëris existentium, sequeretur esse locum tamquam vas vacuum aptum ad aliquid collocandum, magis sequitur locum nunc aliquid realiter esse, re sic stanti, nam per annihilationem nil potest poni in re: ergo, si locus post annihilationem appareret, signum est, ipsum anteà realiter esse.

11 Locus igitur est id, sinè quo nulla res posset continere nec contineri, & est id, per quod continens & contentum possunt esse, & per quod altera pars potest esse in altera, sicut forma in materia & è converso, & alia elementa in aliis, & alia accidentia in aliis, ût caliditas in humiditate & è converso, & substantia in accidentibus & è converso, & sinè quo esset impossibilis mixtio, digestio, & compositio, & consequenter generatio & corruptio & alia plurima, quæ necessariò sunt. Iste autem locus est accidens reale per se simplex immobile indivisibile et inimaginabile, cujus subjectum est tota substantia mundi à suprema superficie cœli usque ad punctum centrale inferni inclusivè.

Fi-

Figura verò loci eſt continens, continere, & contentum, ſicut figura temporis eſt præſens, præteritum, & futurum, & ſicut eſſentia temporis manet immota licèt ſua figura mutetur, ſic etiam eſſentia loci non mutatur licèt continentiæ varientur.

12 Quælibet res corporalis ſuum proprium locum intrinſecum habet diſtinctum à loco univerſali, & ideo quando res generatur ſuus etiam locus generatur, et in ipſius rei corruptione corrumpitur ſinè augmento et decremento loci univerſalis, cui omnia loca particularia ſubduntur, quæ de ejus vivunt influentiâ. In primo gradu chaos, quod eſt per totum concavum Lunæ tamquam mare ſubtiliſſimum, in quo et de quo vivunt omnia elementata ſicut piſces in et de aqua, eſt collocatus tertius gradus ipſius chaos, qui eſt diviſus per accidens, quia locorum ſubjecta ſunt divita, exiſtentibus pluribus ſuppoſitis in pluribus locis, quin illorum ſuperficies ingreſsum impediat ipſi primo gradui, quia ſuam per ſubtilitatem omnia penetrat et non eſt ipſi janua clauſa. Hoc vitri in luce clareſcit, per quod penetrat lux ſolis, in qua lux vitri eſt collocata ſinè lucis ſuperficie ingreſsum lucis ſolaris impediente; ita ſimiliter omnia loca tertii chaos ſive tertii gradus ipſius, in quo habitamus, ſunt terminata et contenta à loco primi chaos ſinè ſuperficie inter primum et tertium chaos exiſtente, cum locus primi chaos indivisibilis ſit, et in tertio ſit per accidens diviſus ratione divisionis ſubjectorum, ſicut lux ſolis in ſe indiviſa et uniformis, diversificatur in variis coloratis.

13 In omni elementato ſuppoſito (minutè & ſubtiliter ſcrutando) eſt quodlibet ex primitivis principiis in loco omnium aliorum & è converſo, v. g. tota Bonitas eſt in loco Magnitudinis & è converſo, & ſic de aliis, ut continua & perfecta omnium principiorum mixtio fiat; & quælibet principiorum forma in loco omnium formarum aliorum exiſtit; v. g. bonificativum ſive bonificativitas, quæ eſt forma Bonitatis, eſt in loco magnificativi, quod eſt forma magnitudinis, & ſic de aliis formis, ut omnium iſtarum perfecta fiat mixtio, ita ut ex omnibus fiat una forma bo-

na magna durabilis &c. bonificativa magnificativa &c. Similiter eſt de principiorum materiis, ſcilicet de bonificabili ſive de bonificabilitate Bonitatis, de magnificabili Magnitudinis, &c., ut fiat de omnibus una materia bona & bonificabilis, &c.: & idem eſt de actu ſubſtantiali ſive unione ipſorum, ſcilicet bonificare, magnificare, &c., ut ex iſto univerſali ternario contracto vel diviſo in quaternarium, fiant quatuor ſimplices eſſentiæ, (de quibus ſupra aliquid dictum eſt) ſcilicet igneitas, aereitas, aqueitas, & terreitas; igneitas inquam, cujus forma eſt ignificativum conflatum ex omnibus formis principiorum, & ejus materia eſt ignificabile conflatum ex omnibus materiis primitivis, & ejus actus ſubſtantialis eſt ignificare ex omnibus actibus primitivis cõpoſitum; ſimiliter eſt de aereitate, aqueitate, & terreitate in ſuarum partium conſtitutione.

14 Quælibet dictarum quatuor eſſentiarum forma in loco aliarum formarum exiſtit, ut iterùm ex ipſis perfectè mixtis fiat una forma univerſalis ſive prima, ſimiliter fit de quatuor materiis una materia univerſalis ſive prima, & de quatuor actibus ſubſtantialibus unum totum univerſale ſive ſubſtantia prima, taliter, quòd, ſi aliquid dictorum deficeret, deſtrueretur realis relatio formæ primæ ad ſecundas & è converſo, & totius primi ad ſecunda & è converſo, & particularia eſſent ſinè neceſſaria influentia & regentia ſui univerſalis, & nobiliora, nempe ipſæ formæ, ignobiliori, ſcilicet ipſi materiæ ſubderentur, & tota natura periret & ſignificaret, Deum omnia in numero, pondere & menſura non diſpoſuiſſe; quod eſt impoſsibile arguens prædictæ ſtructuræ neceſsitatem.

15 Ex dicto toto primo, quod eſt primum chaos ſive primus gradus illius, egrediuntur quatuor elementa ſimplicia tamquam quatuor potentiæ, quibus chaos in inferiora ſe influit, quæ non poſſent ita egrẽdi, niſi eſſent in dictis quatuor eſſentiis radicabilibus principiata; & ratio quare egrediuntur diviſa in quatuor, eſt, quia quodlibet elementum ſimplex ſe depurat ab aliis quantum poteſt propter appetitum ſimpli-

plicitatis & fugæ à compoſitione ; ſed , quia hoc non poteſt conſequi propter ſubtiliſsimam radicum mixtionem non ſinentem unum totaliter aliorum de loco egredi , quod non potuit per fugam , conatur per concertationem obtinere ; & ideo ignis ſimplex alia ſimplicia aggreditur elementa intendens ea corrumpere & in ſuam naturam igneam convertere , ut ipſe ſit ſolus & totus ignis ſimpliciter ; ſed , quia alia ſe defendunt & faciunt idem , ideo ignis non poteſt totaliter ſuum perficere intentum , & pro bono pacis facit compoſitionem cum illis , quibus ſub tributo factis , ipſe ſe fœdere junxit ; & ſic fit ignis compoſitus ſuum habens Regnum & dominationem in ſuprema ipſius chaos ſphæra. Similiter facit aer alia vincens elementa , quibus in ſecunda ſuperiori prædominatur ſphæra ; & idem de aqua & terra in ſuis ſphæris philoſophari oportet.

16 Ex dictis patet , eſſe impoſsibile in rerum natura elementum purum & omnino ſimplex exiſtens , ſicut eſt impoſsibilis alia creatura ſinè compoſitione ; dicitur autem ſimplex reſpectivè ad ſuum compoſitum , ſicut Angelus dicitur ſimplex reſpectu hominis , & Anima rationalis reſpectu ſui corporis ex omnibus naturis corporalibus compoſiti ; patet etiam , magis impoſsibile eſſe , aliquam quatuor ſphærarum eſſe puram , cùm majorem elementorum mixtionem contineat ; vocatur autem ſphæra ſui propria elementi , quia in illa eſt major portio illius elementi in altiori gradu ſuper alia exiſtentis ; quod nisi ita eſſet , mutua quatuor ſphærarum mixtio & communicatio redderetur impoſsibilis ; & ſic motus non eſſet continuus in toto chaos & per omnes partes ad invicem , nec elementa levia deſcendere nec gravia aſcendere poſſent , quod falſum eſſe in fumo & in calido vapore videmus , in quibus ignis & aer alia elementa ſecum ligata deferunt ſurſum , & in pluvia & grandine , in quibus aqua & terra , quæ aſcenderunt , iterum deſcendentes ſecum ignem & aërem trahunt , ex quibus mineralia & vegetabilia impinguantur & fœcundantur ; cùm ignis & aër ſint principia vitæ & generationis , & ideo valet

plus

plus una cœli irrigatio, quàm plures aquæ jam evacuatæ; & ſic ex elementis generantur & multiplicantur vegetabilia, & ex his ab agente naturali tranſmutatis animalia generantur; quod totum ſenſualiter videtur & ſpiritualiter intelligitur: &, cùm verior ſit Philoſophia, quæ magis veram ſignificat Theologiam, nam vera Philoſophia ſcala veræ Theologiæ eſt, quia ad hoc à Deo eſt poſita, ut inviſibilia ejus per ea quæ facta ſunt in naturâ, intellecta conſpiciantur; ideo qui vult invenire alicujus Philoſophiæ veritatem (dato quòd ſint multæ) cùm non ſit poſſibilis nisi una, lucem paralelæ Theologicæ non effugiat; nam ſi effugiat, veritatem ſcire non amat.

17 Pergendo nunc modo groſſo, in dicto ſuppoſito elementato habente in ſuo loco ſuam portionem omnium, quæ dicta ſunt à principio uſque ad finem, eſt ita forma ſecunda in materia ſecunda & è converſo, & accidens in accidente & ſubſtantia in accidentibus & è converſo, quod inter formam & materiam, &c. ſuperficies non eſt; hoc idem de forma & forma, de materia & materia eſt dicendum, exiſtente una forma ſub quatuor formis & una meteria ſub quatuor materiis & etiam ſub quatuor formis. Idem etiam eſt de formarum & materiarum partibus, nam inter partem & partem ſuperficies non eſt, ſicut inter ignem & aërem, aquam & terram, quæ in ſuppoſito ſunt mixta; in quo patet, ſubſtantiam mixti eſſe in ſe ipſa collocatam, aliis ſuarum partium exiſtentibus in aliis ſinè ſuperficie loci; & ideo totius ſubſtantiæ locus eſt collocatus in tertio chaos ſinè ſuperficie loci exiſtente inter locum univerſalem & particularem, quia locus univerſalis accidentaliter tranſit per totum locum particularem propter influentiã primi chaos in tertium, ſicut lux ignis in camera ſinè ſuperficie lucis & aëris, per ipſum aërem tranſiens uſque ad parietis ſuperficiem non reflectitur, nec ſiſtit.

18 Evidens hujus eſt ſignum mixtio vini & aquæ, inter quæ non eſt ſuperficies, quia eorum partes eſſentiales & accidentales invicem mixtæ exiſtunt, quod non fit in frumenti ſacco, ubi ſola mixtio eſt de partibus integralibus propter intermedias ſuperficies. In quo videtur quod ratio,

tio, quare duo corpora non poſſunt eſſe in eodem numero loco, eſt, quia unius dura & compacta ſuperficies ingreſſum alterius à ſe repellit; quod quidem tolleretur impedimentum, ſi duo ſilices v. g. diſſoluti pinſerentur ſimul, tunc quilibet in loco eſſet alterius, ſicut in nummo ex argento & cupro bene mixtis quodlibet eſt in loco alterius; & ideo, licèt inter aliud & aliud ſuppoſitorum ſit ſuperficies, tamen non eſt inter primum & tertium chaos, quia primum eſt per totum tertium, ſicut materia prima per totam ſecundam eſſentialiter, virtualiter, & localiter exiſtit.

19 Amphora & vinum in ipſa contentum ſunt duo corpora & ſuppoſita realiter diſtincta & ſeparata, & ideo neutrum eſt in loco alterius, quia vinum ſuam habet propriam ſuperficiem & amphora ſuam realiter diſtinctam ab illa; &, ſi vinum eſſet in loco amphoræ & è converſo, ſua ſuperficies & ſua materia & forma eſſent intra ſuperficiem & materiam & formam amphoræ & è converſo, quod falſum cernitur eſſe, quia ambo non ſunt mixta & continua, ſed ſolùm contigua; & ideo quodlibet ſuum proprium habet locum diſtinctum, cui loco ſubjicitur, ſicut vinum ſuo ſubjicitur colori, quantitati, &c., & ſimiliter amphora ſuis accidentibus; ſubjectum autem locorum utriuſque eſt locus primi chaos per totum vinum & per totam amphoram exiſtens, ſicut natura univerſalis per tota ſua particularia; & ideo, ſi annihilaretur totum contentum ab amphora, adhuc vacuum in ea non eſſet, quia in ſuo loco plena ſicut antea remaneret.

20 Unde: in facta ſuppoſitione placet inquirere, an ſit poſsibile dari vacuum in rerum natura? & ad reſolutionem exhibendam percontor, an in illo vacuo dictæ amphoræ eſſet Deus? ſi non eſſet, ideo ibi non eſſet, quia tale vacuum non datur in rerum natura, nam Deus neceſſariò eſt in omni, quod datur in tota natura: etiam, ſi ibi Deus non eſſet, nihilominùs ipſe, qui potuit annihilare contentum, poſſet iterùm continens implere per aliud corpus, quod per ſe ipſum implere nequibat: etiam, ſi Deus ibi non eſſet, ſua Eſſentia eſſet terminata per totum concavum illius amphoræ; quæ omnia, cùm

cùm impoſsibilia ſint, ſequitur, impoſsibile eſſe vacuum in rerum natura, in quo non ſit Deus nec creatura. Si dicatur, Deum in illo vacuo eſſe, jam non eſſet vacuum, quia eſſet Deo plenum, & hujuſmodi vacuum, ſeu potiùs plenitudo, nedum eſt poſsibile, verùm infinitè actuale extra ſupremam cœli ſuperficiem, inde locum relegans, quia eſt extra omnem locum, & ſpatia imaginaria, quia virtus imaginativa non poteſt omnis loci tranſilire metas, nec ultrà eas evagari; & ſic dictum vacuum eſſet nihil; & cùm omne id, quod in rerum natura datur aliquid ſit, neceſſariò ſequitur, vacuum in illa non dari. Imò, ſi totus mundus annihilaretur, adhuc non daretur vacuum, ſicut non dabatur antequam mundus eſſet, & in hoc videtur falſitas imaginationis imaginantis eſſe locum, quod nihil eſt. Verum quidem eſt in mundo plures eſſe defectus à cauſis ſecundis, & præcipuè à liberis provenientes, ſcilicet cæcitates, ſurditates, vitia moralia & peccata, quæ reverà ſunt vacuitates; at in opere ſolius Cauſæ primæ, quod eſt univerſum creatum, eſt vacuum impoſsibile, quia ſignificationem daret defectus Divinæ Poteſtatis, qui eſt maximè impoſsibilis.

21 Clarificetur tandem veritas ſic: ſicut ex colore vini in vitro contenti coloratur vitrum per accidens, ita ex eſſentia loci continentis locificatur contentum per accidens, & ſic apparet figura loci in continente & contento, ſcilicet in vitro & vino; ſed, ſicut color vini eſt vitro improprius, ita locus contenti eſt improprius continenti & è converſo, & ſic locus propius cujuslibet rei eſt in ipſa re, & omnia loca propria ſunt in loco communi & univerſali ſita & collocata, qui localiter illa continens indiviſibiliter & immutabiliter in ſe (licèt loca inferiora corrumpantur) & à nullo alio localiter contentus; eſt major & clarior Divinæ Immenſitatis imago immutabiliter omnia mutabilia comprehændentis, quin ab alio comprehendatur.

NO-

NONA REGULA.

1 REGULA hæc de Modalitate omnes inveſtigat modos eſſendi & operandi rerum tam partialiter, quàm totaliter, & vocatur *Quomodo*, & duas habet partes, quarum prima quatuor habet ſpecies, & ſecunda quinque, ut in Tabula Generali Tomi 5. Nunc brevitatis cauſâ ſolùm de prima parte agetur ſecundùm ſuas 4. ſpecies, quarum prima docet quomodò pars eſt pars in ſe & operatur in ſe; ſecunda docet quomodò pars eſt in alia parte & operatur in illa; tertia docet quomodò partes ſunt in toto & è converſo operando in illis; quarta ſpecies docet quomodò totum extra ſe ſuam mittit ſimilitudinem.

PRIMA SPECIES.

2 PER primam igitur ſpeciem quæritur, quomodò Bonitas Dei, quæ non eſt pars, ſed totus Deus, eſt in ſe & operatur in ſe? & reſpondetur primò, quòd Bonitas Dei eſt in ſe eo modo, quo Deus per ipſam eſt bonus; &, cùm Deus ſit bonus per ſe ipſum, hoc modo ipſa Bonitas in ſe eſt ipſe Deus. Etiam Bonitas Dei eſt in ſe eo modo, quo eſt magna; &, cùm ſit magna per ſe, hoc modo eſt ipſa Magnitudo, ut non ſit magna per accidens. Etiam Bonitas Dei eſt in ſe eo modo, quo eſt perfecta; &, cùm ſit infinitè perfecta in omni perfectione per ſe ipſam & non per aliud, hoc modo eſt in ſe omnis infinita Perfectio. Etiam Bonitas Dei eſt in ſe eo modo, quo Divina eſt eſſentialiter; ſed eſt Divina eſſentialiter per ſe ipſam: ergo hoc modo eſt ipſa Divina Eſſentia.

3 En modum, quo Bonitas Dei eſt in ſe & per ſe ipſe Deus, omnia Divina Attributa ſive Perfectiones eſſentiales & tota Divina Eſſentia; & hoc idem verificatur æqualiter de Magnitudine Dei Æternitate & de omni Divino Attributo. Qualis eſſendi modus omni creaturæ tam totaliter, quàm partialiter eſt impoſſibilis; nam homo v. g. eſt ſup-

poſitum ſive eſſe humanum per eſſentiam ab ipſo diſtinctam, ſcilicet per humanitatem; aliter Divinum Verbum ſuppoſitum aſſumpſiſſet humanum, quod falſum eſt; & bonitas creata eſt magna non per ſe ipſam, ſed per Magnitudinem à ſe diſtinctam, & ſic de aliis; & ideo ſolus Deus eſt quidquid eſt per ſe ipſum, & ſola Divina Bonitas, & ſic de aliis Attributis, eſt quidquid eſt per ſe ipſam. Et ſic eſt intelligenda propoſitio dicens: ſolus Deus eſt bonus per eſſentiam, ſcilicet, quòd ipſe eſt ſua Bonitas, per quam eſt bonus, quia aliter propoſitio eſſet falſa, cùm bonum creatum etiam ſit bonum per eſſentiam, nempe per bonitatem, quæ eſt eſſentia boni; ſed, quia bonum, quod eſt eſſe talis eſſentiæ, non eſt ipſa eſſentia, nempe Bonitas; ideo nullum bonum creatum eſt bonum per eſſentiam ſicut Deus. Totum hoc confirmat D. Anſelmus, qui cum Deo loquens ait: *Quidquid es non per aliud es, quàm per Te ipſum. Tu es igitur ipſa vita, qua vivis; & ſapientia, qua ſapis; & Bonitas ipſa, qua bonis & malis bonus es; & ita de ſimilibus.* In Proſol. cap. 12.

4 Reſpondetur ſecundò ſive ad ſecundum quæſiti, Dei Bonitatem in ſe duobus modis operari, uno modo per ſuum bonificativum tantùm, & alio per ipſum bonificativum & ſuum bonificabile ſimul; primò modo operatur generativè, & ſecundo ſpirativè; nam primo modo operatur bonificativum ipſius Bonitatis generando de tota ſua bonificativitate totam ſui generabilis bonificabilitatem, & alio modo bonificativum & bonificabile ipſius Bonitatis operantur ſpirando de tota ſua bonificativitate totam ſui ſpirabilis bonificabilitatem. Et primo modo bonificativum, quod eſt Pater de tota ſua propria bonificativitate generando bonificat & bonificando generat totum ſuum bonificabile generabile, quod eſt Filius; & uterque de tota ſua communi bonificativitate ſpirando bonificat & bonificando ſpirat totum ſuum bonificare ſpirabile, quod eſt Spiritus Sanctus, & ſic Bonitas Dei diſtinctum habet modum operandi in ſe, ſed æqualem tam in eſſendo, quàm in operando.

5 Etiam Dei Bonitas operatur in ſe per modum naturæ

ræ intelligendi & per modum naturæ amoris ; per modum naturæ intelligendi , quia bonificativum , quod eſt intellectivum & activitas omnium Attributorum de tota ſua intellectivitate naturaliter intelligendo producit totum ſuum intelligibile bonificatum ; & operatur per modum naturæ amoris , quia bonificativum , quod eſt amativum , & bonificabile,quod eſt amabile amando ſe mutuò , per omnia Attributa producunt ſuum naturale amare , quod eſt ſpirabile bonificare. Et in hoc apparet propria diſtinctio Generationis Divinæ ab Spiratione, ſcilicet , quòd Divina Generatio per omnia Attributa eſt productio unius ab uno,& Spiratio eſt unius à duobus , ſive explicetur per Amorem , ſive per quodcumque Attributum, cùm omnia in illa & ad illam concurrant.

6 Bonitas Angeli in ſe ipſa eſt eo modo , quo eſt pars ſubſtantialis ipſius Angeli , & hoc modo Angelus per talem Bonitatem eſt ſubſtantialiter bonus. Bonitas Angeli in ſe ipſa eſt tribus modis, ſcilicet formaliter , materialiter , & conjunctivè , & hoc modo eſt diſtincta in tres partes , ſcilicet in ſuam bonificativitatem,quæ eſt ſua forma , in ſuam bonificabilitatem ,quæ eſt ſua materia , & in ſuum bonificare , quod eſt ſuus actus , in quo forma & materia ipſius Bonitatis conjunguntur;& hoc modo iſta tria unita ſunt ipſa Bonitas , & Bonitas eſt illa tria ſinè aliqua diſtinctione. Et hoc modo Angelica Bonitas in ſua unitate & trinitate eſt perfecta imago Divinæ Bonitatis,quę eſt Trina & Una , cùm ſit ipſa Deitas , de qua canit Eccleſia. *Te Trina Deitas Unaque poſcimus* ; ſimiliter eſt dicendum de Magnitudine & aliis partibus ſubſtantialibus ipſius Angeli. Sed in hoc deficit Bonitas Angeli & quælibet alia Bonitas creata à perfectione Divinę Bonitatis,quòd in ipſa Bonitate Angeli ſua tria correlativa non ſunt arithmeticè æqualia,ſed ſolùm geometricè , hoc eſt proportionaliter , & ideo unum dependet ab alio , ſcilicet bonificabile à bonificativo , & bonificare ab utroque ; ſed in correlativis Divinę Bonitatis eſt impoſſibilis dependentia propter infinitam æqualitatem , & ideo in Angelo eſt materia & non in Deo , quia forma ſemper eſt nobilior ſua materiâ. Etiam

in correlativis Bonitatis Angeli eſt ſola unio, ut uniantur eſſentialiter & ſint una eſſentia partialis & ex partibus compoſita; ſed in correlativis Divinæ Bonitatis eſt unio infinita, quæ eſt identitas, ut Divina Bonitas ſit Eſſentia totalis ſimpliciter & ſinè partibus. Similiter eſt dicendum de Magnitudine & aliis principiis creatis in omni creatura.

7 Bonitas Angeli operatur duobus modis, primus eſt in operatione de uno ad unum, ſcilicet de bonificativo ad bonificabile vel de forma ad materiam, & ſecundus eſt in operatione de duobus ad unum, hoc eſt, de bonificativo & bonificabili ad bonificare, vel de forma & materia ad actum ſubſtantialem, & ſic Bonitas in ſua eſſentia eſt plena & poteſt eſſe principium bonificandi ad extra, & ſic eſt perfecta imago operationis Divinæ Bonitatis, in qua per primum modum Pater generat Filium, & per ſecundum Pater & Filius ſpirant Spiritum S. Nam in primo modo ſolùm eſt fluxus primi numeri ad ſecundum, & in ſecundo modo eſt fluxus primi numeri cum refluxu ſecundi in tertium numerum, in quo primus & ſecundus numerus connectuntur ut numerus maneat completus & abſolutus, ſicut ſubſtantia creata manet numerata abſoluta & completa in numero primæ, ſecundæ, & tertiæ entitatis, in qua prima & ſecunda conjunguntur & quietantur, cùm non debeant aliquid ultra requirere ad proprium complementum, & pater & mater in ſuo filio, in quo duo fiunt in carne una, & potentia & objectum in ſua notitia, & Beatus & Deus in viſione beata.

SECUNDA SPECIES.

8 PER ſecundam ſpeciem, licèt in Deo non ſint partes, quæritur, quomodò una Dignitas illius eſt in alia & operatur in illa? & reſpondetur, in Deo eſſentialiter non eſſe unam & aliam Dignitatem, quia omnes Divinæ Dignitates ſive Attributa eſſentialia ſunt una ſimpliciſsima Dignitas & unum ſimpliciſsimum Attributum eſſentiale, quod eſt Divina Eſſentia; ſed, quia in Deo ſunt proprie-

prietates eſſentiales diſtinctæ realiter per omnes Divinas Dignitates, ſcilicet Paternitas, quæ eſt proprietas activa Divinæ Bonitatis, nempe bonificativitas, & identicè eſt magnificativitas Divinæ Magnitudinis & omnis activitas omnium Dei Dignitatum; & Filiatio, quæ eſt alia proprietas, nempe bonificabilitas ejuſdem Divinæ Bonitatis, & identicè eſt magnificabilitas Divinæ Magnitudinis & omnis paſsibilitas omnium Dei Dignitatum; & alia proprietas, nempe paſsiva ſpiratio, quæ eſt bonificare ejuſdem Bonitatis ab utraque proprietate procedens, & eſt magnificare Magnitudinis identicè & omnis actus omnium Dei Dignitatum, qui actus eſt tertia proprietas à prima & ſecunda proprietate ejuſdem Bonitatis & Eſſentiæ individuæ procedens: hoc modo eſt in Deo alia & alia Dignitas propriè relativè perſonaliter & operativè diſtinctæ pleniſsima diſtinctione reali, quia quælibet proprietas, quæ eſt realitas infinitè plena, de tota ſua infinita plenitudine producit infinitam plenitudinem realitatis productæ. Nam D. Auguſtinus ſic reprehendit, qui aſſerebat contrarium: *In qua ſententia utrumque blaſphemas; & Patrem ſcilicet, quia non tantum genuit, quantus eſt ipſe; & Filium, quia talis tantuſque naſci non meruit, qualis quantuſque eſt ille qui genuit.* Lib. 3. contra Maxim. cap. 23.

9 Hac præſuppoſitione ad quæſitum reſpondetur, Dei Bonitatem, quæ proprietas eſt Paternalis, eſſe in Magnitudine, quæ eſt proprietas Filialis per identitatem Eſſentiæ, & eodem modo eſſe in Æternitate & in omnibus Dignitatibus. Etiam Bonitas Dei, quæ eſt proprietas Paternalis & etiam Filialis, eſt in Magnitudine, quæ eſt proprietas ſpirabilis, per identitatem Eſſentiæ, & eodem modo eſt in omnibus Dignitatibus; & propter hanc Identitatem quælibet Dignitas eſſentialis eſt tota Divina Eſſentia, & tota Divina Eſſentia eſt Pater & Filius & Spiritus S., & hi Tres Unum ſunt eſſentialiter. Sed quælibet Dignitas per unum modum eſt proprietas in Patre, per alium modum eſt proprietas in Filio, & per alium in Spiritu S.; & hoc modo una Dignitas Dei eſt in alia.

Reſ-

10 Reſpondetur ſecundò, unam Dei Dignitatem in alia operari prout diſtinguitur relativè perſonaliter vel operativè ab illa, & hoc modo bonificativitas, quæ eſt proprietas Patris, eſt in bonificabilitate, quæ eſt proprietas Filii generando illam, & eodem modo eſt in magnificabilitate & in aliis Dignitatibus. Etiam bonificativitas & bonificabilitas, quæ ſunt duæ ejuſdem Bonitatis proprietates, ſunt in ſpirato bonificare magnificare & in omni actu Dignitatum Dei, qui actus eſt tertia proprietas Spiritus Sancti ſpirata à prima & ſecunda proprietate, & hoc modo una Dignitas Dei in alia operatur.

11 Una pars Angeli eſt in alia unitivè, ſcilicet Bonitas in Magnitudine & in omnibus aliis partibus, quia quælibet eſt diſtincta ab omni alia, & per unionem omnes connectuntur, ut hoc modo ex omnibus fiat unum compoſitum Angelicum. Etiam in Angelo Bonitas eſt in Magnitudine operativè, quia ipſam bonificat accidentaliter & ſubſtantialiter hoc modo: Bonitas recipiens in ſuo eſſentiali & intrinſeco bonificabili Magnitudinem producit in illa Bonitatem accidentalem induentem & diſponentem ipſam Magnitudinem, (ſicut calor induit & diſponit lignum accidentaliter ut ignificetur ſubſtantialiter) &, quia bonificativum ſubſtantiale ipſius Bonitatis inceſſanter bonificat in ſuo intrinſeco bonificabili, ideo bonificat quidquid in illo receptum eſt accidentaliter, cùm non ſit de ſua natura; &, quia Bonitas non poteſt relinquere ſuum inſtrumentum, ſuum ſcilicet accidens, & iſtud non poteſt ire ſinè ſuo ſubjecto, ideo utrumque in Magnitudinem intrat & per totam illam diffunditur, & hoc modo ipſam accidentaliter & ſubſtantialiter bonificat. Eodem modo Magnitudo in Bonitatem operatur, illam æqualiter magnificans, & ſic quælibet pars ſubſtantialis & accidentalis ſubſtantialiter & accidentaliter per omnes alias partes, & omnes per quamlibet multiplicantur, ut Bonitas ſit ſubſtantialiter & accidentaliter magna, durabilis, potens, & perfectè principiata per omnes alias partes, & ſic de omnibus aliis, in quo circulatio principiorum naturalium Angelicæ ſubſtantiæ perfecta conſiſtit.

Si-

12 Similiter eſt in omni parte & principio omnium entium naturæ corporalis, cum hac tamen differentia, quòd compoſitio Angeli eſt in inſtanti ſuæ creationis intenſo, & cum prædicto ordine & mutuâ dependentiâ communicationis ſuarum partium perſeverat; in ente verò genito eſt compoſitio ſecundùm ſuam ſpeciem cum temporali ſucceſsione & extenſione, prout ſua triplex natura & ſpecies requirit.

TERTIA SPECIES.

13 PER tertiam ſpeciem quæritur, quomodò Dignitates ſunt in Deo & Deus in illis, & quomodò in ipſis operatur? Et reſpondetur, Dignitates in Deo & Deum in illis eſſentialiter identicè & convertibiliter eſſe, & hoc modo Bonitas Dei eſt Deus, & Deus eſt ipſa Bonitas. Æqualiter eſt de Magnitudine & omnibus aliis; & hoc modo omnes Dei Dignitates ſunt ipſe Deus, & Deus omnes ipſæ eſt; & cùm Deus ſit unum purum & ſimpliciſſimum eſſe in omnibus ſuis Dignitatibus, hoc modo omnes Dignitates in Deo ſunt una pura & ſimpliciſsima Eſſentia Natura & Subſtantia Divina. Et iſte modus eſſendi & convertendi eſt ita neceſſarius in Deo & ejus Dignitatibus, ut ſinè illo Deus multiplex eſſet, ût optimè perſpexit Doctor Mellifluus, qui loquens de Deo ad Eugenium Lib. 5. de Conſid. cap. 7. ait: *Dicimus magnum bonum & juſtum & innumera talia; ſed, nisi omnia unum in Deo conſideres, habebis multiplicem Deum.*

14 Reſpondetur ſecundò ſive ad ſecundum quæſiti, Deum duobus modis operari in omnibus ſuis Dignitatibus per omnes actus ipſarum, qui ſunt bonificare magnificare æternare & omnes alii, qui omnes actus uno modo ſunt Generare, & alio modo ſunt ſpirare; & ſi haberemus terminos ſimplices, quibus ſinè periphraſi poſſemus uti, loquendo de Deo, non deberemus uti terminis compoſitis dicendo v. g. *generatio activa, generatio paſsiva*, & ſimiliter de ſpiratione, cùm ambo termini ſecundùm naturam ter-

terminationis ſint activi, vel ſignificent actionem; & propter defectum Grammaticæ debemus multiplicare voces ad rem ſimplicem ſignificandam, qualis eſt Generatio & Spiratio Divina; & propter dictum defectum B. Raymundus multoties cogitur uti terminis inuſitatis ad majorem vim ſignificationis exprimendam, & hæc eſt una ex rationibus, quare dixi ſupra, quòd terminus putatitiè barbarus *bonificare* in terminum comptum *benefacere* non mutaretur, quia hoc non bene fieret, cùm hic ſit actus benefactoris extrinſecus, & ille, actus intrinſecus Bonitatis. Similiter igitur, ût dictum eſt, ſunt intelligendi actus Divinarum Dignitatum, ſcilicet bonificare magnificare, &c.; & ideo, quando loquor de bonificare, quod exit à duobus, addo *ſpiratum* vel *ſpirabile*: ſic etiam debet poſſe dici bonificare, quod eſt ſpirare activum & bonificare quod eſt generare, cùm de Divina Bonitate ſit Generatio & Spiratio.

15 Eſt etiam advertendum, in Divina Generatione eſſe generativum, generabile, & generare, quæ non ſunt tria correlativa diſtincta, ſicut in Divina Bonitate ſunt tria correlativa diſtincta bonificativum, bonificabile, & bonificare; & ratio eſt, quia, licèt generativum ſit correlativum diſtinctum à generabili, cùm hoc ab illo naſcatur, tamen generare non diſtinguitur ab illis, quia non producitur de utroque, ſicut bonificare producitur de bonificativo & bonificabili, & ideo hoc eſt ab illis diſtinctum; generare verò activum eſt Pater, ſicut generari paſsivum eſt Filius. Similiter in Divina Spiratione ſpirativum eſt Pater & Filius, ſpirabile eſt Spiritus S. & ſpirare activum eſt ipſe Pater & Filius, ſicut ſpirari paſsivum eſt ipſe Spiritus S. At in Divinæ Bonitatis correlativis eſt diſtinctio trium perfectè expreſſa, ût dictum eſt.

16 His præſuppoſitis, cùm actus Divinarum Dignitatum ſint communes ad generare & ſpirare, Deus in ſuis Dignitatibus duobus modis operatur, ſcilicet generando & ſpirando, & ſic Deus per bonificare unius in unum generat, & æqualiter per magnificare æternare, &c., & iſte eſt primus modus operandi, per quem Divina Generatio eſt bona magna & æterna potens

tens intelligibilis & amabilis, virtuoſa vera glorioſa & infinitè perfecta in omni perfectione; quod minimè ita eſſet, niſi Deus generaret per omnes actus ſuarum Perfectionum & Dignitatum. Secundo modo Deus per bonificare magnificare æternare, &c. duorum in unum, operatur ſpirando, & ideo Divina Spiratio æqualiter eſt glorioſa vera & virtuoſa, amabilis intelligibilis & potens, imò etiam juſta humilis & miſericors in Æternitate & Magnitudine Bonitatis & omnis infinitæ Perfectionis.

17 Notabiliter dixi, Divinam Spirationem eſſe juſtam humilem & miſericordem in Æternitate, quod æqualiter eſt de Divina Generatione; nam Deus Pater, ut ſit juſtus non indiget creaturis, & cùm neceſſario ſit juſtus infinitè diſtans ab omni iniquitate, hoc neceſſariò habet de ſua æterna Juſtitia, de qua operatur æternaliter generando Filium infinitè juſtum primo modo operandi, & ſecundo modo Pater & Filius operantur ſpirando æternaliter de tota ſua æterna Juſtitia Spiritum Sanctum infinitè juſtum. Similiter Deus non indiget creaturis, ut ſit humilis, cùm per ſe ipſum infinitè diſtet ab omni ſuperbia, nec etiam indiget miſeriâ alienâ, ut ſit infinitè miſericors, cùm per ſe ſit infinitè remotus ab omni crudelitate: ergo, ut ſit æternaliter humilis & miſericors Deus Pater, poteſt ipſi ſufficere, quòd de tota ſua Humilitate & Miſericordia operetur dupliciter, generando ſcilicet unum Filium, & cum ipſo ſpirando Spiritum Sanctum infinitè humiles & miſericordes.

18 Partes Angeli ſunt in eo duobus modis, ſcilicet ſubſtantialiter & accidentaliter; ſunt ſubſtantialiter, ut ex ipſis ſit compoſita tota ſubſtantia Angeli; & ſunt accidentaliter, ut ipſa ſubſtantia ſit quantificata, qualificata, relata, actionata, paſsionata, locificata, temporificata, ſituata, & habituata. In Angelo ſunt partes minores, ut de ipſis ſint compoſitæ partes majores, ſcilicet forma & materia totales, & iſtæ ſunt, ut de illis immediatè ſit totum Angelicum bonum magnum durabile & perfectum ſubſtantialiter, quantum quale & perfectum etiam accidentaliter; & his modis ſunt partes in Angelo & Angelus in illis.

19 Angelus in omnibus ſuis partibus tantifariàm operatur, quantifariàm ſunt ipſæ partes; & ideo in ſua Bonitate uno modo & in ſua Magnitudine alio modo operatur; & ſimiliter de omnibus aliis partibus Angeli circulariter, in quarum qualibet Angelus non ſolùm habet duplicem modum operandi ad ſimilitudinem DivinarumDignitatum, ſed etiam habet alium modum operandi accidentaliter ad ſimilitudinem ipſarum; & his modis Angelus benè magnè durabiliter & perfectè eſt recolitivus intellectivus & amativus uno modo, & alio modo eſt recolibilis intelligibilis & amabilis, & alio modo eſt recolens intelligens & amans, &c.

20 Similiter ſunt partes in toto elementato, modo minuto, ut per Bonitatem univerſalem, quæ eſt diffuſa ſubſtantialiter & accidentaliter per omnia alia principia univerſalia, ſit ipſum totum totaliter bonum ſubſtantialiter & accidentaliter, per Magnitudinem ſit magnum ſimiliter, & eodem ſimiliter modo per alia principia ſit plenè principiatum. In ipſo toto, modo groſsiori, ſunt quatuor elementa ſubſtantialiter & accidentaliter, unum quodlibet per omnia alia, & omnia per illud, & accidens cujuslibet per omnium accidentia, & è converſo, & tota forma ſubſtantialis per totam materiam & è converſo; & hoc modo totum eſt ſubſtantialiter & accidentaliter elementatum, & in dictis partibus formatum, & materiatum.

21 Etiam in ipſo elementato quantitas formæ ſubſtantialis eſt per totam quantitatem materiæ, & è conversò, & ipſa quantitas eſt per totam qualitatem & per omnia alia accidentia, & è conversò; & hoc modo non datur aliqua vacuitas in mixtione omnium partium ſubſtantialium & accidentalium diſcretarum ſimpliciter & compoſitè; & ſic duæ cauſæ intrinſecæ ſubſtantiales diſcretæ cum ſuis accidentibus ſunt in toto producentes illius ſubſtantiam continuam, quantitatem, qualitatem, & cætera accidentia continua extenſa & mixta totaliter ad invicem & per totam ſubſtantiam; & hoc modo omnes partes ſubſtantiales & accidentales à primis, ût ſupra tactum eſt in Regula *de Localitate*, per elementa ſim-

ſimplicia, & compoſita, per formam & materiam primas & ſecundas, ſunt in elementato & elementatum in illis; quod eſſet impoſsibile, ſi partes in ipſo non manerent ſubſtantialiter, quia ex ſolis accidentibus non poteſt fieri ſubſtantia, ût per ſe patet.

22 Totum elementatum vegetatum ſenſatum & imaginatum operatur in ſuis partibus uno modo elementando, alio modo vegetando, alio modo ſenſando, & alio modo imaginando, nam tale totum naturaliter indiget omnibus his modis ad ſui conſervationem; ſicut leo, qui indiget calefieri in frigore quartanæ, humefieri & frigefieri in calore & ſiccitate ſitis, exſiccari in nimietate pinguedinis, &c. in ſua elementativa: & ut nutriatur in ſua vegetativa indiget appetere nutrimentum, retinere illud, ut digeratur, digerere, ut convertatur, et expellere reliquias digeſtionis, nè corrumpatur; et in ſua ſenſitiva indiget videre, audire, &c., ut poſsit capere prædam; et in ſua imaginativa indiget imaginari ſpecies ſenſibilium, quando non poteſt ſentire res abſentes propter nimiam diſtantiam; et omnibus his modis leo in vita ſua conſervatur.

QUARTA SPECIES.

23 PER quartam ſpeciem quæritur, quomodò Deus mittat vel producat extra ſe ſuam ſimilitudinem? et reſpondetur, quòd ad inſtar illius modi, quem Deus habet eſſendi et operandi in ſe ipſo, miſit vel produxit extra ſe ſuam ſimilitudinem creando et operando artificialiter mundum de nihilo; nam ille Divinus modus eſt Divini Artificis æterna idea, et mundus creatus eſt talis ideæ ſimilitudo, ſicut domus ad extra ædificata eſt ſimilitudo internæ ideæ artificis; et ideo eo modo, quo Deus eſt Unus poſuit ſimilitudinem ſuæ Unitatis in mundo, ut mundus non eſſet nisi unus; et, quia infinitas Perfectionis Divinæ Unitatis excludit multiplicitatem Deorum, quia ſi eſſent multi Dii nullus eſſet infinitè perfectus, cùm quilibet eſſet in alio terminatus, ſimili modo ſimilitudo infinitæ Perfectio

tionis Divinæ Unitatis producta in hoc uno mundo, mundorum pluralitatem excludit, quia unus mundus, in quo sint unitæ omnes perfectiones millenorum millium mundorum, si essent possibiles, est perfectior, quàm millia millium mundorum per varios orbes disperſorum, & perfectiùs infinitam Divinæ Unitatis Perfectionem ipſe ſolus ſignificat, quàm omnes dicti mundi, ſi eſſent poſsibiles; & ideo Deus non vult velle nec poſſe alium mundum quoad effectum creare, quin alterius mundi impoſsibilitas in minimo ejus Divinam Voluntatem & Poteſtatem coarctet.

24 Ut autem faciliùs attingatur aliqualis tranſcendentia, quæ in hoc puncto verſatur, conſideretur, quòd creaturarum poſsibilitas & impoſsibilitas non poteſt in Dei actualitatem ad expediendum vel impediendum eam intrare, quia omnis poſsibilitas & impoſsibilitas omnino à Divina actualitate dependent, & hæc nullatenus dependet ab illis; & ideo, ſi Divina Voluntas vult rerum poſsibilitatem, Divina Poteſtas illam poſsificat, vel efficit talem poſsibilitatem; &, ſi non vult, manet impoſsibilitas vel carentia poſsibilitatis. Et ſic nulla eſt alicujus entitatis poſsibilitas, quamvis minimæ, cujus Divina Poteſtas non ſit cauſa efficiens; & ideo, donec Divina Voluntas velit & Divina Poteſtas poſsibilitet alterius mundi poſsibilitatem, talis poſsibilitas numquam erit. Ita aſſerit Div. Anſelmus in Opuſculo multarum bonarum rerum Venetiis impreſſo fol. 103., ubi ait: *Omnis neceſsitas & impoſsibilitas, ejus (Dei) ſubjacet Voluntati. Quippe, quod vult neceſſe eſt, & quod non vult impoſsibile eſt eſſe.*

25 Deus etiam modo quo eſt Trinus poſuit in mundo ſuæ Sanctiſsimæ Trinitatis ſimilitudinem in trina naturæ creatæ ſpecie, ſcilicet in natura corporali, in natura compoſita ex corporali & ſpirituali, quæ eſt media, & in purè ſpirituali natura, ex quibus tribus eſt una ſubſtantia totius mundi aggregata, & ſimiliter fecit in omni particulari trinæ ſpeciei ſubſtantiâ. Et eo modo, quo Deus eſt bonus poſuit in mundo ſimilitudinem ſuæ Divinæ Bonitatis in Bonitate univerſali & in omni Bonitate particulari; &, quia Deus eſt magnus æternus et æqua-

æqualiter perfectus per omnes ſuas Dignitates, hoc modo poſuit in mundo Magnitudinem, Durationem, & alias æquales ſimilitudines Divinarum Dignitatum, & hoc modo mundi duratio debet æqualis eſſe mundiali magnitudini, ſicut & bonitati & cæteris; & ideo, cùm talis magnitudo ſit finita, ſua duratio non poteſt eſſe infinita & æterna; quia, ſi talis eſſet, Æternitas Dei majorem in mundo haberet imaginem, quàm omnes aliæ Dignitates, & Divina Juſtitia hoc permittere neutiquàm poteſt, quia dignum & juſtum eſt, omnes Divinas Dignitates in ſuis imaginibus æqualiter honorari; & etiam, modo, quo Deus mundum in ſua infinita Bonitate excedit, neceſſario etiam debet illum in Æternitate excedere, ſicut in aliis Dignitatibus, quæ ſunt ipſa Æternitas, ût probatum eſt: ergo omnino neceſſarium eſt, mundum inceptum eſſe in tempore & extra Æternitatem.

26 Modo etiam, quo Deus operando in ſe ipſo de ſua Natura producit Opus infinitè perfectius omni opere artificialiter creato ex nihilo, poſuit ſimilitudinem talis operationis in omni Agente naturali, naturæ ſcilicet mineralis, vegetalis, & animalis, ut ipſum in ſe ipſo & de ſua natura naturale opus omni opere purè artificiali longè perfectius naturaliter produceret. Et modo, quo Deus poteſtatem habet mortuos reſuſcitandi ſupra vires naturæ, poſuit talis Pateſtatis ſimilitudinem in homine dando illi poteſtatem, ut cum natura & arte ſimul, corrupta regeneret metalla & incorruptibilia reddat; & ſimiliter de elementis, ût patet in auro regenerato, & medicinâ, cujus regeneratio mortuorum reſurrectioni ſimilis eſt, cùm etiam ſupra vires ſolius naturæ ſit.

27 Modo etiam, quo Deus eſt æqualiter recolibilis intelligibilis & amabilis in ſe per ſuam Divinam Memoriam Intellectum & Voluntatem, ſuam poſuit ſimilitudinem in Angelis & hominibus, ut æqualiter recoleretur, intelligeretur, & diligeretur ab ipſis. Et modo, quo Deus in qualibet ſuarum Dignitatum eſt Trinus et Unus, poſuit in omni Dignitate vel Attributo creaturali ſubſtantiali ſimilitudinem ſuæ Trinitatis in tribus correlativis, & ſuæ Unitatis eſſentialis

lis in una Eſſentia Bonitatis creatæ, Magnitudinis, &c. Et modo, quo Deus eſt ſummè & infinitè Unus & Trinus, ſummam poſuit ſuæ Unitatis ſimilitudinem in Chriſti unitate, & ſuæ Trinitatis in tribus naturis, corporali ſcilicet, ſpirituali creata, & ſpirituali increata, unitis in ſuppoſitali unitate, & hoc modo Chriſtus eſt ſuprema Divinæ Trinitatis & Unitatis imago. Et modo, quo Deus eſt ſummè recolitivus intellectivus & amativus in ſe ipſo, ſuam poſuit ſimilitudinem in Memoria humana Chriſti Divinam Memoriam ſuper omnes memorias creatas & creabiles recolente, & ſimiliter in Intellectu & Voluntate intelligente & diligente Dei Intellectum & Voluntatem ſuper & plùs quàm omnes intellectus & voluntates. Et modo, quo Deus eſt ſupremum Bonum infinitè communicabile, poſuit ſuæ infinitæ communicationis ſimilitudinem in Sanctiſſimo Altaris Sacramento reſpectu hominum, & in Chriſti Humanitate, quæ eſt ſupremum bonum creatum, in quo Deus perfectiſsimè omni naturæ creatæ communicatur.

28 Licèt Deus liberum habeat modum, quo ſit homo liberè & non coactè, quia factus eſt homo, quia voluit, itaut, ſi noluiſſet non eſſet homo, tamen homo in Chriſto neceſſarium habet modum, quo neceſſariò ſit Deus, quia natura creata non valet increatam naturam impedire, nè faciat de illa quidquid velit; hoc non obſtanti, modo, quo Deus eſt æquè liber & neceſſarius, æqualem poſuit ſimilitudinem ſuæ infinitæ Libertatis & Neceſsitatis in Divini Verbi Incarnatione, & hoc modo ipſa Incarnatio eſt æquè libera & neceſſaria libertate & neceſsitate ſimillimis Libertati & Neceſsitati Divinæ; & conſequenter ſola Incarnatio eſt toto mundo neceſſarior.

29 Modo, quo Deus eſt ſummus ſuper omnes ſummitates & ſuper omnes perfectiones perfectus, poſuit in omni linea ſuę ſummæ Perfectionis & perfectæ ſummitatis ſimilitudinem, quę omnibus aliis illius lineæ ſupereſſet (& hæc eſt una ex rationibus, quare in creatis debent eſſe inferiora & minora, itaut omnes lineæ non ſint æquales, quia omne inferius eſt propter ſuperius) & hoc modo in linea ſcien-

ſcientiæ poſuit ſimilitudinem ſuæ ſummæ & perfectæ ſcientiæ in ſcientia & Arte univerſali, quæ eſſet ſuper omnia, quæ ſunt de linea Scientiæ & Artis; & in Medicina univerſali, quæ eſſet ſummum lineæ medicinalis; & in Muſica univerſali, quæ eſſet ſummum lineæ muſicalis; & ſic de cæteris lineis, nè vacuum in ſimilitudinibus Dei valeat reperiri.

30 Et, quia ſummitas Perfectionis, quæ eſt ſuper omnes ſummitates Perfectionis omnium linearum puræ creaturæ, altiori modo Divinam & perfectam ſignificat Summitatem, quàm omnes puræ creaturæ, propter hunc modum, hanc ſuam creavit Deus ſimilitudinem in ſemper Immaculata & Beatiſsima Virgine Maria, quæ pura eſſet creatura ſumma in omni linea Perfectionis tam naturalis, quàm moralis ſuper omnes ſummitates perfectionis creaturalis, quæ non eſt Deificata. Et tandem eo modo, quo Deus eſt ſupremus finis, medium, & principium totius lineę creatæ, hoc modo ſuam ſupremam poſuit in Chriſto ſimilitudinem, ut eſſet caput & principium, medium & finis, ex quo, per quod, & in quo omnis creata natura perfectiſsimè valeret ſupremum finem attingere.

31 En aliqualiter delineatum modum, quo Deus extra ſe ſuam mittit ſimilitudinem, ex cujus notitia poſſunt faciliter detegi innumeræ veritates latentes naturales, ſupernaturales, & morales, in omnibus ſcientiarum objectis; nam, licèt multùm ſit de contingentia & fallibilitate in his, quæ etiam à libera & volubili hominum voluntate dependent, ût in ipſorum ſalvatione pateſcit, quam Deus vult, ſi ipſi velint, quæ ſalvatio in aliquibus deficit, non propter Divinæ Voluntatis defectum, ſed propter voluntatis creatæ culpam, Divinæ Voluntati cooperari nolentis, & ideo veriſsimè dicitur: *Qui fecit te ſinè te non ſalvabit te ſinè te*; in his tamen, quæ à ſola Dei Voluntate dependent, non ita eſt, ût in mundi creatione clareſcit; nam Deus non voluit mundum creari, ſi mundus hoc vellet, ſed præcisè, quia ipſe Deus hoc voluit. Verum quidem eſt, quòd, ſi Deus diceret alicui Carteſiano v. g. volo, quòd ſit alter mundus, ſi tu velis, & nolo, ipſum eſ-

ſe

ſe, ſi tu nolis, tunc eſſe alterius mundi etiam à voluntate ipſius Carteſiani dependeret; ſed, quia impoſsibile eſt, Deum ita velle & nolle, quia ſic volubilem redderet ſuam immutabilem Voluntatem ad humanæ voluntatis volubilitatem, quæ in uno nunc non vult idem, quod in alio volebat, omnimoda videtur impoſsibilitas dictæ ſuppoſitionis. Et ideo, quia poſsibilitas ſalvationis viatorum hominum à ſola Dei juſta voluntate eſt, neceſſaria eſt; &, quia talis poſsibilitatis actualitas etiam à defectuoſa & contingenti ipſorum voluntate dependet; contingens & defectibilis eſt.

32 Alia ſunt poſsibilia, quæ liberè & neceſſariò fient, ſcilicet impletio ruinarum, quas angeli apoſtatæ reliquerunt in cœlo, & converſio totius mundi tamquam medium ipſius, ut plenitudo perfectionis in ſponſa Divini Agni requiſita in nullo deficiat; hæc, inquam, poſsibilia ad actum venient neceſſariò ex parte Divini finis, qui indefectibilis eſt; liberè autem ex parte hominum, quia magna bona, quæ mali homines liberè noluerunt, imò cum odio boni communis quærentes, quæ ſua ſunt totis viribus fieri impedivere, venient optimi viri, qui quærentes, quæ Jeſu Chriſti ſunt liberrimè adimplebunt. Hæc poſtponi fuit neceſſe, ut per predictum ſupremum Dei modum eſſendi & operandi tam in ſe, quàm extra ſe, inferiores modi eſſendi & operandi in creaturis intra & extra, faciliùs cognoſcantur, ût aliqualiter in ſequentibus intueri licebit.

33 Simili igitur modo, quo Deus, mittit vel producit Angelus ſuam extra ſe ſimilitudinem; nam eo modo, quo Angelus unus eſt, unam ſui producit extra ſe ſimilitudinem, & modo, quo trinus eſt in ſua memoria, intellectu, & voluntate, pònit in ſuæ ſimilitudinis unitate tres ſui recolere intelligere & velle ſimilitudines; & modo, quo eſt bonus per ſuam Bonitatem, illam adornat imaginem ſuæ Bonitatis ſimilitudine, & ſimiliter Magnitudinis ſimilitudine, & æqualiter ſuarum omnium Dignitatum ſimilitudinibus; & hoc modo illa ſimilitudo eſt pulcherrima & perfectiſsima ipſius Angeli imago, in qua Angelus inferior omnes videt perfectiones ſubſtan-

tantiales & accidentales & omnes modos eſſendi & operandi illarum, quos ipſæ perfectiones habent in ſe & in Angelo ſuperiori & ipſe Angelus in illis.

34 Modus, exemplo ſenſuali, licèt impari, clarior fiet: ſicut cryſtallum ſupra literas omnifariàm coloris & characteris poſitum attrahit ad ſe ſimilitudines & ſpecies omnium literarum, colorum & characterum, & omnes has in ſe ipſo multiplicat, ſimili modo Angelus inferior in conſpectu Angeli ſuperioris hierarchiæ conſtitutus ipſi Angelo ſuperiori ſua principia naturalia repreſentat, Bonitatem ſcilicet, Magnitudinem, & cætera principia, memoriam, intellectum, & voluntatem & ſuos habitus & actus & quidquid habet in ſe ſubſtantialiter & accidentaliter in eſſe & operari; & Angelus ſuperior attrahit ad ſe omnes illas ſimilitudines & ſpecies ſpirituales, quas multiplicat in ſe ipſo cum omnibus ſuis ſuperioribus & nobilioribus ſimilitudinibus, & ſic multiplicatas Angelo reddit inferiori in una compoſita ſimilitudine, in qua Angelus inferior ſuperioris Angeli majorem videt nobilitatem in omni ejus perfectione, & altiorem modum recolendi, intelligendi & amandi Deum, ſe ipſum & alios Beatos, & fruendi Deo, ſe ipſo & aliis, & in hac Angelus inferior perfectiùs videt Deum, ſe ipſum & alios, quàm in ſua propria ſimilitudine. Et hoc non impedit, quin Angelus inferior immediatè glorificetur à Deo, quia Deus glorificat immediatè & mediatè per omnes modos, ut non ſit vacuitas in plenitudine gloriæ.

35 Sicut etiam ignis mittit extrà ſe ſuam caliditatem in aërem, in quo ipſa caliditas ipſius aeris humiditate induitur, & mediante aëre infundit ipſam caliditatem in aquam, in qua caliditas humefacta frigiditate induitur, & mediantibus aere & aqua infundit eam in terram, à qua terrâ iterùm ſuam eamdem recuperat caliditatem multiplicatam per alias qualitates, in quo fit elementorum compoſitio & communicatio per concordantiam immediatam, licèt ſit cum contrarietate mediata; ſimili modo ſinè comparatione, altiori, cùm ſit cum ſola concordantia & ſpiritualiter, eſt Angelorum communicatio, con-

verſatio & locutio per fluxum & refluxum ſuæ ſimilitudinis. Adhuc clariùs videtur in ſpeculo minori poſito in conſpectu majoris, quod minus mittens extra ſe ſuam ſimilitudinem in majus, per reflexionem, illam recuperat multiplicatam cum majoris ſimilitudine; &, ſi ita eſt in re tam ſenſuali propter utriuſque ſpeculi concordantiam in luciditate, diaphanitate, & umbra, quid erit in mutuâ ſimilitudinis repræſentatione puræ intelligentiæ ad puram intelligentiam?

36 Totum elementatum ſuam extra ſe mittit ſimilitudinem duobus modis, ſcilicet ſubſtantialiter & accidentaliter; accidentaliter ſuam ſemper emittit viſibilem ſpeciem, ût patet in objecto colorato ad ſpeculum propoſito, in quod ſemper mittit & ſuam imprimit ſimilitudinem; alias non ſemper emittit ſpecies, ût patet in roſa, quæ ſolùm odoris emittit ſpeciem durante virtute, qua univerſalem primi chaos ſpecificat influentiam intrantem in ipſam roſam ſemper, ſicut in alia elementata, & hoc modo, illa virtute durante, cubiculum odore impletur, & ceſſante roſæ virtute, odor etiam ceſſat. Alii plurimi modi ſunt accidentales, quos nimis eſſet prolixum enarrare; & in colorato ſonoro odorifero guſtabili & tangibili jam docet experientia, quòd ſinè confuſione quinque mittit ad ſenſus ſimilitudines.

37 Subſtantialiter totum elementatum ſuam emittit ſimilitudinem per ſubſtantialem generationem, ût patet in grano tritici, in leone, & in homine, quæ agentia naturalia generando ſibi ſimile in ſubſtantia & natura, ſuam mittunt extra ſe ſubſtantialem ſimilitudinem hoc modo: granum frumenti mortuum in terra individualiter, & vivum ſpecialiter, in ſuam ſpecificam materiam recipit influentiam ſubſtantialem de primo chaos venientem cum ſubſtantia elementorum; &, quia ipſius grani forma ſpecifica informando ſpecificat quidquid eſt in ſua ſpecifica materia, hoc modo ſpecificat illam ſubſtantiam generalem in materia receptam, & convertit in ſuam ſpeciem & ſubſtantiam frumenti vel tritici; & de illo formæ & materiæ ſpecificæ tritici augmento multiplicat ipſum granum tot formas

mas & materias individuas in ſpecie frumenti, quot ſunt grana individualia generata; quod impoſsibile eſſet ſinè dicta receptione & augmentatione ſubſtantiali per ſpeciem grani generantis ſpecificatâ, quod de ſe ſolo ad ſummum produceret, ſi poſſet, unicum granum, cùm non poſsit ſimul plus actualiter & ſubſtantialiter continere; & ideo ſucceſsivè recipit & convertit, quod ipſi aliunde advenit; & hoc modo ſuam extra ſe mittit ſimilitudinem ſubſtantialiter in omnibus granis generatis.

38 Generatio leonis eſt perfectior, quia generans nedùm non corrumpitur quoad ſuam ſpeciem, verùm nec quoad ſuum numerum individuum, ſed convertit ſubſtantiam generalem ſub ſpecie vitulinæ carnis receptam v. g. exuendo illam ſubſtantiam generalem formâ & materiâ vitulina per corruptionem, & induendo illam nova formâ & materiâ leonina per generationem, & de hac ſubſtantia hoc modo generata leunculum generat in leena, quæ in ſuum fæminile, maſculinum ſemen recipiens, ût informativum ad informabile, de utroque producit, & pariendo extra ſe leunculum mittit, in quo eſt ſubſtantialis utriuſque ſimilitudo.

39 Homo extra ſe ſuam mittit ſimilitudinem ſubſtantialiter hoc modo: Pater in ſe humidum habet radicale, & nutrimentale; humidum radicale eſt forma & materia ſpecificæ corporales & individuales, per quas homo invariabiliter eſt idem numero in ſua humana ſpecie in diverſo tempore, & ideo humidum radicale manet ſemper idem; humidum verò nutrimentale eſt humani corporis ſubſtantia, quæ vadit & venit; vadit ſcilicet quando homo extenuatur, & venit quando corpus impinguatur; & dicitur nutrimentale, quia humidum radicale de ipſo nutritur ſicut lumen nutritur de oleo. Genitor igitur in ſuam materiam ſpecificam corporalem recipiens panem & vinum v. g. corrumpit panîs totam formam & materiam ſpecificas, ex quibus eſt tota ipſius panis ſpecies; idem de vino, & ſubjectum tranſmutationis, remanens, genus ſcilicet commune ad panis & carnis ſpeciem, exutum ſpecie corrupta, induit novâ carnis & ſangui-

guinis ſpecie, in quo nova eſt generatio & ſubſtantialis converſio, aliter eſſet annihilatio, quæ non in creaturæ poteſtate ſicut nec creatio eſt; & ideo eſt tranſubſtantiatio panis in carnem, & vini in ſanguinem hominis; & cùm forma corporea ſpecifica per ſe ipſam & per animam rationalem mota ſemper activè dictam ſuam corporificet materiã, ut ipſa corporificetur paſſivè, quod ſola anima rationalis per ſe ipſam præſtare minimè poteſt, nam ſpirituale per ſolam ſuam naturam nihil poteſt corporificare, quia natum de ſpiritu ſpiritus eſt; ideo dicta forma corporalis in ſua ſpecifica materia dictum alimentum in corpoream convertit ſubſtantiam, quæ humidum nutrimentale eſt.

40 Ex iſto igitur humido nutrimentali Pater per ſuum humidum radicale generat, & aliud humidum radicale ſui filii ſpecificat, illam ſcilicet formam & materiam ſpecificas & individuales, per quas filius genitus tale individuum ſub tali ſpecie eſt; & hoc modo Pater de ſuo humido radicali filio nil dat, quia illo indiget, ut conſervetur in ſuo eſſe numerali; illud autem, quod Pater dat filio de ſuo humido nutrimentali converſum ſpecificatum & individuatum in ipſius filii humidum radicale, per alimentum in ſubſtantiam aliti converſum reſtauratur. Similiter eſt de matre, quæ neceſſe debet ad talem generationem concurrere de ſe ipſa ſuam exhibens portionem, quod in prole ſimili ipſi matri clarè videtur, quæ ſimilitudo non poteſt ex ſolo fomento & nutritione provenire, nam ſola virtus ſeminalis vim ſpecificandi & individuandi habet; &, ſi ſolum ſemen ſufficeret maſculinum ad generandum in fæmina, ex equa poſſet purus aſinus, & ex aſina purus equus generari, quod falſum eſſe experientia docet.

41 Illud autem humidum radicale filii, ſtatim ac genitum eſt, jam in toto ſuo eſſe perfecto ſpecifico & individuali exiſtit, & ſucceſsivè extenditur & creſcit ad ſui humidi nutrimentalis incrementum; & ideo in mortuorum reſurrectione non erit neceſſe aliquid de humido radicali ſupleri his, qui tenera in ætate deceſſere; nec etiam, qui provecta in ætate obiere totum humidum nutrimentale, quod ha-

habuerant in vita ſua, habebunt, non enim poſſent onus ſuum portare, quod D. Ambroſius jam advertit Lib. 10. Comment. in Lucam cap. 24. dicens: *Seminatur enim corpus animale, ſurgit corpus ſpiritale*; per hoc tamen non intelligatur, quòd reſurgat ſpiritus, qui carnem & oſſa non habet, ſed quòd reſurget cum carne & oſsibus & cum tota humana ſubſtantia propria, defæcata tamen ab omni ſuperfluo.

42 Etiam in hoc generationis ſubſtantialis modo videtur, quòd, ſi hominis corpus alio ab homine comedatur, nullatenus humidum radicale comeſti poteſt in humidum radicale comedentis converti, ſed ſolùm in humidum nutrimentale: unde ſola eſt difficultas, an de illo humido radicali comeſto & converſo in humidum nutrimentale comedentis poſsit ipſe comeſtor aliud humidum radicale generare? & reſpondetur, quòd non, quia Divina Providentia conſervat ſemper Divinæ Juſtitiæ omnia humida radicalia in potentia & in habitu, ut ad ſuum proprium actum numericum redeant, & ut quodlibet eorum idem numero judicetur. Et iſte eſt modus, quo totum extra ſe ſuam ſimiliuudinem ſubſtantialem, & accidentalem totaliter & partialiter mittit.

DECIMA REGULA.

1 DEcima hæc & ultima Regula vocatur *Cum quo*, quia eſt inveſtigativa omnis inſtrumentalitatis naturalis, moralis, artificialis, & plurium aliarum, de quibus omnibus agere eſſet nimis prolixum, ideo ſolùm de inſtrumentalitate dicetur ſecundùm quatuor ſpecies eaſdem, quas hęc Regula habet, ſicut præcedens.

PRIMA SPECIES.

2 PER primam igitur ſpeciem quæritur, cum quo una Dei Dignitas eſt in ſe, & operatur in ſe? & reſpondetur, Dei Simplicitatem in ſe eſſe cum ſuo ſimplificativo, ſimplificabili, & ſimplificare, ut ſit ſinè compoſitione,

ne, ſicut intellectus, qui eſt cum ſuo intellectivo, intelligibili, & intelligere, ut ſit ſinè ignorantia, ſinè qua nequiret eſſe, quolibet ex his tribus deficiente; ſic pariter, nisi Dei Simplicitas cum ſuo eſſet ſimplificativo, non haberet cum quo ſe à compoſitivo defenderet; & nisi eſſet cum ſimplificabili, non haberet cum quo à componibili diſtaret, imò eſſet componibilis eo ipſo, quòd non eſſet ſimplificabilis; nam, nisi in ſe ſimplificabilis eſſet, ſimplificativum nullatenus eam ſimplificaret, & ſic compoſitivum eam componeret prout vellet; &, nisi eſſet cum ſimplificare, à componere non eſſet immunis, ſicut intellectus, qui non eſt cum intelligere, neceſſariò eſt cum ignorare.

3 Etiam Dei Simplicitas eſt cum ſuo ſimplificativo convertibiliter, quia ſimplificativum eſt tota ipſa Simplicitas, & tota Simplicitas eſt ipſum ſimplificativum; nam aliter haberet partes, quas habens, jam Simplicitas non eſſet; idem æqualiter eſt de converſione Simplicitatis cum ſimplificabili, & ſimplificare, & de his cum illa. Simplificativum per eſſentialem identitatem eſt cum simplificabili & simplificare, & æqualiter per eamdem identitatem simplificabile eſt cum simplificativo & simplificare, & hoc cum illis. Et in hoc jam videtur clariùs, quòd Simplicitas Dei sinè simplificativo, simplificabili & simplificare, non poteſt eſſe sinè compoſitione & vacuitate plenitudinis, quam ſua neceſſariò requirit Infinitas; quia ſinè his tribus in ipſa non poſſet eſſe identitas, quæ neceſſariò eſt in ſimplicium pluralitate in una ſimplici Eſſentia identificatorum, & in eſſentiali ſimplicitate.

4 Dei Simplicitas in ſe cum ſuo actu operatur, ſcilicet cum ſimplificare, & in quantùm eſt talis actus ſimplificativi in ſimplificabile tantùm, operatur in ſe Simplicitas cum generare, & in quantùm eſt amborum in tertium, operatur cum ſpirare. Pater, qui eſt tota Simplicitas, de ſe ipſo ſinè aliquo inſtrumento Filium ſimplificat, & Pater & Filius, qui ſunt ipſa Simplicitas, de ſe ipſis ſinè inſtrumento ſimplificant Spiritum S., & ſic Dei Simplicitas in ſe operatur cum ſolo illo, quod eſt de ſua Eſſentia & Natura; & ideo ad quæſitum ſimul reſpon-

pondetur, Dei Simplicitatem eſſe ſimpliciter cum ſe ipſa & cum ſe ipſa operari, ut ſit ſinè omni compoſitione in eſſendo & operando. Idem æqualiter eſt de Magnitudine Dei, ut ſit ſinè parvitate, & de aliis Dignitatibus, ut infinitè diſtent ab omni contrarietate.

5 Simplicitas Angeli eſt in ſe cum compoſitione ſui ſimplificativi, ſimplificabilis, & ſimplificare, quia ipſorum unio tantam non habet vim, quòd poſsit illa tria identificare; & ideo ipſa ſimplicitas eſt in ſe compoſita cum unione ſuarum trium partium ab invicem diſtinctarum. Similiter eſt in aliis Angeli Dignitatibus, ut nulla ſit cum propria infinitate.

6 Angeli ſimplicitas in ſe operatur cum majoritate ſui ſimplificativi in ſui ſimplificabilis minoritatem, & cum eorum majoritate & minoritate operatur æqualiter in ſuum ſimplificare, & ut ipſius operatio non ſit omnino æqualis ſinè majoritate & minoritate; nam aliter æqualis eſſet operationi Divinæ Simplicitatis. Similiter eſt in aliis Angeli partibus, quarum nulla poteſt cum alia identificari, ut non ſit ſimpliciter totus Angelus, ſicut quælibet Dignitas Dei, quæ ſimpliciter eſt totus Deus.

7 Similiter eſt in partibus totius elementati, quarum quælibet eſt in ſe cum compoſitione ſuæ actionis, paſſionis, & actûs, ſinè quibus tribus nulla pars ſubſtantialis & naturalis poteſt eſſe pars; & ideo ignis simplex eſt cum compositione ſui ignificativi, ignificabilis, & ignificare; cum ingnificativo agit in ſe, cum ignifiuabili patitur & recipit in ſe, & cum ignificare eſt actualiter in ſe operans & potens extra operari, quod eſſet impoſsibile ſinè dictorum trium compositione; nam ignis ſinè actione non haberet cum quo poſſet agere in aërem, & ſinè paſsione non haberet cum quo ipſum recipere, & ſinè actu non haberet cum quo actuuliter ignificaret, & sic non eſſet pars, quia incomponibilis eſſet, & conſequenter eſſet impoſsibilis ignis compositus, & ſubſequenter elementatum, quod falſum eſſe Philoſophi practici ocularitèr vident in alicujus mixti reſolutione & ſeparatione elementorum; idem eſt dicendum de aliis partibus, quæ ſui totius naturalia inſtrumenta exiſtunt.

SE-

SECUNDA SPECIES.

8 PER ſecundam ſpeciem quæritur, cum quo una Dei Dignitas eſt in alia & operatur in illa? & reſpondetur, Dei Unitatem cum ſuo unificativo, unificabili & unificare eſſe in Trinitate convertibiliter, ut Trinitas Dei nedùm ſit una, & Unitas ſit trina, verùm, ut Trinitas ſit ipſa Unitas, & Unitas ſit ipſa Trinitas; nam ſi Trinitas non eſſet Unitas, per ſe ipſam non eſſet una, nec Unitas per ſe ipſam eſſet trina; & ſic Unitas non eſſet per ſe ipſam quidquid eſt, & ita Unitas & Trinitas Dei non eſſent ipſe Deus, qui per ſe ipſum eſt quidquid eſt, ût ratione & authoritate demonſtratum eſt ſupra. Quin etiam, ſi Trinitas non eſſet ipſa Unitas, per quam eſt una, Unitas cum Trinitate eſſet in quarto numero, ſicut unitas unius cameræ, in qua ſunt tres homines, quia non eſt illi tres, eſt in quarto numero cum illis; &, cùm Unitas Dei, ût probatum eſt, ſit ipſa Divinitas, & Trinitas ſint tres Divinæ Perſonæ, ſic Divinitas cum tribus Perſonis, quæ ſunt in ipſa, eſſet ſicut camera, quæ cum tribus hominibus, qui ſunt in ipſa, eſt in quarto numero, quod falſum & impoſsibile eſt; & ideo D. Bernardus minimè volebat ipſam Divnitatem in hoc numero adorare, ût ſcribit ad Eugenium de Consid. Lib. 5. capit. 7. sic dicens: *Deus Trinitas eſt, Deus trium ſingula Perſonarum. Si quartam Divinitatem adjicere placet, interim ego hanc perſuaſi mihi minimè adorandam.* Et D. Anſelmus in Monol. cap. 78. ait: *Ecce patet omni homini expedire, ut credat in quamdam inefabilem trinam Unitatem, & unam Trinitatem.* Unde legitimè infertur, quòd, si Unitas Dei eſt trina per ſe ipſam, neceſſariò eſt ipſa Trinitas, quia per ſolam Trinitatem poteſt eſſe trina; &, si Trinitas Dei per ſe ipſam eſt una, & neceſſariò eſt una per Unitatem, ipſa neceſſariò eſt Unitas; & ideo verè reſpondetur ad quæsitum, quòd Unitas Dei eſt in Trinitate convertibiliter. Æqualiter eſt Unitas Dei cum ſuo unitivo, unibili, & unire in omnibus Dei Dignitatibus convertibiliter;

& ideo Unitas Dei (metaphoricè loquendo) eſt pelagus omnium Divinarum Dignitatum & eſt tota Divina Eſſentia. Idem de aliis Dei Dignitatibus eſt dicendum.

9 Unitas Dei operatur in Trinitate cum ſuo unificare, quod, ût dictum eſt, uno modo eſt generare & alio modo eſt ſpirare; & ſic unificativum, quod eſt Pater, cum ſe ipſo & ſinè diſtincto inſtrumento generat ſuum unificabile, quod eſt Filius, & ambo cum ſe ipſis & ſinè aliquo inſtrumento diſtincto ſuum ſpirant unificare, quod eſt Spiritus Sanctus. Et hoc infinitè neceſſarium eſt, ut Unitas ſit plena & perfecta in Trinitate, & Trinitas non ſit extra Unitatem diſperſa: unde infinitâ videtur Neceſsitas non cogens, ſed libertans unius Patris, & impoſsibilitas alterius, & æqualiter unius Filii, & unius Spiritus S., ita ut iſti tres non ſint nisì unum, & iſtud unum non ſit nisì illi tres.

10 Unitas Angeli cum ſuo unificativo, unificabili & unificare eſt in trinitate ipſius Angeli inconvertibiliter, quia ſunt duæ partes diſtinctæ; nam unitas ſolùm unificat omnes partes & principia Angeli, ut quælibet ſit una per Unitatem à ſe diſtinctam, ſicut quælibet eſt bona per Bonitatem à ſe diſtinctam; ſimiliter trinitas facit quòd quælibet pars ſubſtantialis Angeli ſit trina per trinitatem à ſe diſtinctam. Nam ſi aliqua pars Angeli per ſe ipſam eſſet trina, & una, eadem ratione per ſe ipſam eſſet bona magna &c. differens concordans æqualis &c., & ſic per ſe ipſam eſſet quidquid eſt; & conſequenter non eſſet pars, ſed totum, & ſic eſſet ſicut Divina Eſſentia, per ſe ipſam infinitè perfecta, & Angelus per ipſam eſſet ſicut Deus infinitè perfectus, quod rejicit S. Michael ût maximum impoſsibile. Ideoque Angeli unitas in trinitate cum converſione eſſe non poteſt, & idem dicendum eſt de aliis partibus ſive principiis Angeli, quæ cum diſtinctione, ſingula in omnibus & omnia in ſingulis ſunt, &, ſi eſſent cum identitate, omnia mera ſimplicitas eſſent, quod implicat contradictionem; & ſic Angeli unitas cum diſtinctione eſt in trinitate, & ratione ſuorum trium correlativorũ, cum actione, paſsione, & actu in illa eſt.

11 Angeli unitas operatur in trinitate cum ſuo unificativo, unificabili, & unificare; cum ſuo unificativo ipſam informat trinitatem, cum ſuo unificabili recipit & retinet illam, & cum ſuo unificare illam facit actualiter unam. Similiter operatur in omnibus aliis principiis Angeli cum ſuis correlativis ſive conſtitutivis; & ideo Unitas in linea unificandi eſt Domina omnium aliarum partium, & iſtæ ſubduntur illi, ut recipiant ab ea quòd quælibet ipſarum ſit una. Similiter Bonitas Angeli eſt Domina in linea bonificandi, cui famulantur aliæ partes, ut per illam fiant bonæ, & ſic de omnibus, qualibet in ſua linea, & cum iſta mutua operatione unius partis in aliam fit omnium partium mutua admirabilis & totalis compoſitio.

12 Similiter una pars elementati cum ſuis correlativis eſt in alia parte ſubſtantiali illius elementati, & cum ipſius correlativis in illa operatur; & ſic aquilæ unitas cum ſuis tribus correlativis eſt in ipſius aquilæ trinitate & in omnibus aliis partibus, & omnes ſunt in illa æqualiter cum propriis correlativis, & ipſa unitas cum ſua naturali operatione facit quòd quælibet pars ipsius aquilæ ſit una, & quòd ex omnibus non ſit niſi una forma, una materia, & una ſubſtantia ipsius aquilæ, & quòd iſta tria ſint una aquila, & è converſo.

TERTIA SPECIES.

13 PER tertiam ſpeciem quæritur, cum quo Dignitates Dei ſunt in Deo & ipſe in eis, & cum quo operatur in illis? & reſpondetur, Dignitates in Deo eſſe cum Diſtinctione & Identitate; cum Identitate ſcilicet in Eſſe Dei, & cum Diſtinctione in ipsius Dei Operari; & ideo omnes Dei Dignitates una ſunt Eſſentia & unum Divinum Eſſe. Et, cùm iſta Identitas ſit infinita in omni eſſendi linea, ideo omnes & ſingulæ Dignitates ſunt ipſe Deus & è converſo, & ſingula earum eſt omnes & è converſo; & ita Deus eſt infinitè perfectus per quamlibet Dignitatem, ita ut per ſuam Bonitatem ſit infinitè magnus, & per ſuam Magni-

nitudinem sit infinitè bonus, per suam Æternitatem sit potens sicut æternus per suam Potestatem, per suam Sapientiam sit amabilis sicut intelligibilis per suam Voluntatem, per suam Gloriam sit virtuosus & verus sicut per suam Virtutem & Veritatem est glorioſus; imò, ut una vice declaretur, per suam Gloriam est bonus magnus æternus potens intelligens & amans, virtuosus verus & perfectus in omni plenitudine infinitæ Perfectionis, & æqualiter est de aliis sicut de Gloria, quia omnes sunt in Deo & Deus in ipsis cum omnimoda Identitate essentiali.

14 Secundò, Dignitates cum Distinctione sunt in Deo & Deus in ipsis, & cum hac distinctione Deus operatur in omnibus & è converso, sicut cum hac Operatione distinguit in se & in illis, & è converso; operatur scilicet in Magnitudine cum Distinctione magnificativi & operativi à magnificabili & operabili, & cum Distinctione amborum à magnificare & operari; & æqualiter cum Distinctione operatur Deus in omnibus Dignitatibus sicut in Magnitudine; & Magnitudo operatur in Deo cum Distinctione sui magnificativi Deificativi à suo magnificabili Deificabili; cum distinctione utriusque à suo magnificare Deificare; & æqualiter operantur in Deo omnes & singulæ Dignitates.

15 Cum operatione distinguit Deus in se & in omnibus Dignitatibus, & è converso; nam Deificativum operando à se suum distinguit Deificabile, & ambo operando simul à se suum distinguunt Deificare; & Deificativum gloriativum operando in sua infinita Gloria à se suum distinguit Deificabile gloriabile, & ambo operando simul, à se suum distinguunt Deificare, quod est gloriari; & idem est in aliis Dignitatibus; & Gloriæ Dei gloriativum gloriosè operando distinguit à se gloriabile, & ambo gloriosè operando distinguunt à se gloriari, ut Gloria Dei sit infinitè clara & pura ab omni confusione; & idem æqualiter de aliis Dei Dignitatibus. Et propter supradictam Identitatem Deus non dependet à suis Dignitatibus, nec suæ Dignitates ab eo, nec Dignitates dependent ab Essentia, nec Essentia est superior illis, quia idem non potest dependere

à ſe ipſo, nec ſe ipſo ſuperius eſſe.

16 Et propter dictam Diſtinctionem bonificativum in Deo diſtinguitur à magnificabili, & magnificativum à bonificabili, & utrumque à bonificare & magnificare, & idem eſt de aliis Dignitatibus; & ſic Dei Dignitates ſunt Rationes reales realiter ſimpliciter diſtinctæ relativè, & realiter ſimpliciter identificatæ eſſentialiter; & cum hoc Dignitates ſunt in Deo & Deus in illis, & operantur in Deo & Deus in illis æternaliter exercetur.

17 Partes ſunt in Angelo cum diſtinctione & cum ſola unione, ratione cujus quælibet eſt unita cum alia per modum actûs agendo in illam, & per modum potentiæ patiendo ſub illa; & cum hoc Angelus eſt & operatur in ipſis. Sunt cum diſtinctione ab invicem, ut ſint partes, & non totum, & ſunt cum diſtinctione ab Angelo, quia conſtituunt & influunt ipſum; & Angelus, quia influitur & cauſatur & principiatur ab illis, intrinſecè formaliter & materialiter dependet ab ipſis, licèt creativè & efficienter totus à Deo dependeat; dependet, inquam, ab ipſis partibus in eſſe & operari, ut cum Bonitate ſit bonus, & non magnus, & cum Magnitudine ſit magnus, & non bonus, & per Voluntatem ſit volens, non tamen potens, & per Poteſtatem potens, non tamen volens; quia ſi Angelus eſſet potens per Voluntatem ſicut per ipſam eſt volens, ſua Voluntas eſſet Poteſtas, & cum hoc poſſet quidquid vellet: ſed, quia hoc eſt impoſsibile in aliqua creatura, licèt malus Angelus voluerit, minimè potuit eſſe ſicut Deus. Et cum hoc clareſcit infinita Dei Perfectio, & limitatio creaturæ; nam, quia Voluntas Dei identificatur cum Poteſtate, Deus poteſt quidquid vult, & idem eſt illi poſſe, ac velle; ſed creatura, quia habet voluntatem diſtinctam à poteſtate, non poteſt omnia, quæ vult, nec vult omnia, quæ poteſt. Similiter aliæ partes ſunt in Angelo, & ipſe in illis.

18 Angelus cum Bonitate bonum operatur, & magnum cum Magnitudine, & ſic de cæteris; cum memoria recolit, cum intellectu intelligit, & cum voluntate diligit Deum, & cum æqualitate ſuum æquat memorare, intelligere & ama-

re

re cum tanta Bonitate, Magnitudine, & Duratione, quantâ Poteſtate, Sapientia, & amore, & quantâ Virtute, Veritate, & Gloria, ut ſuæ tres potentiæ æqualiter beatificentur, & æqualiter fruantur infinitâ Dei Gloria, æqualiter memorando, intelligendo, & amando æqualem Recolibilitatem Intelligibilitatem & Amabilitatem ipſius Dei. Nam memoria recolens, quòd Deus dedit ipſi tantam vim recolendi, quantam intellectui intelligendi, & voluntati diligendi, quia Deus non eſt minùs dignus recoli, quàm intelligi, & amari, non poteſt quieſcere donec tantùm recolat, quantùm intellectus intelligit, & voluntas diligit Deum, &, quia intellectus hoc non ignorat, non poteſt quieſcere donec tantùm intelligat, quantùm voluntas diligit & memoria recolit ipſum Deum, & quia voluntas hoc vult, cum iſta æqualitate memorandi, intelligēdi & amandi Deum & ejus infinitam Operationem, eſt Angeli Gloria ſinè inquietudine. Idem eſt de Gloria Animæ.

19 Partes ſunt in toto elementato, & iſtud in illis cum Majoritate, Æqualitate & Minoritate; cum Majoritate ex parte principii, quia omnes partes univerſales elementati ſunt principia ipſius univerſalia, ût ſunt Bonitas, Magnitudo, Duratio, & cætera Lullianæ Artis Principia, quæ ſunt majora & ſuperiora omnibus particularibus per ipſa principiatis, & iſta ſunt minora, inferiora, & ab illis dependentia; ſed particulare eſt majus ex parte finis, quia magìs completum & perfectum eſt, &, quod potentialiter erat in principio univerſali, per ſpecificationem & individuationem ipſo in fine actuatum eſt, propter quem finem ſunt principia univerſalia. Sunt etiã partes in toto cum Æqualitate, quia Bonitas univerſalis eſt æqualis univerſali Magnitudini, & Inſtinctus univerſalis univerſali Appetitui, & ſic de aliis; & ideo tantùm eſt de Bonitate in auro, quantùm de univerſali Magnitudine, & ſic de aliis; & tantùm eſt de Bonitate ſpeciali in qualibet ſpecie, quantùm de ſpeciali Magnitudine, & ſic de aliis; tantùm eſt de Bonitate individuali in quolibet individuo, quantùm de Magnitudine, & ſic de cæteris omnibus partibus naturæ elementalis.

Sunt

20 Sunt etiam partes in toto cum Minoritate, ût ex Majoritatis relatione videtur, & quia quælibet pars eſt minor ſuo toto, & ideo ſubditur illi ût inſtrumentum naturale ſuo naturali agenti. Partes elementati cum ſuis inſtrumentis operantur in illo, ût Bonitas ſubſtantialis cum ſua Bonitate accidentali bonificando omnes alias partes uſque ad finem totius, & ſic de Magnitudine & cæteris æqualiter; & totum operatur in ſuis partibus movendo alias cum aliis, ſicut aquila v. g. quæ cum ſua imaginativa movet ſuos quinque ſenſus, & cum alis ſuum movet corpus, & cum oculis ſui volatûs dirigit rapiditatem ad prædam, quam cum unguibus accipit, & unco cum roſtro ſibi dividit eſcam, & cũ eſca ſe nutrit, & cum nutritione varias per digeſtiones factâ ſuum paſcit & reficit jecur, cor, & cerebrum, & cum ſuo jecore ſpiritus ſervat naturales, et cum corde vitales, et cum cerebro animales conſervat ſpiritus, et cum toto hoc alacriter conſervatur in ſuo eſſe et operari totaliter et partialiter perſeverans.

21 Advertenda tamen eſt differentia inter partes ſive principia elementata, et Angeli, quòd ſcilicet quodlibet Angeli principium ſolùm eſt univerſale ad omnia ejuſdem Angeli comprincipia, cùm quodlibet principiet omnia dando illis id, quod habet de ſua linea, ſicut Bonitas, quæ Magnitudinẽ bonificat & alia ejuſdem Angeli principia, et non alterius, quia illa Bonitas non eſt realiter univerſalis, nec duobus Angelis communis, ſed uni dumtaxat eſt propria; et ideo per eamdem Bonitatem, per quam S. Michael eſt bonus Archangelus, per eamdem eſt bonus Michael, ſive hic bonus, et per eamdem Magnitudinem, per quam eſt magnus Archangelus, eſt hic magnus, et ſic de cæteris Angeli partibus, et ideo Angelus eſt tota ſua ſpecies, ita ut talis ſpeciei alter nõ ſit generativè. At in elemẽtatis aliter eſt, quia per eamdem naturam Bonitatis univerſalis realis, Magnitudinis, &c. ſunt omnia elementata bona, magna, &c. quia omnia generantur de illa eadem Bonitate, Magnitudine, &c.; et hæc eſt ratio, quare Angelus eſt incorruptibilis, et elementatum non; quia ſicut erat genus ele-

elementati, antequam generaretur illius ſpecies, et hæc erat antequam de illa generaretur individuum; ſic, corrupto individuo, poteſt ſua ſpecies remanere, et, corrupta ſpecie, poteſt remanere ſuum genus, aliter corruptio eſſet annihilatio, &, deſtructo uno individuo, totum deſtrueretur univerſum, quod reverà ita eſſet, niſi gradus ſuperiores & inferiores inquolibet elementato realiter diſtinguerentur; & ideo deſtructio elementati eſt corruptio ſubſtantialis, & Angeli eſſet annihilatio.

QUARTA SPECIES.

22 PER quartam ſpeciem quæritur, cum quo Deus extra ſe ſuam mittit ſimilitudinem? & reſpondetur, quòd Deus cum ſua perfecta Æqualitate miſit & produxit extra ſe ſuam in mundo ſimilitudinem; &, quia creaturæ æqualitas non poteſt eſſe infinita, nam ita eſſet Deus, ideo ipſe Deus illam proportionavit ſimilitudinem ſuæ infinitè perfectæ Æqualitatis, quantùm potuit recipere creatura, & cum hac creatę æqualitatis perfectione, Chriſti Humanitatē ſibi proportionavit, illam ſuæ æquans Divinitati, quantùm potuit Divina Æqualitas, & cum eadem Divina Æqualitate Chriſto ſuam Virginem Matrem proportionavit, quantùm pura creatura potuit recipere à Divina Æqualitate; & deſcendendo alium gradum, cum eadem Æqualitate totum mundū ipſi Chriſto proportionavit, quantùm corpus poteſt ſuo capiti, & ſponſa ſuo ſponſo proportionari.

23 Et cum ſingulari Divinæ Æqualitatis Unitate proportionatus eſt uni Deo unus Chriſtus ſolus, & una ſola Humanitas uni Divinitati, & una ſola Mater uni Filio, & unum ſolum corpus uni capiti; ita ut, ſi iſta ſingularitas in ſimilitudine ſingularis Unitatis Divinæ Æqualitatis deficeret, improportionis deformitas quiret in Divinæ Æqualitatis opere reperiri, quod eſt impoſsibile; & ideo Deus cum ſua perfecta Æqualitate, ita ſibi mundum aſsimilavit, ut nulla imaginatio poſsit verè imaginari, & nullus intellectus poſsit verè intel-

telligere æqualis proportionis defectum in toto opere per ipſam Divinam Æqualitatem creato.

24 Unde infertur, quòd, ſi poſsibile eſſet, Deum in alia humanitate incarnari, vel ideo eſſet, quia Chriſti Humanitas non eſſet ſufficiens Dei Incarnationi, vel quia, licèt ſit ſufficiens, Deus poſſet ita velle; ſed primum eſt falſum, quia ex ſupradictis, & ut clarè patet, Chriſti Humanitas Dei Incarnationi ſufficientiſsima eſt; & ſecundum eſt impoſsibile, quia Deus non poteſt velle ſuperfluum, quod abhorret: ergo impoſsibile eſt, Deum in alia humanitate incarnari; & etiam, quia valet plùs una ſola Humanitas, in qua ſint collectæ in unum omnes perfectiones in natura humana & in omnibus poſsibilibus creabiles, quàm humanitatum milliones, in quibus perfectiones eſſent diviſæ. Similiter, ſi poſsibile eſſet, Deum in alia Matre incarnari, ideo eſſet, quia ſola Deiparæ Virginis Mariæ Maternitas non eſſet ſufficiens Dei Incarnationi, vel quia, licèt ſit ſufficiens, Deus ita vellet; ſed primum eſt falſum, & ſecundum impoſsibile proportionaliter ad prædictam rationem: ergo falſum & impoſsibile eſt, quod ſequitur ex utroque. Tandem, ſi poſsibile eſſet, alium mundum creari, ideo eſſet, quia iſte mundus ſuo Capiti non ſufficit, vel quia, licèt ſufficiat, Deus ita vellet; ſed primum eſt falſum, & ſecundum impoſsibile proportionaliter ad rationes ſupradictas: ergo impoſsibile eſt, alium mundum creari; quia tam per inſufficientiam, quàm per ſuperfluitatem, corpus eſſet ſuo Capiti monſtruoſum; monſtruoſum enim eſt uni Capiti duo habere corpora, ſicut uni corpori duo habere capita: ergo à primo uſque ad ultimum ſolùm eſt poſsibile id, quod Divina Voluntas vult, quia Divina Poteſtas non poteſt plùs poſsibilitare: ergo donec Divina Voluntas velit, quæ impoſsibilia aſſerta ſunt, impoſsibilia manebunt; nam dicit D. Anſelm. ut ſupra: *Quod Deus non vult, impoſsibile eſt eſſe.*

25 Et totum hoc nec in minimo Divinam limitat Poteſtatem, quia juxta ipſum D. Anſelmum: *Omnis neceſsitas & impoſsibilitas, ejus* (Dei) *ſubjacet Poteſtati*, & quod ſic ſubjacet, ût dictum eſt,

eſt, non poteſt in Divinam intrare Actualitatem ad impediendum vel expediendum eam; aliter Deus ipſe ſuæ voluntati & Poteſtati impedimentum cauſaret, quod eſt impoſsibile: unde ſequitur, quòd etsi Deus omnium poſsibilium creatam deſtrueret poſſibilitatem, ita ut non eſſet ampliùs, ſicut non erat antequàm Deus illam crearet, maneret nihilominùs Divina Poteſtas immutata cum ſua infinita Æqualitate, ſicut eſt ſemper in ſua Æternitate.

26 Ex dictis etiam infallibiliter infertur, quòd, ſicut totus mundus unicum habet ſupremum Caput inviſibile, qui eſt Chriſtus regnans in Cœlo cum Eccleſia triumphanti, debet etiam unicum habere Caput ſupremum viſibile gerens illius vices in terra, qui eſt Summus Pontifex ritè & canonicè electus militans cum Eccleſia militanti. Similiter toto in mundo non debet eſſe nisi unus Dominus terrenus & corporalis, qui omnium Dominorū ſit Monarcha, & cui omnes ſubdi & obedire teneantur; ſed, nè in duorum Capitum unius mundi ſit deformitas, terrenale Caput & corporale Capiti Eccleſiaſtico & ſpirituali ſubdi & obedire debet, ſicut ſpiritui corpus ſubditur humanum, ut bene regatur; & tandem in fine finali unicum eſt Caput ſupremum, totum Eccleſiæ corpus vivificans dirigens & gubernans.

27 Et ideo dicit B. Raymundus Lullus, quòd unus Clericus & unus Miles ad totius mundi debellationem ſufficiant; & iſti ſunt duo illi gladii, de quibus dixit Chriſtus in Evangelio: *ſatis eſt.* Miles enim eſt ſummus Monarcha, in quo eſſet collecta in unum omnis terrena & corporalis poteſtas, nam iſte ſolus plùs poſſet, quàm omnes poteſtates diviſæ; & Clericus eſt Summus Pontifex, in quo debet eſſe collecta in unum omnis corporalis & ſpiritualis poteſtas. Et, ſicut major corporalis poteſtatis felicitas ſtat in ſubjectione, obedientia & directione ſpiritualis animæ poteſtatis, ita major felicitas, nobilitas & honor ſupremi Monarchæ terrenalis ſtat in ſubdi & obedire ſummo Pontifici, & dirigi per illius ſpiritualem poteſtatem, quæ à Divina directa eſt Poteſtate ſpiritûs ipſius Chriſti, & à Poteſtate ipſius ſolius de-

pendens, & non à minori poteſtate; & hæc ſummi Pontificis ſola poteſtas eſt in terra ſuprema ſimilitudo ſupremæ Chriſti Poteſtatis, cujus creata poteſtas maxima eſt ſimilitudo, quam increata Poteſtas extra ſe miſit cum perfecta Æqualitate.

28 Angelus extra ſe ſuam mittit ſimilitudinem cum omnibus ſuis partibus ſubſtantialibus, & cum aliis partibus prędicamentalibus de linea accidentali, & cum ſua totalitate naturaliter; nam Angelus in ſe habet decem ſpiritualia prædicamenta, ut cum iſta imagine Angelus illam recipiens, clarè videat Angelum repræſentatum in omnibus, quæ ſunt in eſſe & operari illius. Quòd autem Angelus non poſsit mittere extra ſe ſuam ſimilitudinem ſubſtantialem, provenit ipſi ex ſuæ creationis conditione, per quam totam habet ſuam ſpeciem ita indefectibilem, quòd non indigeat individua ad ipſius conſervationem multiplicare.

29 Et etiam, quia, ut Angelus poſſet de ſua natura aliũ Angelum generare, vel illi de ſua propria eſſentia radicali dare deberet, vel per illam deberet aliam naturam ſuperiorem generalem in ſuum eſſe radicale receptam convertere & ſpecificare, tamquam humidum nutrimentale, de quo ſpecificando, ſui geniti humidum produceret, quod eſt impoſsibile, cùm non detur talis natura ſuperior ab Angelo convertibilis; &, ſi ita eſſet, Angeli natura jam corruptibilis eſſet; &, ſi Angelus genito daret de ſua eſſentia radicali, vel partem daret, & ſic jam eſſet diviſibilis, & neuter eſſet Angelus totaliter; vel totam daret, & ſic generans remaneret nil, & remaneret totus, quia per eamdem eſſentiam idem manet eſſe; &, ſi totam daret eſſentiam ſinè diviſione & amiſsione, quilibet eſſet unus & alter, quia per eamdem numero eſſet eſſentiam, ſicut Deus Pater & Deus Filius, & ſic illa natura Angelica eſſet ſicut Divina, in qua omnes Angeli illius ſtirpis non eſſent nisi unus eſſentialiter, ſicut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus eſſentialiter nõ ſunt nisi unus Deus in ſua Eſſentia & Natura; & ſic Angelus in ſua generatione eſſet ſicut Deus vel ſicut homo; & cùm utrumque ſit demonſtratum impoſsibile, clarè videtur in Angelo impoſ-

ſi-

ſibilitas mittendi extra ſe ſuam ſimilitudinem ſubſtantialem.

30 Moraliter tamen Angelus extra ſe ſuam mittit ſimilitudinem cum gratia Dei, ut nil ſit in ipſo Angelo, cum quo ipſum non diligat. Nam Deus ipſe ſuarum Dignitatum influit ſimilitudinem in omnes Angeli Dignitates, & Angelus illam Divinam multiplicat influentiam cum omnibus ſuis propriis ſimilitudinibus ipſas refluendo ad Deum, ex quo Dei fluxu, & Angeli refluxu de primis principiis uſque ad actum compoſitum de ſuo memorari, intelligere, & amare, generatur verbum, quod eſt Filius ipſius Dei, & Angeli moraliter, quem Angelus parit (ſic loquendo) ſuo Patri, ſcilicet Deo, qui videns illum ita pulchrum & ſibi ſimilem complacet in ipſo induendo & amplectendo ipſum cum ſua Divina pulchritudine & claritate, & cum hoc verbo Deus magis clarificat Angelum, qui talem benedictionis & gratiæ ipſi protulit fructum, & cum hoc proportionatur Angelus de claritate in claritatem, ut Deum mediatè & immediatè attingat, ipſum diligens cum tota ſua Angelica Bonitate, Magnitudine, & Duratione, cum tota ſua Poteſtate, ſapientia, & Amore, & cum tota ſua Virtute, Veritate & Gloria, & cum plenitudine ſuarum perfectionum ſubſtãtialium & accidentalium, naturalium & ſupernaturalium, cum tota ſua memoria, intellectu & voluntate, cum ſe toto, & ſupra ſe totum, cum ipſa Divina Amabilitate, qua plenus manet & infinitè comprehenſus. Similiter eſt de Anima beata, imò & contemplativâ in gradu inferiori in hac miſerabili vita.

31 Totum elementatum extra ſe ſuam mittit ſimilitudinem ſubſtantialiter cum omnibus ſuis partibus, & ſi eſt vegetatum, ſenſatum, & imaginatum, cum iſtis quatuor potentiis ſubſtantialibus generativè extra ſe ſuam ſubſtantialem mittit ſimilitudinem, ût homo, qui cum ſua elementativa, vegetativa, ſenſitiva. & imaginativa elementat, vegetat, ſenſificat & imaginificat totam ſui filii naturam animalem, ut in dictis quatuor, ſimilis ſubſtantialiter ſuo genitori evadat. Nisi autem ita eſſet, ſequeretur, hominis generationem ſubſtantialiter eſſe nil; nam, ſi gene-

rans in natura humana ſolùm materiam primam adminiſtraret, cùm iſta ſit ingenerabilis, nil omnino generaret. Sequeretur etiam, quòd B. V. Maria Filio ſuo Chriſto non dediſſet nisi materiam primam, & ſic Filius Dei non eſſet Incarnatus ex Maria Virgine, ſed ſolùm materiatus, cùm caro à materia prima diſtinguatur, quod eſt contra Fidem; nec Chriſtus vivam traxiſſet carnem, & conſequenter vegetatam, de viva carne ſuæ Matris Virginis, quod eſt contra V. Bedam; nec obeſt, quòd ipſe Beda dicat, Mariam *carnis ſuæ materiam miniſtraſſe*, quia ibi materia intelligitur tota ſubſtantia, de qua aliquid fit, ût bene intelligunt Philoſophi, & meliùs V. Joſeph à S. Benedicto, qui ſui Lib. fol. 211. n. 23. ait: *Ante omnia decrevit Deus Myſterium Incarnationis ſuæ ſapientiæ de ſubſtantia carnis Mariæ*; nec Divinum Verbum ſumpſiſſet de noſtra humana natura realiter communi nisi materiam primam, in qua ſola eſſemus cognati ejus ſicut lapis; cùm Animarum rationalium nulla ſit cognatio nec conſanguinitas naturalis.

32 Quare, ut tot vitentur inconvenientia, neceſſarium eſt, B. Virginem Mariam per ſuam perfectiſsimam virtutem generativam genuiſſe in Chriſto quidquid eſt de natura generabili in omnibus creaturis, ut omnes iſtæ naturæ eſſent Deo realiter unitæ in Chriſti Humanitate; aliter homo non eſſet omnis creatura nisi nominaliter, quod ita non eſt, ſed ideo vocatur omnis creatura, quia ita eſt, ût clarè intellexit S. Maria Magdalena de Pazzis in Lib. de Divin. Intelligentiis fol. 261. n. 3. ubi ait: *Cum ſit homo compendium, & vinculum totius mundi: unde propterea omnis creatura vocatur.* Et fol. 265. n. 2. Pater Divinus cum ipſa loquitur ſic: *Scias enim filia, quòd primum, quod reſpexi poſt gloriam meam, ad quam tamquam ad primum finem omnia à me diriguntur, fuit gloria, quam dare volui Verbo meo, ipſiſque creaturis, cum participatione Divinæ Naturæ mediante unione Verbi mei cum natura humana, & natura humana mediante, creaturis omnibus, quæ in illa continentur unitæ, ût ſcis, quòd factum eſt in Incarnatione.* Et propter hoc, etsi unicum eſſet, jam omnes generationes eſſent adſtrictæ Beatam dicere

re Virginem Matrem, cùm per ipſius generationem, omnium generationum naturæ ad realem Divinæ Naturæ participationem aſcenderint.

33 Sed ratio omnium fortiſsima ſecundùm Artem eruitur ex Divinæ ſimilitudinis miſsione ad extra, ratio imaginis ſcilicet ſimillimæ Generationi Divinæ, quę non eſt inquirenda in leone nec in aquila nec in alio agente naturali cum ſexûs dualitate ſuum genitum in quatuor prædictis naturis generanti; ſed in ſola Virgine Matre iſtas quatuor naturas gignente elementalem ſcilicet, vegetalem, ſenſualem, & imaginalem in una totali Corporis Chriſti natura compoſitas, per ſe ſolam in generationis ſubſtantia; & S. Spiritûs operatione virginalem generandi potentiam in modo elevantis, ut in uno generaret inſtanti, quod longam temporis ſucceſsionem, ſexûſque dualitatem in aliis generationibus requirit; & cum hoc virginea Genitrix in ſua virginali generatione, tam quoad ſubſtantiam per ſe, quàm quoad modum per Spiritum S. ſimillima DeoPatri in hujus Divinali Generatione evaſit; nam, ſicut Deus Pater per ſe ſolum in inſtanti æternali quidquid generabile eſt de Divina Natura in Filio generat, ſimiliter Virgo Maria per ſe ſolam S. Spiritûs virtute elevatam in inſtanti temporali quidquid generabile eſt de natura creata in Chriſto ſuo, Deique Patris Filio genuit; & ſic cum tota ſua virginali ſubſtantia elementali, vegetali, ſenſuali, & imaginali, & cum Spiritûs S. virtute, extra ſe ſuam virginalem ſimilitudinem ſubſtantialiter miſit.

34 Secundùm prædicta, pulcherrima poſſet depingi imago, quam B. V. Maria moraliter miſit, & mittit ſemper extra ſe cum perfecta Verbi Incarnati imitatione, corporaliter & ſpiritualiter; nam, ſi ejus plenitudo gratiæ excedit, quidquid omnis pura creatura à Deo recepit, ita ut cum ſua ſola memoria Deum plùs recolat, quàm omnes memoriæ creatæ & creabiles ſimul, & ita de ſuo intellectu & voluntate æqualiter, & ſemper tali gratiæ perfectiſsimè eſt cooperata; Quid, De quo, Quare, Quanta, Qualis, Quando, Ubi, Quomodo, & Cum quo erit ſuæ moralis ſimilitudinis pulchritudo erga Deum,

& Dei complacentia erga ipſam? Satìs ſit id indicaſſe, quia quidquid lingua & calamus poſſet perfectiùs depingere, eſt ferè nil reſpectu mentalis conceptûs, & hìc etiam eſt ferè nil reſpectu realitatis objecti Mariani à ſolo Deo menſurabilis.

35 Deo igitur ſint laudes, quòd ipſius ope pervenerit finis hujus infinibilis Capitis; nam omnia, quæ ſunt & poſſunt eſſe, in iſtas decem Regulas univerſales coincidunt, quæ exemplificatæ ſunt brevitate & claritate poſsibili, ut pariter prolixitas & confuſio vitaretur. Quid igitur eſſet de ipſius interminabilitate, cùm non ſit nisi Lullianæ Artis virgultum, ſi cuilibet omnium Regularum fieret applicatio, & è converſo, ſicut fit omnium Principiorum cuilibet, & è converso, &c. &c. &c.? In hoc aliqualiter videtur Univerſalitatis natura à tam paucis quæſita, & à tam multis miſerrimè ignorata & deſpecta, & qualiter ipſius cognitio in veram omnium particularium cognitionem infallibiliter ducat, imò cujuslibet particularis cognitio in omnium cognitionem æqualiter ducat, ut ſupra ſolùm grammaticaliter in verbo Amo amas, &c. exemplificatum eſt; & conſequenter videtur, unius ſcientiæ cognitionem, ſecundùm hanc Artem, ducere ſimul & ſemel in omnium aliarum cognitionem; & ſubſequenter cognitionem objecti unius ſcientiæ in omnium aliorum cognitionem; & tandem unius expliciti cognitionem, in omnium implicitorum notitiã ducere. Imponat igitur ſibi noſter concertator Lulliana perſpicilia, & inſpiciat, an ſuum Theatrum Criticum Univerſale, talis indolis Univerſalitatem habeat? &, ſi ingenuè viſionem fateatur, nil minùs, quàm hujuſmodi Univerſalitatis in illo contineri reſpondebit; quia illud ſolùm de particularibus tractat ſub particularitatis ratione, ût per ſe patet; & ita vocatur (ait idem Author in Prol. t. 2.) quia tractat de omni genere rerum, ſicut lingua v. g. quę vocatur à D. Jacobo univerſitas iniquitatis, quia cum tanta libertate omnis generis dicteria loquitur; ſed Ars Lulliana tractat de Univerſalitate, ût probatum eſt, quæ in uno docet omnia ſub ipſo contenta tam aſcendendo & deſcendendo, quàm circulari-

riter eundo ; & ideo B. Raymundus Artem fecit abbreviatam ad Dei imitatianem, qui Verbum fecit abbreviatum, in quo omnia dicit, docens cum illa animæ & corporis ſalutem conſervare, ut eſſet Ars brevis & vita longa ; imò talè unum Lullianę Artis eſt lidius lapis, quo ſolo poteſt ad oculum examinari univerſaliter, quidquid particulariter ſedet in toto Theatro Critico Univerſali, ut, quid eſt aurum, & quid non eſt, intuitivè appareat.

36 Si ergo tot & tanta bona B. Raymundus omnibus cum ſua Arte univerſali operatus eſt, quare debuit incidere in novum caſum conſcientiæ peccati lethalis cum obligatione reſtituendi damna illata, quia dedit ipſi Arti titulum *Univerſalis* ? ſic afferit R. P. Feijoò t. 4. Diſc. 11. f. 278. ſi ipſe ſibi abſolutionem à talibus caſibus reſervavit, ſicut eorum incurſus in ſuo libito eſt, omnes Lulliſtæ non minori reverentiâ, quàm omnium artuum tremore intrantes cum bona venia in Theatrum Criticum Univerſale, & univerſale judicium formidantes, in quo nec pilus unicus injudicatus remaneat, humiliter petimus à judice in noſtrum Magiſtrum tam ſevero, abſolutionem à tam gravi caſu ; &, ſi noſter Magiſter cum tali titulo aliquem defraudavit, ſatisfacere promittimus, & reddere quadruplum ; &, ut præſenti ſatisfactione jam miteſcere incipiat, non dedignetur perpendere, qualiter ex prædictis legitimè inferatur, Artem Magnam Lullianam omnem dabilem dare notitiam de omni objecto omnium ſciẽtiarum ; nam eadem facilitate, qua in objecto Theologiæ & Philoſophiæ exemplificatum eſt, cum ſint ſcientiæ Viris Religioſis magis notæ & uſitatæ, poteſt exemplificari in omnibus aliis per ſcientem dictam Artem & terminos particulares. Et, nè aliquis me declaret in prædictũ novum caſum conſcientiæ incurſum, placeat ipſi obſervare, me ſemper promiſsis aliquid ſuperaddere, ſicut promiſsioni exemplificandi in objecto Theologiæ, aliquid addidi de Philoſophia, quæ fidelis eſt veræ Theologiæ ancilla ſuam Dominam bene comitans ; ſicut hujus primæ partis extrinſecitati ſemper adeſt aliquid de intrinſecitate,

te, quæ in ſecunda Parte prædominabitur, ſicut ignis in ſua ſphæra, etsi terræ penitùs non deſit; quod etiam in ſequentibus obſervari poterit; & quare ita fiat, Rethorem non latebit, ſicut induſtrium belli Magiſtrum non latet convenientia expugnandi aliqua obiter, nè inſidiæ à tergo maneant, dum pergitur ad terminum principalem. Pergamus igitur ſic in nomine Domini.

CAPUT IV.

QUOD ARS MAGNA DESERVIT AD faciendum valde ſerium, & utilem ludum Combinationis variorum Attributorum ſuper objecta, de quibus per ipſam Artem perfecta habetur notitia.

1 PERGIT Eeijoana Epiſtola erudita puncto quarto ſic: *Ars Magna ſolùm deſervit ad faciendum valde inutilem ludum combinationis variorum prædicatorum, vel attributorum ſuper objecta, de quibus aliunde habetur notitia.* Licèt enim huic calumniæ jam pleniùs ſit in præcedentibus ſatisfactum, nihilominùs magnum obſtaculum radicitùs expugnare eſt neceſſe, nè inſidiæ maneant latentis inimici, nedùm à tergo, verùm intra domeſticos parietes, quod periculoſius eſſet, noſtri ſcilicet eruditiſsimi Waddingi, cujus minùs informatum judicium fuit radix & origo, unde hæc & aliæ calumniæ emanarunt, & in hoc etiam videbitur, quanta æquitate & impartialitate ad veritatis Regnum propugnandum procedatur; ſcripsit enim ût ſequitur:

2 „ Artes Magna & Par-
„va & Inventiva veritatis,
„(iſtam debuiſſet meliùs inſ-
„picere) admirabiles habent
„ambages, & sinuoſos anfrac-
„tus, per quos nec Dædalo
„liceat incedere, (imò mi-
„rabilius, quòd Waddingus non

non valens incedere sicut Dędalus per Artis anfractus, voluerit volare sicut Icarus suprà tantæ profunditatis mare, ideoque nil mirum, quòd cadat pennis, & cruribus fractus) „ nec ingeniosissimis ali„ quando viris etiam filum „ sufficiat Ariadnæ, quin in „ itinere, vel judicio, sæpè „ deficiant. (Non sicut tu, „ qui talia judicando defecisti.) „ Paucos, vel nullos, qui hanc „ Artem, vel Artium omnium „ secretissimum & mysterio„ sum, quod fingunt semina„ rium (& sinè fictione, quia in illâ reverà sunt omnia semina scientialia) „ vel, ût alii „ vocant, Ludibrium, (& bene „ quadrat, nam sicut Sapientia Dei *Ludens coram eo* composuit & combinavit omnia principia naturæ in orbe terrarum, similiter Lullianus Artista combinat, & ludens componit principia Artis in orbe Literarum Figuræ A., coram quo delectatur per singulos dies) „ perfectè assequantur. (hoc ultimum verissimum est; nam, si ego, qui adhuc idoneus non sum ad talis Artis discipulatum, cum minima ipsius notitia valeo tanta spectra sicut folium, quod vento rapitur abigere in auras, & vix possum me cohibere à risu, licèt aliunde à lacrymis, quid, si aliquis Magisterium in ipsa Arte esset perfectè assecutus? & quis posset stare coram illo?) „ Quod, si post immen„ sos labores, & fatigati cere„ bri vigilias, aliqui se putent „ assecutos, vellem scire, quos „ tanti laboris hauriunt vel „ edunt fructus, vel quam sin„ gularem præ communi ho„ minum sorte aut trita gym„ nasiorum doctrina imbutis „ præferant excellentiam? sic Waddingus T. 6. fol. 237.

3 Quæ dicta summoperè R. P. Sollerio placuere, ita ut omnia transcripserit in Acta Sanctorum f. 64. num. 28. & 29. Ab ipso etiam noster R. P. Bracelò mihi etiam sanguine conjunctus & omnibus titulis, hoc excepto, semper laudabilis, tela mutuatus est ad defendendum B. Raymundum de manu Alchymistarum, nam trepidans timore, ubi non erat timor; conatus est ipsum nobili scientiæ Chymicæ, habitu exuere, ut sanctitatis habitu illum indueret, tamquam si isti duo habitus non magis condecorarent Personam, quã simplicis sanctitatis habitus cum ignorantia arcanæ Philosophiæ & Medicinæ. In eum-

dem impegit ſcopulum R. P. Cuſturerius. De quibus omnibus ſcribens Romam incomparabilis Doctor in quatuor Facultatibus Ivo Salzinger ad R. P. Antonium Reura noſtri Ordinis ſic ait: „ Ex animo lo-„ quor, & vix poſſum me „ cohibere à lacrymis, quòd „ etiam ipſimet Profeſſores ve-„ ritatis tantum donum Dei „ non ſolùm negligant, ſed „ tamquam rem vilem & im-„ poſsibilem traducant, in „ propriam ſuam & multorum „ innocentium perniciem, qui „ malo exemplo horum lite-„ ratorum inducti vel potiùs „ ſeducti, hæc utiliſsima hu-„ mano generi dona gratiæ „ divinæ aſpernantur, & otio-„ ſa deliteſcere compellunt: „ jam non miror, quare tam „ in Diſſertatione Optimi P. „ Cuſturerii, quàm in Aſtrea „ Rationali R. P. veſtri Barce-„ lò, ... ſicut etiam in Actis „ R. P. Sollerii tam jejuna cer-„ natur commendatio ſcien-„ tiæ Lullianæ, quin quoties „ ea intueor, quæ Waddin-„ gus veſter de eadem ſcien-„ tia calamo impolito exara-„ vit, huic Viro indignor, „ qui his nominatis duobus „ Patribus Societatis optimam „ ſubminiſtravit lituram, qua „ parietem luto ſinè paleis „ (vult dicere ſinè ligamine) „ conſtructum obducerēt. Quis „ quæſo, ſi hæc legat, ignem „ concipiet ad ſcholam Lullia-„ nam frequentandam, quam-„ diù hæc glacies ante portas „ jacet?

4 „ Profectò mirum mihi „ videtur potuiſſe hominem „ inveniri, qui ſe voluerit „ commendare Univerſitati, & „ Ordini veſtro, & auſus ſit „ in facie veſtra, vel ipſa fun-„ damenta ædificii Lulliani „ ſuffodere! Huc uſque juſto planè dolore ſapientiſsimus Salzinger. Sed, quia omnes prædicti jam manent egregiè refutati in Perſpiciliis Lullianis Tomo 1., utì etiam opinio RR. PP. Arriagæ & Vaſquez in fine Præcurſoris Tomo 3., nunc mihi neceſſe eſt habere hiſtoriam cum noſtro eruditiſsimo Waddingo, cujus judicium ad duo reducitur, ſcilicet ad Artis addiſcendæ difficultatem, & ad fructûs nullitatem, vel excellentiæ tanto labore quæſitæ.

5 Ad primum igitur dicitur, quòd, ſi eruditiſsimus Annaliſta ſubodoratus fuiſſet, Lullianam Artem ſuper quatuor lapides nullis adverſis viribus loco movendos fundari ſu-

ſuper *Naturam* ſcilicet, *Ordinem*, *Connexionem* & *Perfectionem*; facilitatem illam addiſcendi vidiſſet; nam, quid faciliùs, quàm id, quod eſt juxta naturam? ſicut è converſo, quid difficilius, quàm id, quod contra naturam eſt? quid facilius, quàm id, quod eſt ordinatum? ſicut è converſo? quid facilius, quàm id, quod eſt connexum juxta ordinem naturalem? ſicut è converſo? & tandem, quid facilius, quàm id, quod perfectum eſt naturali ordinata & connexa perfectione ſinè aliquo defectu? nam hæc quatuor, ût per ſe patet, conveniunt cum facilitate, & ideo reperiuntur in Deo, à quo infinitè diſtat omnis difficultas innaturalitatis, inordinationis, diviſionis, & defectûs. Et, cùm ipſe Deus voluerit omnium ſuarum Perfectionum in creatura ponere ſimilitudinem, ideo voluit etiam imaginem facilis plenitudinis ſuæ Divinæ Sapientiæ in Arte Lulliana ſtatuere, ut per illam plena omnium ſcientiarum notitia faciliter haberetur, qua dilecta Chriſti Sponſa ab omni defenderetur errore. Et, ſi aliquis Waddingi opinione ductus ſciret vel demonſtraret, hanc Divinæ Sapientiæ ſimilitudinem, quæ debet eſſe in mundo, in alia Arte & ſcientia à Lulliana inveniri, promitto, me, hac relicta, illam totis viribus amplexurum.

6 Si, inquam, Waddingus noſter ſolum procedendi *ordinem* Lulliana in Arte fuiſſet ſubodoratus, aureum incorruptibilius & nobilius filum, quàm Ariadnæ habuiſſet, quo ſecuriùs & expeditiùs, quàm Dędalus per Cretæ labyrinthum, per admirabiles Principiorum Conditiones, quas reputat ambages & ſinuoſos anfractus, valuiſſet incedere, & clarè vidiſſet, quòd hic *ordo naturæ*, *connexionis*, *& perfectiois* eſt adeo *directa via*; *ita ut ſtulti non errent per eam*; Iſaiæ 35. v. 8. Dummodò *non erubeſcant ſtulti fieri*, *ut ſint ſapientes* 1. Cor. c. 3. v. 18. Iſta fuit maxima difficultas, quam noſter Waddingus falsò putavit in Arte, & non cernebat in ſe ipſo, ubi reverà erat, quia, ſe nec apicem nec jota illius percipere erubuit confiteri; & præſertim ſi fama volabat, aliquos modicos & deſpectos intelligere, quod ipſe nullatenùs percipere quibat; nam eſt de Fide, quod Sapientia *vocavit*

parvulos, & insipientibus locuta est; Prov. 9. v. 4., & æqualiter est certum, quòd absconduntur à sapientibus & prudentibus, quæ parvulis revelantur.

7 Certum etiam est, ût constat ex operibus B. Raymundi, ipsum ita parvulum & modicum in sua æstimatione fuisse, ut meruerit per Divinam sapientiam & Amorem exaltari, ita ut licèt, ût supra, jam sit maximè laudatus, sancti sapientes, si non hujus, futuri sæculi, ipsum non poterunt satìs laudibus deprædicare, imò magìs me culpabilem judicabunt propter ea, quæ scienter taceo, quàm propter à me dicta, quia Divina Prudentia me movet ad dicendum, & humana, ût timeo, ad tacendum, licèt veri Lulliſtæ, (non est enim negandum, etiam esse falsos) quando alio ex capite, eorum opera argui nequeunt imprudentiæ vitio taxentur; &, tametsì jam dicta aliqualiter intelligenti superſint, nihilominùs, nè aliquis minùs intelligens valeat dicere, omnia in mera speculatione manere, posteà etiam stultis practicè demonstrabuntur.

8 Ad secundum respondetur, quòd, si noster Waddingus adhuc ageret in vivis, ipsi hanc admoverem quæstionem, utrùm scilicet ipse sciens, quòd si alicui ex notis Scholiarchis operam daret, deberet magnam aliorum persecutionem, privationem honoris, ascensuum, & aliqua alia perpeti, an, inquam, in illius Magistri studio perstitisset? & si responderet, quòd ita, ipsi confiterer, quòd in hoc esset admirabilis & singularis, cùm experientia passim contrarium doceat: unde respondeo, hanc excellentiam, in qua Waddingus admirabilis fuisset & singularis, esse communem illis, qui operam Lullianæ Arti impendunt; nam ex laboribus, vigiliis, & cerebri fatigatione communiter solent præ cæteris hunc utilissimum fructum & inæstimabilem excellentiam (de qua Waddingus inquirit) reportare; non quidem diffiteor, in trita Gymnasiorum doctrina, parùm de tali excellentia & utilitate curari; quin etiam Lullianæ Artis sectatores sciunt sedere solitarii & tacere levantes se super se, quod est alia non modica excellentia, quæ geminæ excellentiæ, etsì solæ essent,

ſent, jam ſignificarent, Artem Lullianam pretioſam eſſe margaritam, quam qui invenit nō dubitat vendere omnia ſua, ut emat eam, & conſervare, omni labore poſthabito: unde, ſi ſubtiliter perpendatur, plures habet veros diſcipulos Beat. Raymundus, quàm aliquis alius, qui putatur multos habere; nam verus diſcipulus eſt, qui non quærit, quæ ſua ſunt, ſed, quæ Magiſtri, ſicut ex hoc ſolo Beat. Raymundus verus Chriſti diſcipulus evidēter demonſtratur, quia non, quæ ſua erant, ſed, quæ Jeſu Chriſti quæritabat.

9 Hoc ultimum debuiſſet noſter Waddingus bene obſervare in vita & operibus omnibus B. Martyris & Doctoris Illuminati, antequam poneret in dubio aliquem defectum, quem illi condonare deberet. Non dubito, quin non paucis durum videatur, quod ait ipſe Doctor in Libro de prima & ſecunda Intentione, intentionem docens, qua quis ad ſcientiam debet accedere; videatur Tom. 6. circa finem; ſed non ita videtur D. Bernardo adeò ſuavi & dulci; ait enim cum S. Petro Bleſenſi in Aurifodina Author. SS. Patrum: *Velle ſcire, ut ſciamus, ſuperbia eſt: velle ſcire, ut ſciamur inanis gloria eſt: velle ſcire, ut lucremur, ſimonia eſt: velle ſcire, ut ædificemur, prudentia eſt: velle ſcire, ut ædificemus, charitas eſt.* Quid ſuavius & dulcius, quàm ædificari perſecutione & ædificare cum patiētia? Hęc eſt Lulliſtarū characteriſtica excellētia, quā Waddingus ædificans non advertit.

10 Deinde ipſi Waddingo hanc aliam proponerem quæſtionem, utrū videlicet ipſi acciderit in aliquo tempore aliquam defendere concluſionē, & in alio illius contradictoriā propugnare? &, ſi reſponderet: neutiquam; ipſi regererem, quòd in trita Gymnaſiorū doctrina hoc non ſemel videatur, experientia teſte, ſed numquā in Lulliana ſchola; nam Ars docet altas & profundas veritates certitudinaliter ſcire; ita ut, qui ſic didicit, poſsit in veritate jurare, ſe pauco tempore ſcire, quod Waddingus forſan in tota ſua vita comparare nequivit. Quid quæſo ad has reſponderet quæſtiones, utrùm ſcilicet Deus non poſsit ſalvare Judam, quia non vult, vel nolit, quia non poteſt? Utrùm Pater Divinus ſit Pater, quia generat, vel generet, quia eſt Pa-

Pater? & millenas alias hujuſmodi? quas omnes infimus Artiſta unica ratione reſolveret dicens: quia Deus eſt infinita Æqualitas, æqualiter affirmativa in his omnibus eſt tenenda; nam in Deo eſt impoſsibilis ratio à priori & à poſteriori, ut ipſius Poteſtas non à Voluntate, nec Voluntas à Poteſtate dependeat; & ſic æqualiter poteſt, quia vult, & æqualiter vult, quia poteſt quidquid poteſt & vult; & æqualiter non poteſt, quia non vult, & non vult, quia non poteſt; ideoque etiam Pater æqualiter eſt Pater, quia generat, & generat, quia eſt Pater; & ſimiliter de Divina Libertate & Neceſsitate & de aliis, quæ in Deo idem ſunt. Unde Lulliſta per neceſſariam DeiVeritatam cognoſcit ſcientificè neceſsitatam veritatem creaturæ, & altiſsimas Theologiæ quæſtiones, & aliarum ſcientiarum, quas forſan Waddingus & alii oppoſitores poſt plurimorum annorum ſtudium, ſolùm opinativè attingent; & ſic Lulliſtæ mediante Arte aliam habent excellentiam toto mundi auro incomparabilē. Videantur aliæ excellentię in Dignitatibus Artis Cap. 1.

11 Reprehendit etiam illos, qui vocant B. Raymundum, Illuminatiſsimum; ad quod dico, me quotquot potui invenire illius Laudatores legiſſe, & non reperi nisi tres, in quorum teſtimonio omne verbum poteſt meliùs incomparabiliter ſtare, quàm in ore Annaliſtæ: primus eſt noſter Emin. Franciſcus Ximenez de Ciſneros maximum Hiſpaniæ & totius Ordinis noſtri decus, qui, ût ſupra, vocat B. Raymundum, *Illuminatiſsimum*; ſecundus eſt R. P. Kirkerus, qui in Lib. 3. Artis Mag. in Præf. fol. 101. ait: *Nos enim dictæ Artis arcana, tametſi confuſa, & veluti caligine quadam involuta* (oculis ægris) *paulò profundiùs rimantes talia non reperimus, qualia iniqui rerum, quas non intelligunt, Cenſores & Ariſtarchi perperàm ſentientes Viro* Illuminatiſsimo *immerito jure opponunt*; tertius eſt ſapientiſsimus Salzinger, qui in Præcurſore Tom. 3. in principio vocat ipſum, ſolem *Illuminatiſsimum*, an ſint alii neſcio, quia nequeo omnia nec ſcire nec legere, quod ſcio eſt, tres iſtos majus fundamentum ad laudandum, quàm noſtrum Annaliſtam ad reprehendendum habuiſſe. Ut igitur jam finis imponatur hiſto-

toriæ, ipſe Waddingus ex ore ſuo judicetur.

12 Ait enim ibidem, ſe clariſsimè demonſtrare, B. Raymundum nedùm Chymiam non docuiſſe, verùm contra ipſam eſſe, & totis viribus negare; & pro prima probatione, quin textum adducat ſpecialem, citat Librum de Quæſtionibus ſolubilibus per Artem Inventivam, in quæſtione 40., quæ non eſt talis, ſed 166., ſed hæc æquivocatio impreſſori adſcribatur, ſicut omnium appellativorum noſtræ linguæ Majoricenſis corruptio: dicta quæſtio habetur Tom. 4. fol. 165., quæ ſic ſonat: *Utrum Alchymia ſit in re vel in ratione tantùm?* ubi Illuminatus Doctor ſic ait: *Priuſquàm argentum fuiſſet reductum de habitu in actum, erat naturaliter in habitu quoad formam, & in potentia quoad materiam, ſed Artifex præparavit materiam, ut illud, quod erat in habitu & potentia deduceretur in actum; ſecùs autem eſt in operatione Alchymiſtæ.* Quis Philoſophus non videt, noſtrum Waddingum egregiè improbare hoc idem, quòd probare intendit? Nam B. Raymundus hìc affirmat, quòd Artifex qui ſcit præparare materiam & uti viribus naturæ, eſt verus & realis Alchymiſta, quia mediante natura & Arte ſimul reducit ad actum id, quod in argento erat in habitu & in potentia; Alchymiſta verò, qui cum ſola Arte, naturam ignorans, id facere conatur, eſt falſus, & ſolùm in ſua imaginatione Alchymiſta. In quo clariſsimè demoſtrat noſter Waddingus ſuam admirabilem inadvertentiam, ſeque nec micam veræ Philoſophiæ poſsidere; ſed ſolùm hiſtorialiter, oculoque nimis feſtino percurriſſe manuſcripta forſan malè ſcripta, & certò pejùs intellecta, ut in fine finali judicio deficeret.

13 Si humiliter conſuluiſſet veros B. Raymundi Interpretes, qui numquàm defuere, & extraordinarios fecerunt fructus, ût patet ex libris & geſtis eorum, ût ſupra, & ſapientiſsimus Magiſter Jacobus Januarius Ciſtercienſis, de quo ſupra laudabilis mentio facta eſt, tunc in tota Hiſpania notiſsimus erat, & hic ſolus Waddingo ſufficiebat, ut videret, an ex Lulliana Doctrina aliquis fructus proveniſſet, & eſſet ſperandus in futuro; vel ingenuè faſſus fuiſſet, ſe de hac re non

non ſufficienter ad judicandum apprehendiſſe, poterat poſteris ſuam prudentiam & humilitatem recommēdabilem reddere, & non incurrere ſuo modo(non enim intendo æquiparare Libros B.Raymundi ſacramentorum Libris, licèt divina methodo tractent de eadem re) increpationem D.Auguſtini, qui in Lib. de Utilitate credendi cap. 13. ait: *Et ſi unaquæque diſciplina, quamquàm vilis & facilis, ut percipi poſsit, doctorem, aut Magiſtrum requirit, quid temeritæ ſuperbiæ plenius quàm divinorum Sacramentorum Libros & ab Interpretibus ſuis nolle cognoſcere, & incognitos velle damnare?*

14 Neque hìc ſilere placitum Deo erit, B. Raymundum habere plures inimicos declaratos, qui quantò majus dicterium dicunt contra ipſius divinam Scientiam, tantò majorem gloriam habent apud infinitum numerum ſtultorum, quia, auditâ aliunde famâ omnifarię ſcientiæ Lullianæ, putant hujuſmodi oblocutores Lullo ſapientiores. At iſti non ſunt tam timibles, quàm illi, qui deteſtabili hypocriſi & invidiæ livore tabefacti magnam erga Virum ſanctum ſimulantes devotionem, omnia, quæ poſſunt damna, Doctrinæ & ejus ſectatoribus inferunt; ab experientia loquor, ut qui habet intellectum intelligendi intelligat, hujuſmodi aptiſsimis inſtrumentis uti communem inimicum, ut ſua queat perficere deſideria; ideoque, quid mirum, quòd Concilia retroactis ſæculis habita Libris Lullianis non fuerint uſa, ſi adhuc non erant impreſsi, & potior eorum pars erat in lingua antiquiori Lemoviſenſi ſcripta, quos ipſemet Profeſſores Lulliani & Artis Doctores nomine tenùs horrebant legere, utì non quærentes Magiſtri laborem, ſed commodiorem ſui convenientiam, exceptis non paucis, qui forti boni communis deſiderio contra ictum fluminis ſtygii, & juxta ductum Flaminis cœlici, hunc laborem feliciter ſunt aggreſsi? Quid, inquam, mirum, quòd Lulliana Doctrina hucuſque plenarium non fuerit ſortita effectum, ſi ad illam retardandam, ût maximè inimicam, avernus in hominibus tantum invenit defectum?

15 At non eſt conſilium contra Deum, qui ſcivit per tot ſæcula, manuſcripta Lulliana ferè per totam Europam diſ-

diſperſa inter manus inimicorũ illæſa cuſtodire, donec veniret, qui ipſa innumeris ſumptibus de tam periculoſa captivitate redimeret. Quin etiam nequeo ſatis mirari Divinæ Providentiæ ſagacitatem de ſæculo in ſæculum infirma inſtrumenta excitantis ad confundẽdam ſapientium vanitatem, & tuendam Doctrinæ & honoris ſervorum ſuorum Veritatem; ideoque Illuminato Doctori toties certamina dedit fortia, ut fortiùs exiret vincens, ut vinceret, ût viſum eſt in tot hæreſeos ſpectris ipſi oppoſitis, à quibus faciliùs ſe excuſsit, quã valeat quiſquam ab unico dutaxàt ſibi ſemel oppoſito omnibus viribus, mediis & modis in tota ſua vita ſe extricare.

16 Cætera de ſtyli barbarie, duritie, inconcinnitate, inæqualitate, & idiotiſsimitate, de methodi irregularitate, incultura, confuſione, levitate, aſperitate, & ridiculitate (Deo ſint laudes, quòd inter tot Doctori Illuminato omnino irrationabiliter oppoſita, non eſt obſervatum aliquid de falſitate) jam ſunt repulſa in Tomo 1. & in variis Librorum ipſius Prologis, præſertim Artis Inventivæ Tom. 5. præventa, necnon in Præcurſore Tom. 3., ubi de barbarie ſapientiſsimus Ivo ſic ait: „ Sed huic Doctrinæ nimium „ adverſis ideo diſplicent, (Demonſtrationes) „ quia oculos „ omni vi comprimunt, & ne„ quidem terminos Artis & de„ finitiones illorum legere dig„ nantur, nam aſſerunt illos eſ„ ſe barbaros, & nugas vocitãt; „ vid. P. Arriaga, qui cum lau„ dato P. Vaſquezio terminum „ *concordantiæ* mutavit in ter„ minum *concordiæ*, & terminum „ barbarum *bonificare* in *bene„ facere*: bene facietis ergo Con„ diſcipuli, ſi in poſterùm relic„ tis barbaris terminis veſtri „ Magiſtri, nempe *bonificare*, „ *magnificare*, *virtuificare*, *ve„ rificare*, *glorificare*, *juſtificare*, „ dicatis *benefacere*, *magnefa„ cere*, *virtefacere*, *verefacere*, „ *glorefacere*, *juſtefacere*, &c. hoc enim erit valde ornatum & comptum. Hucuſque Salzinger. In quo clarè apparet omni magis ratione utenti, quàm ſenſu, majorem non eſſe rationẽ unũ mutandi, quàm alium ex dictis terminis, & conſequenter ſi unus eſt barbarus etiam alii, & ſi unus non ita eſt, neque alii; &, ſi ad ſenſum convertamur, meliùs mihi ſonat quando audio *Magnificat* anima mea Dominum, *mirificavit* Dominus, *vivificabis* me, quàm ſi audi-

rem *magnefacit*; *mirefecit*, & *vivefacies*, &c. Eadem facilitate demonſtrari poſſet aliorum oppoſitorum abſurditas, ſi eſſet operæ pretium, & niſi utiliora me raperent; quare, finita noſtri eruditiſsimi Waddingi hiſtoriâ, ad ludendum cum noſtro Concertatore properare libebit.

17 Libentiſsimè enim admittitur, Artem Magnam Lullianam ad inſtituendum ludū deſervire; nam Divina Sapientia componendo & combinando etiam ludere delectatur, cùm dicat Proverb. 8. v. 30. *Cum eo erã cuncta componens... ludens in orbe terrarum*; ideoque, ſicut Divina Sapientia omnia naturæ principia compoſuit & combinavit *Ludens* in orbe terrarum, ſimiliter Lullianus Artiſta componit & combinat omnia principia Artis *Ludens* in orbe literarum, qui eſt Figura circularis, quæ vocatur A., & ſignificat Deum & omne ſubjectum creatum, & ſedecim literæ egredientes ab ipſo A. & per totum orbem diſtributæ à B. uſque ad R. ſignificant omnia Attributa Dei & creaturæ; & ideo, ſicut Dei Sapientia delectatur ludens, quia ex ludo combinationis naturalis oritur totą utilitas poſsibilis in natura; ſimiliter Artiſta delectatur ludens coram A., quia ex ludo combinationis artificialis oritur tota utilitas in Arte & ſciẽtia poſsibilis; nã illa, quæ ſunt intellectu difficilia ſinè combinatione, per combinationem unius Attributi cum aliis fiunt facilia, quia unum Attributum eſt ita connexum cũ aliis, quòd ſinè combinatione cum illis non poſsit plenè intelligi nec conſiderari, & ideo iſte ludus combinationis Attributorum eſt omninò utilis & neceſſarius ad intelligenda myſteria Divina & arcana naturæ creatæ & omnes proprietates objectorum aliarum ſciẽtiarum.

18 Hæc eſt genuina D. Anſelmi doctrina, qui in Libro *Cur Deus homo* cap. 2. ait: *Eſt & aliud propter quod video aut vix aut nullatenus poſſe ad plenum inter nos de hac re* (de Incarnatione) *nunc tractari: quoniam ad hoc eſt neceſſaria notitia Poteſtatis & Neceſsitatis & Voluntatis & aliarum quarumdam rerum, quæ ſic ſe habent, ut earum nulla poſsit plenè ſinè aliis conſiderari; & ideo tractatus earum ſuum opus poſtulat non multùm, ut puto facile nec omninò inutile, nam*

nam earum ignorantia quædam facit difficilia, quæ per earum notitiam ſunt facilia.

19 Aliæ res connexæ cùm Poteſtate, Neceſsitate, & Voluntate ſunt alia Attributa Dei, quæ iſte Sanctus Doctor ponit diſperſa in neceſſariis Demonſtrationibus, quas facit de Deo ejuſque Myſteriis: unde ex cap. 16. Monol. deſerpta ſunt Bonitas Magnitudo Æternitas Poteſtas Sapientia Veritas Juſtitia, & ex c. 18. Proſol. Sapientia Æternitas, & omne Verbum bonum, quod continet omnia Attributa ſive Principia explicita Figuræ A.: ergo ex mente D. Anſelmi, vix aut nullatenus poteſt ad plenum tractari de Incarnatione, & conſequēter de aliis Divinis Myſteriis ſinè combinatione Divinorum Attributorum, quia unum eſt ita cum aliis connexum, ut ſinè illis non poſſit plenè conſiderari; ideoque S. Doctor dicit, quòd iſte Tractatus Divinorum Attributorum ſuum opus poſtulat, non multùm, ût putat, facile, quia humano ingenio inexcogitabile; ſed per gratiam Dei tale opus jam eſt in Arte Magna Lulliana conſtructum, ût clarè etiam ſtulti videbunt. Dicit etiam, tale opus non eſſe omnino inutile, quod ſecundùm Lyptoten ſignificat eſſe *pluſquam omnino utile*: ergo qui faciet tale opus erit magis Anſelmiſta & faciet utilius opus, quàm Theatrum Criticum Univerſale, & qui ipſum opus demoliri conatur, erit minus Anſelmiſta & magis boni communis inimicus, cùm tale opus ſit magis commune & magis univerſale & majoris noſtræ ſalutis, ſecundùm quod ordo depoſcit, & demonſtrabit. Ingrediamur igitur ludum ſerium operis D. Anſelmi judicio poſtulati; &, ut clariùs videatur, en Tabulæ luſoriæ ichnographiam, in qua vides ſapientiam excidiſſe columnas ſeptem tanta ſtabilitate ipſius domum ſuſtentantes, quòd portæ inferi non prȩvalebunt adversùs eam in æternum. *Si quis* igitur *eſt parvulus* & inſipiens, dicit Sapientia, *veniat ad me* & Ludum incipiat Literarum per A. B. C. D. &c. ût ſequitur.

TABULA COMBINATORIA UNIVERSALIS.

A	B	C		D	E
	Species	Genus		Species	Individuũ.
0	1	2	3	4	5	6
B	Intellectualis	Bonitas eſt	Bona in	Bonitate	Intellectuali	
C	Senſualis	Magnitudo	Magna	Magnitudine	Senſuali	
D	Subſtantialis	Duratio	Durans	Duratione	Subſtantiali	
E	Accidentalis	Poteſtas	Potens	Poteſtate	Accidentali	
F	Spiritualis	Sapientia	Sapiens	Sapientia	Spirituali	
G	Corporalis	Voluntas	Amabilis	Voluntate	Corporali	
H	Supernaturalis	Virtus	Virtuoſa	Virtute	Supernaturali	Dei
I	Naturalis	Veritas	Vera	Veritate	Naturali	Creaturæ
K	Infinita	Gloria	Glorioſa	Gloria	Infinita	Operationis.
L	Finita	Perfectio	Perfecta	Perfectione	Finita	
M	Simplex	Juſtitia	Juſta	Juſtitia	Simplici	
N	Compoſita	Largitas	Larga	Largitate	Compoſita	
O	Intenſa	Miſericordia	Miſericors	Miſericordia	Intenſa	
P	Extenſa	Humilitas	Humilis	Humilitate	Extenſa	
Q	Univerſalis	Dominium	Dominans	Dominio	Univerſali	
R.	Particularis	Patientia	Patiens	Patientia	Particulari	

Conditiones generales de C. 2. & 3. Columnarum ſunt 256.
Conditiones generales de C. 2. 3. & 4. Columnarum ſunt 4096.

Conditiones ſpeciales ex B. C. 4. Columnarum ſunt 65536.
Conditiones ſpeciales de B. C. D. quinque Columnarum ſunt 1048576.

Conditiones Individuales de B. C. D. E. ſunt incomputabiles.

20 Hæc Tabula ſive menſa ſecundùm Artem Magnam Lullianam conſtructa & parata ſeptem continet columnas, ût patet: caput primæ, quod eſt A. eſt caput omnium capitum columnarum fieri poſſibilium in omni Arte & Scientia particulari, & ſignatur cero, quia o ad nil eſt determinatum ex ſe, & poteſt ad omnia determinari. Omnes literæ ipſius columnæ ſunt ſigna univerſaliſsima ad omnia principia omnium ſcientiarum, & ideo hæc alphabetalis columna eſt univerſaliſsimum ſyſthema ad omnes columnas poſſibiles; nam ſedecim literæ, de quibus conſtructa eſt, non ſunt aſſumptæ ad libitum, ſed juxta leges naturæ, & Artis rationalis; ideoque iſta columna eſt prima & noviſsima, quia eſt omnium principium, & omnia continet.

21 Prima columna determinata, quæ reſpectivè eſt ſecunda, ſignata litera B. & 1. eſt ſpecialis, ût patet. Secunda, tertia, & quarta ſignatæ literâ C. ſunt generales, quia Artis Lullianæ principia generalia continent, quæ ſunt Attributa Dei & creaturæ. Quinta ſignata literâ D. etiam eſt ſpecialis, ût patet. Sexta ſignata literâ E. eſt individualis, quia in ea ſunt tria Individua univerſalia, quę comprehendunt quidquid eſt; nam quidquid eſt, vel eſt Deus, vel creatura, vel operatio Dei, vel creaturæ.

22 Modus addiſcendi hanc Tabulam eſt incipiendus in ſecunda Columna ſignata numero 2. à termino *Bonitas* ordinatim deſcendendo uſque ad terminum *Patientia*, quod in uno horæ quadrante efficietur etiam ab illo, qui debilem habet memoriam; deinde addiſcatur ordinatim in prima columna ſignata numero 1. numerus octo binariorum deſcendendo ordinatim à termino *Intellectualis* uſque ad terminum *Particularis*, quod etiam fiet in ſpatio plùs vel minùs unius horæ quadrantis; & tandem addantur tres termini ſextæ columnæ; & ſic in dimidia hora Minervæ filum habebitur, quo quis poterit longè ſecuriùs, quàm Theſeus Ariadnæ filo, per omnes principiorum Conditiones generales, ſpeciales, & individuales incedere, quin aliquo in anfractu ſit ceſpitandi periculum, quia ſunt taliter connexæ iſtæ & illa, quòd ſit impoſsibile inter hæc omnia aliquid

quid fractum reperiri. Stultus etiam non poterit per hanc viam in alicujus propositionis prolatione, errare quia omnes sunt infallibiles & necessariò veræ, ût clarè videbitur infra.

23 Sedecim Attributis & dictis octo binariis memoriter captis, incipiatur combinatorius ludus sic dicendo: *Bonitas est bona, Bonitas est magna, Bonitas est durabilis*, & sic descendendo usque ad sextamdecimam & ultimam, quę est *Bonitas est patiens*. Et cum ista prima circulatione sedecim habebuntur Conditiones generales de *Bonitate*; deinde accipiatur Attributum sequens, quod est *Magnitudo*, & eodem ordinis filo procedatur dicendo: *Magnitudo est bona, Magnitudo est magna, Magnitudo est durabilis* usque ad ultimam *Magnitudo est patiens*, eruntque aliæ sedecim Conditiones de *Magnitudine*; & similiter fiat de omnibus aliis Attributis, & memoriter tenebuntur sinè difficultate sedecies sedecim Conditiones generales verisimæ & infallibiles de Divinis & creaturalibus Attributis, quæ Conditiones simul sumptæ sunt ducentæ quinquaginta sex.

24 Deinde, si prædictæ Conditioni generali *Bonitas est bona*, addatur unum principium quartæ columnæ dicendo: *Bonitas est bona in Bonitate, Bonitas est bona in Magnitudine*, & sic de cæteris, ût manet exemplificatum in primis Conditionibus, multiplicatur prædictus numerus 256. Conditionum per sedecim, in numerum quatuor millium nonaginta sex Conditionum de tribus principiis generalibus de C. secundæ, tertiæ, & quartæ columnæ. Præterea, si Conditiones generales de C. specificentur per specialia principia de B. primæ columnæ dicendo: *Intellectualis Bonitas est bona in Bonitate, Intellectualis Bonitas est bona in Magnitudine*, & sic de cæteris, ût in superiori exemplo, multiplicatur numerus 4096. per sedecim, in numerum sexaginta quinque millium quingentarum triginta sex Conditionum specialium de quatuor principiis de B. C. Quinetiam, si speciali Conditioni huic dicenti: *Intellectualis Bonitas est bona in Bonitate*, addatur alius terminus specialis de D. quintæ columnæ, scilicet terminus *Intellectuali* dicendo: *Intellectualis Bonitas est bona in Bonitate Intel-*

tellectuali, & ſic de aliis per totum ſedecim principiorum circulum, multiplicabitur numerus 65536. in numerum unius computûs quadraginta octo millium quingentarum ſeptuaginta ſex Conditionum ſpecialium de B. C. D. quinque columnarum.

25 Tandem, ſi prædictæ Conditioni dicenti: *Intellectualis Bonitas eſt bona in Bonitate Intellectuali*, addatur terminus *Dei*, vel *Creaturæ*, vel *Operationis* Dei, vel creaturæ, ſic ſonabit: *Intellectualis Bonitas Dei eſt bona in Intellectuali Bonitate, Intellectualis Bonitas Creaturæ eſt bona in Intellectuali Bonitate, Intellectualis Bonitas Operationis Dei eſt bona in Intellectuali Bonitate, Intellectualis Bonitas Operationis Creaturæ eſt bona in Intellectuali Bonitate*; & ſic taliter multiplicantur Conditiones Individuales, ut ſint incomputabiles. In quo obiter perpendere convenit, qualiter deſerviat Ordo artificialis ſuperadditus ordini naturali ad memoriter addiſcendum in dimidia hora plùs vel minùs, quod per multos dies non poſſet vocaliter recitari in omni objecto & ſubjecto, & in quolibet cujuslibet ſcientiæ puncto. Quinetiam per ipſam Tabulam poſſunt formari utiliſsimæ quęſtiones in omni materia in numero decuplo majori numero computato & computabili conditionum generalium, ſpecialium, & individualium ipſius Tabulæ, & quęlibet quæſtio faciliter ſolvitur per ſibi competentem Conditionem, ût ſupra exemplificatum eſt per 10. Regulas generales in objecto Theologiæ. Plures aliæ utilitates in ſecunda Parte, Deo dante, notificabuntur.

26 Toto hoc non ſum adhuc ſecurus, quin exeat aliquis oblatrans ad Artem tenaciùs mordendam; nam tale eſt quorumdam genium, quòd, ſi conditionatè proponatur eis poſsibilitas alicujus magni projecti, hoc eſt Inventi, quod ipſi reputant impoſsibile, reſpondent, quòd ſi poſsibile eſſet, non toto mundi eſſet comparabile auro, & quando demonſtratam & evidentem habent Inventi actualitatem, majori petulantia ipſum tamquàm nil deſpicere non verentur. Contra quos oblatratores admonet Chriſtus ſuos Diſcipulos Matth. c. 7. v. 6. dicens: *Nolite Sanctum dare canibus; neque mitta-*

tatis margaritas veſtras ante porcos, nè fortè conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos. Hujuſcemodi experientia fecit multos dubitare & timere, nè revelando Artis Lullianæ inæſtimabilia arcana huic Chriſti monito contrairent. Hoc non obſtante in 1. Tom. ſunt tot de ipſius Artis ſecretis revelata, ut qui vidit, vel non vult videre, ut contradicat, excuſationem non habeat. Dictaque ratio eſt una inter alias, quare Il. Doctor magna ſagacitate Artis ſecreta ſuis in Libris diſperſit, ut ſui Diſcipuli hunc theſaurum Arte recolligerent, & inimici ipſum inadvertenter & incautè prę-terirent.

27 Ad demonſtrandum igitur aliqualem propoſitæ Tabulæ practicam, eſt advertendum, quòd primæ propoſitiones generales, ſcilicet *Bonitas eſt bona, Magnitudo eſt magna*, &c. omnimodè veræ ſunt; nam vel Bonitas eſt Divina vel eſt creata: ſi eſt Divina eſt bona activè, quia bonum activè eſt id, quod bonum operatur; & eſt bona paſsivè, quia bonum paſsivè eſt id, quod per Bonitatem paſſivè agitur (ut verbi *Operor* æquivocationē effugiam) & eſt bona actualiter per ſuū intrinſecum Bonificare; & ita Divina Bonitas eſt bona per ſe ipſam, de ſe ipſa, in ſe ipſa, & cum ſe ipſa activè, paſsivè, & actualiter. Etiam Divina Bonitas eſt bona in omni Bonitate creata, & ipſa ſola eſt ipſum Divinum Bonum, quòd per ipſam eſt, Divina Bonitas etiam, ût ſupra dictum eſt, eſt magna & eſt ipſa Magnitudo, & omnia alia Attributa.

28 Itaque, ſcitis Principiorum definitionibus, & ipſorum identitate in Deo, jam eſt aliquis nobiliſsimo ornatus habitu, ut faciliter cognoſcat quando quæritur aliquid de Deo & ejus Opere intrinſeco & extrinſeco, illud debere affirmari, quòd nulli Attributorum opponitur, & illud negari debere, quòd alicui ex ipſis contradicit: ſicut, qui perfectè octo Orationis partes didicit, faciliter & expeditè loquitur latinè, quin ad Regulas Grammaticales diſtrahatur; & hoc ideo eſt, quia unitatis habitum adquiſivit, qui omnium differentiarum multiplicitatis finalis perfectio eſt; ſic etiam eſt in Grammatica de Divinis Attributis, in quo exemplo expertum & ſubtile in-

ingenium poſsibilitatem videt adunādi omnes ſciētiarū differētias per univerſalia Lullianæ ArtisPrincipia in intensā unius habitus ſcientifici Concordantiam, in quo eſt finalis perfectio omnium, quæ in hac miſerrima vita ſub humanam ſcientiam cadere poſſunt, quę ſinè ignorantia nequit exiſtere.

29 Illud igitur eſt Opus poſtulatum per DivinorūTractatum Attributorum juxta illuminatam mentem D. Anſelmi, nitens his duobus polis: *quidquid convenit uni ex Divinis Attributis, omnibus convenit; & quidquid uni contrariatur, omnibus contradicit*; nam iſta eſt Regula infallibilis; ideoque, ſi aliquis effectus creatus, videtur neceſſariò uni Dei Attributo convenire, quamvis alteri contradicere videatur, illa contradictio non eſt in re, ſed in ratione apparenter; v. g. Sapientia Dei, quia eſt perfecta, neceſſariò Prædeſtinationem infert in rationali creatura; ſed iſte effectus videtur Divinæ repugnare Juſtitiæ, quę neceſſario liberū arbitriū infert in ipſa rationali creatura, cui creaturæ videtur, quod ſi eſt prædeſtinata, liberum jam non habet ad damnationem arbitrium, & ſi eſt præſcita, ipſum ad ſalvationem non habet; ſed, quia intellectus prædicta Regulâ inſtructus indefectibilitatem intelligit Perfectionis Identitatis & Concordantiæ Divinæ Sapientiæ & Juſtitiæ neceſſariò inferentium Prædeſtinationem & liberum arbitrium in creatura rationali, licèt non attingat qualiter hoc ſit, eſt tamen neceſſaria ſcientiâ certificatus de iſtorum *effectuum* ſimultate, & de poſsibilitate damnationis prædeſtinati, & ſalvationis præſciti.

30 Eſt etiam advertendum, quòd Conditiones, quæ fiunt de Deo, in quas intrant de illis octo binariis *ſenſuale, corporale, accidentale*, & alii termini, qui perfectiones ſimpliciter ſimplices non ſignificant, de Deo Incarnato & ſecundùm humanam naturam debent intelligi; & ſic omnes Conditiones ſpeciales etiam de Deo verificantur.

31 Si Bonitas, Magnitudo, Duratio, &c. ſunt creatæ, etiam verificantur primæ Conditiones, ſcilicet Bonitas eſt bona, Magnitudo eſt magna, &c.; nam quæcumque Bonitas creata ſubſtantialis eſt bona in ſe ipſa, quia in ſe ipſa habet

bonificativum, bonificabile, & bonificare, de quibus eſt eſſentialiter conſtituta; & ſic in ſe ipſa eſt bona activè per ſuum bonificativum, paſsivè per ſuum bonificabile, & actualiter per ſuum bonificare. Etiam Bonitas ſimplex eſt bona in Bonitate compoſita, & Bonitas generalis in ſpeciali, & hæc in individuali, & Bonitas univerſalis in omni Bonitate particulari, & Bonitas ſubſtantialis in ſua Bonitate accidentali; & idem eſt de Magnitudine & aliis creaturę Attributis; & ideo omnes Conditiones, exceptis de infinitate in pura creatura, verificantur in illis.

32 Eſt etiam maximè advertendum, clavem principalem ad aperiendum præpoſitæ Tabulæ ſecreta, eſſe Figuram T., ût in ſecunda Parte videbitur; nam iſta Figura, cùm ſit inſtrumentalis, omnes Tabulæ ſcrutatur receſſus per Differentiam, Concordantiam, & Contrarietatem; per Principium, Medium, & Finem; per Majoritatem, Æqualitatem, & Minoritatem; per Dubitationem, Affirmationem, & Negationem, & per omnes eorum ſpecies, quæ cùm comprehendant omnia, quæ ſunt & poſſunt eſſe in Deo, Creatura, & utriuſque Operatione, dando lineam & exemplum ad extrahendum implicita innumera per pauca explicita, clarè videtur ab illo, qui antecedentia percepit, cum ſola iſta Figurâ intima Tabulæ penetrante, poſſe faciliter componi plurima, optima & maxima volumina de quacumque materia, & taliter Artem celare, ut ipſius non appareret veſtigium, niſi fortè aliquis offenderetur terminus barbarus ab iis, qui dictam Artem ignorant. Quid igitur eſſet, ſi ipſi Tabulæ applicarentur aliæ Figuræ, Arbores, Regulæ, & Clavis Naturæ, & Artis, quæ omnia ſunt de eſſentia Artis Magnę Lullianæ? Quis igitur arguet me de peccato, ſi aliquid de ipſius Artis excellentia in manifeſta veritate dicam, cùm quidam inſignis hujus almæ Provinciæ Jacobeæ Pater, cuidam nunc Magiſtro hujus celeberrimæ Univerſitatis Salmantinæ attentam ſuadens lectionem in tribus Tomis primis Lullianis, quos ad ipſum tranſmittebat candidè & ſincerè fuerit faſſus, ſe non daturum ſolius Figurę T. intelligentiam pro duplici in ſacra Teologia Jubilatione? His igitur

tur prælibatis, aliquid de Tabulæ uſu dicatur, quod ſufficiat ad demonſtrandum propoſitum; alia dabit ſecunda Pars.

33 Uſus igitur & practica, in qua eſt dicti ludi finalis utilitas, conſiſtit in omnium quæſtionũ ſolutione per ipſas Conditiones exhibitâ: v. g. ſi quæratur, an in Deo ſit Productio? Dicitur ſic: Bonitas Dei eſt bona in Bonitate Infinita Operationis; ſed ad hoc eſt neceſſaria infiniti Boni Productio: ergo in Deo infinita Productio eſt neceſſaria. Bonitas Dei eſt bona in Infinita Bonitate Operationis; ſed ad hoc eſt neceſſaria Trinitas Producentis, Producti, & producere infinitorum in Bonitate: ergo &c. Bonitas Dei eſt bona in Bonitate Infinita operationis quantũ creatura poteſt infiniri & bonificari; ſed ad hoc eſt neceſſaria Incarnatio: ergo &c. Bonitas Dei eſt bona in Bonitate ſpirituali & corporali creaturæ quantum ipſa poteſt corporaliter & ſpiritualiter recipere in hac vita; ſed ad hoc Euchariſtiæ Sacramentum eſt neceſſarium: ergo &c. Bonitas Dei eſt bona in Bonitate Operationis perfectæ Juſtitiæ; ſed ad hoc eſt neceſſaria mortuorum Reſurrectio, æviternalis pœnæ inflictio, & meritorum æviternalis remuneratio: ergo neceſſaria eſt Reſurrectio mortuorum, univerſale judicium, præmium, & ſupplicium æviternale. Similiter poſſunt demonſtrari, & adhuc meliùs alia Fidei Myſteria per hanc Bonitatis conditionem, & per quamlibet aliam propter neceſſariam unius cum omnibus connexionem.

34 Et, ſi aliquis Conditionem ipſam negaret, quæ eſt major præmiſſa in prædictis ſyllogiſmis, aliud incomparabile revelatur ſecretum, ſcilicet, eam poſſe æqualiter per omnes ſubſequentes Conditiones probari: v. g. ſi negetur, quod Bonitas Dei ſit bona in Infinita Bonitate Operationis; probetur ſic: Bonitas Dei eſt magna in Bonitate Infinita Operationis; ſed non poteſt eſſe ſic magna, quin ſit ita bona: ergo &c. Bonitas Dei eſt potens in Infinita Bonitate Operationis; Bonitas Dei eſt ſapiens, Bonitas Dei eſt amabilis, & ſic de cæteris. Et, ſi negentur propoſita, probentur per oppoſita, ſcilicet per Malitiam, Parvi-

tatem, &c. nam, ſi Bonitas in aliquo non eſt bona, eſt mala, & ſi non eſt magna, eſt parva, & ſic de cæteris. Si negetur minor, facillimè probatur per Angulos Figuræ T., v. g. per Æqualitatem ſic: Bonitas Dei eſt æqualiter bona in eſſe & operari; ſed eſt infinitè bona in eſſe ipſius Bonitatis: ergo etiam ita eſt in Operatione ipſius Bonitatis, quod eſt impoſsibile, niſi habeat infinitam & æqualē Operationem Bonitatis, quæ operatio non poteſt eſſe ſinè *Differentia*, & *Concordantia* Operativi, Operabilis, & Operari infinitè æqualium in Bonitate. Et ſi aliquis Artis Principia per ſe nota negaret, poſſet ipſi unum ignotum per aliud notum probari; ſed, ſi pertinaciter omnia negaret, eſſet in ſua pertinacia & irrationalitate relinquēdus, nam Ars ſolùm data eſt intellectibus veritatem rationabiliter quærentibus.

35 Prædictæ Tabulæ uſus poteſt etiam Moralitati non modicè deſervire; nam omnia Principia generalia ipſi conveniunt, cùm Moralitas etiam ſit bona magna, &c., & etiam ſit intellectualis ſenſualis, &c. Poteſt etiam non minùs Myſticæ Theologiæ inſervire; nam per Divinorū Attributorū conditiones poſſunt elici actus Fidei, Spei, & Charitatis in gradu altiſsimo, v. g.: *Credo, Deus meus, quòd tu ſolus es infinitè bonus, & Bonitas infinita; &, quia ita bonus es, in te ſolùm ſpero, & ſuper omnia bona creata tuam diligo Bonitatem*; & ſimiliter de Magnitudine & aliis Attributis, taliter, ut per conditionum varietatem ita variè condiantur devotæ Animæ cibi, ut ſinè tædio quotidie in ipſis novam habeat delectationem; quòd, ſi Anima intelligat etiam ea, quæ credit, tantò altiùs aſcendit Fides ſicut oleum ſuper aquam ſapientiæ, & conſequenter alii actus, cùm Seraphicus Doctor D. Bonaventura in hac praxi expertiſsimus dicat: *quātò magis intelligitur in Scripturis, tantò augetur Fides.* Quod niſi ita eſſet, non diceret D. Anſelmus in Lib. *Cur Deus homo* cap. 2.: *ſicut rectus ordo exigit ut profunda Chriſtianæ Fidei credamus, priuſquam ea præſumamus ratione diſcutere: ita negligentia mihi videtur, ſi poſtquam confirmati ſumus in Fide non ſtudeamus, quod credimus intelligere.*

36 Un-

36 Unde infertur, combinationis Attributorum Ludum ad omnia prædicta non parùm utilem eſſe. Nec ex hoc, quòd Lullianæ Demonſtrationes in Attributo Divinæ Neceſsitatis fundentur, ſequitur, Deum cogi tam ad intra, quàm ad extra operari; nam, cùm Divina Neceſsitas ſit ipſa Dei Libertas, Deus ſemper æqualiter liberè & neceſſariò operatur; & hæc notitia non parùm juvit quorumdam Inſignium Doctorum ſucceſſores, qui in Libris D. Auguſtini & aliorum Patrum legentes: *Quòd Deus neceſſariò ſemper agat id quod eſt perfectius vel rationabilius*, & *Quòd non poſsit contra id quod eſt perfectius & rationabilius*, hunc loquendi modum durum eſſe putabant, & Divinam impugnare Libertatem; at, prædictâ connexione Divinorum Attributorum & identitate ſcitis, à ſuis ſcrupulis ſunt mitigati. Alii ad Divinum confugerunt Decretum dicentes: *Quòd Deus quidem fuerit neceſsitatus ad ſemper volendum id quod eſt rationabilius, non tamen ex alio capite nisi quia ab æterno ſic decrevit.*

37 Hæc enim fuit mens R. P. Riera noſtri Ordinis Cauſæ Lullianæ in Curia Romana Syndici, qui in ſuo *Tranſumpto Memorialis* fol. 8. ait: „ Ratio, ob quam ſit Lullus „ intelligendus loqui implici„ tè de potentia ordinata cùm „ ait *Deum non poſſe contra id „ quod rationabilius eſt & quod „ ab æterno decrevit*, eſt uni„ verſalis ſuppoſitio Princi„ piorum Artis, qua in ſua „ Arte & in omni Volumine „ præſupponit Dei Decretum „ æternum circa quidquid ra„ tionabilius eſt, ratione cu„ jus ſuppoſitionis dicuntur „ bonitas, magnitudo, &c., „ quoad extra, eſſe in Dei „ Decreto cum rationabiliori „ majoritate.

38 Ad quam rationem ſapientiſsimus Salzinger ſic ait: „ Profectò ſi ſe res ſic ha„ beret cum Arte Lulliana, „ ût R. P. Riera hìc ſentit, „ ruerent omnes Demonſtra„ tiones SS. Patrum, ruerent „ omnes Illuminati Doctoris „ noſtri, imò caderet tota Ars; „ quid enim facilius eſſet op„ ponenti & excipienti con„ tra tales Demonſtrationes, „ quàm negare ſuppoſitum „ hujus Decreti in iis opera„ tionibus ad extra, de qui„ bus nobis vel nondum conſ„ tat, vel etiam in iis, quas

„ per

„ per Fidem credimus, ut eſt Incarnatio, quam Infidelis opponens negat? Sic in Præf. Tom. 2. fol. 4. Ideoque verus Lulliſta ſecundùm mentem D. Anſelmi, & Il. Doctoris debet dicere, Deum omnia decreviſſe, quæ decrevit æqualiter, quia ſic decernere eſt illi bonum magnum & durabile, poſsibile intelligibile & amabile, virtuoſum verum & glorioſum, juſtum liberum neceſſarium & perfectum in omni perfectione; nam ſi ſola Divina Voluntas concurriſſet, operata fuiſſet vel fuiſſet principalis indecernendo, alia Attributa ab ipſa dependerent, vel ipſa eſſet prior in operando & alia Attributa poſteriora, vel otioſa in operatione Voluntatis prædominātis, quod eſt impoſsibile, ſicut in Deo prius & poſterius, majus & minus impoſsibile eſt. Quare, ut rectè de Deo & ejus operibus diſcuramus, numquam debemus eſſe immemores illius aureæ D. Anſelmi ſententiæ: *Eſt & aliud propter quod video aut vix aut nullatenus poſſe ad plenum inter nos de hac re nunc tractari*: (de Incarnatione) *quoniam ad hoc eſt neceſſaria notitia Poteſtatis, & Neceſsitatis, & Voluntatis, & aliarum quarumdam rerum, quæ ſic ſe habent, ut earum nulla poſsit plenè ſinè aliis conſiderari.*

39 Ergo ſecundùm illuminatam mentem Magni Parentis & Præſtantiſsimi Doctoris D. Anſelmi, rationem & Tabulam propoſitam, Ars Magna Lulliana nedùm deſervit ad faciendum valde ſerium & utilem Ludum Combinationis variorum Attributorum ſuper objecta, de quibus per ipſam Artem (ût patet in terminis Tabulæ continentibus omnes proprietates omnium objectorum generaliter, ſpecialiter, & individualiter) habetur perfecta notitia; ſed etiam ad demonſtranda omnia Fidei Myſteria, & faciendum Opus pluſquam omnino utile poſtulatum per Tractatum de Divinis Attributis; imò & ad omnia alia, quæ per viam ſcientiæ in hac vita poſſunt adquiri.

****
****
****
****

****
****
****
****

CA-

CAPUT V.

QUOD ARS MAGNA LULLIANA INTEGRAM contineat Metaphyſicam.

1 PERGIT Feijoana Epiſtola erudita num. 5. ſic: *Poteſt dici, aliquid Metaphyſicæ etiam in ipſa Arte reperiri.* Ad quod reſpondetur, verum quidem eſſe hoc poſſe dici, nam ſinè reſtrictione ita eſt, cùm continens totum, etiam partem contineat; ſed quia veritas eſt diminuta, neceſſe eſt aliquibus aliquitatibus ipſius integritatem demonſtrare, ut ſincerè & totaliter appareat.

2 Suppoſita igitur ſententiâ communiter recepta ex Ariſtotele dicente, quòd Metaphyſica eſt *ſcientia quædam, quæ ſpeculatur ens, prout ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt.* 4. Meth. text. 1. Secundùm hanc definitionem bene infertur, quòd ſcientia, quæ ſpeculatur omne ens prout ens eſt & ea omnia, quæ omni enti per ſe inſunt, ſit integra & totalis Metaphyſica; ſed Ars Magna Lulliana eſt ſcientia omnia prædicta habens, ût demonſtratum eſt in duobus præcedentibus Capitibus; ergo nihil ipſi deeſt de integritate Metaphyſicæ. Probatur nunc Authoritate Raymundi de Sabunde in Artibus & Medicina Doctoris & in ſacra Pagina Profeſſoris, qui in Lib. *Theologiæ naturalis*, qui propriè eſt Metaphyſica, de quo dictum eſt eſſe quintã eſſentiam Divi Thomæ, in principio, de Lulliana Arte ait: *Iſta ſcientia nulla alia indiget ſcientia neque Arte; non enim præſupponit Grammaticam atque Logicam neque aliquam de liberalibus ſcientiis ſive Artibus, nec Phiſicam, neque Metaphyſicam*, &c.: ergo ſi ita eſt, ipſa Ars & ſcientia continet omnes alias Artes & ſcientias, quæ ab ipſa eruuntur. Vid. 1. Dignitas Artis de Univerſalitate ſupra cap. 2. n. 2.

3 Deſumatur ſecunda aliquitas ex Authoritate R. P. Kirkeri, qui in Præf. Artis Magnæ ſciendi ait: *Altius tandem mihi lumen affulſit, advertique ſub Principiis Lullianis, veluti ſub rudi quodam ſileno ingentia ſcientiarum cimelia*

lia latere, quorum expenſione Reſpublica mirè locupletari poteſt. Unde infertur, quòd ſi noſtro Concertatori altius lumen affulſiſſet etiam vidiſſet in Arte Magna Lulliana ingentia Metaphyſicæ cimelia non videntibus latentia & conſequenter integritatem ipſius Metaphyſicæ ab ipſis cimeliis promanantem, & mirè potentem locupletare Literariam Rempublicam.

4 Sit tertia aliquitas ex Præclariſsimo Magiſtro Jacobo Januario Ciſter. ſupra citato pag. 79. n. 7., in cujus Authoritate de Arte Metaphyſicali Lulliana notentur illa verba: *Ut eſſet ei & aliis fidelibus* (dicta Ars) *generale medium cognoſcendi veritates omnium entium, & inſtrumentum expellendi errores & opiniones ſophiſtarum & infidelium hæreſes per verum credere & ſcire.* Iſta Metaphyſica jam eſt magis practica, quàm Ariſtotelica, de qua ipſe Philoſophus Lib. 6. Met. text. 4. ait: *De ente prout ens, &c. ſpeculari hujus eſt.* Scripſit etiã iſte inſignis Lulliſta inter alios præclaros Libros Metaphiſicam Majorem, de quo Libro meus Magiſter Ivo loco ſupra citato ait: *Hunc verò Librum digniſsimum arbitror, qui tamquam inſignis theſaurus Scientiæ Lullianæ Libris & Bibliothecæ B. Raymundi adjungatur.*

5 Unde infertur, quòd ſi Ars Magna Lulliana eſt *generale medium cognoſcendi veritates omnium entium*, ipſam neceſſe eſt integram continere Metaphyſicam; & ſi eſt *inſtrumentum expellendi errores infidelium per verum ſcire*, etiã eſt magis practica, quàm Metaphyſica Ariſtotelica; nam hoc nequit fieri ſinè practica, nec Deus dat ſcientiam niſi ût ædificemur & ædificemus, ût teſtatur Doctor Mellifluus, ût ſupra, & ratio ipſa probat. Et etiam, ſi Ars Lulliana ſufficit ad faciendum Librum Majoris Metaphyſicæ, ipſa Ars non continet minus de Metaphyſicali ſcientia, quàm Ariſtotelis Metaphyſica, cùm aliquid vel minùs non ſufficiat ad efficiendum majus, præſertim hominibus, qui de nihilo aliquid efficere nequeunt, nec valent de ſpinis uvas, nec de tribulis ficus colligere, nec ſinè virtute naturæ vel materiæ multiplicare.

6 Et, ſi dicatur, facile eſſe inventis addere, etiam dicitur, hoc eſſe verum, ſi bene ſic intelligatur: facile eſt, in-

invento uno, aliud cum ipſo connexum invenire, quia unius inventio, media connexione, eſt via facilis ad aliorum inventionem; at, inventis aliquid addere, quod antea non erat, non eſt homini facile nec poſsibile; quia quidquid ſcientiæ poteſt inventis addi, jam eſt creatum à Deo, & ſcriptum in magno totius mundi Libro hominum opinioni tradito propter ignorantiam ſuper humanum genus miſerrimè graſſantem; at ſapiens & Miſericors Dominus, ut homines per veritatis ſcientiam liberarentur ab ignorantia & falſitate, neceſſariò alteri ex duabus contradictoriis opinionibus inhærente, nil fuit, quod ipſe Deus vineæ ſuæ debuit facere, quod non fecerit; &, ut homo in ſuo mundo parvo commodiùs mundum magnum legere poſſet, ipſo in mundo Artem Parvam & Magnam poſuit, quibus faciliùs Metaphyſicæ objectum attingeretur ſufficienter à ſupremo ente uſque ad infimum cum omnibus proprietatibus per ſe in ipſo objecto & ſubjecto inexiſtentibus; & hæc eſt Ars Lulliana, ût clariùs ipſius artefacta teſtantur, præſertim Liber *Metaphyſicæ novæ compendioſæ*, & omnes illius Artifices; ideoque ſolùm reſtat rectè & dignè inquirere, quod jam eſt. Notabiliter dicitur *rectè & dignè inquirere*; nam ſic quærens ſapientiam, replebitur ab ea, & qui inſidiosè agit ſcandalizabitur in ea, cùm ſapientia ſe habeat ſicut lex; ideoque talis inquiſitio non omittenda videtur.

7 Aliqualiter declarabitur cum una ex Regulis Juris ex Lib. 5. ff. Tit. 17. Regula 3. quæ ſic ſonat: *Ejus eſt non nolle, qui poteſt velle.* Manifeſtum eſt, hanc Regulam eſſe factam ex duobus Principiis univerſalibus Tabulæ, ſive Menſæ Sapientiæ ſuprapoſitæ omni ſcientialium æpularum genere plenæ, ad quod quiſque ſapiens voluerit convertibilium; ex *Poteſtate* ſcilicet, & *Voluntate*; & ex hac una Regula juxta Artem poſſunt fieri 2., 3., & 4., & quãta ſit hujus multiplicationis utilitas non eſt hìc explicare; per Regulam e. g. de *Converſione* propoſiti in oppoſitum ſic multiplicatur: *Ejus eſt non velle, qui poteſt nolle*; propoſiti in propoſitum: *Ejus eſt velle, qui poteſt velle*; oppoſiti in oppoſitum: *Ejus eſt nolle*,

le, qui poteſt nolle. Per converſionem Voluntatis in ſapiẽtiam ſic ſonat: *Ejus eſt non ignorare, qui poteſt ſcire; ejus eſt non ſcire, qui poteſt ignorare; ejus eſt ſcire, qui poteſt ſcire; & ejus eſt ignorare, qui poteſt ignorare.* Per converſionem ſapientię in Operationem ſic: *Ejus eſt non omittere, qui poteſt operari*, vel *facere; ejus eſt non facere, qui poteſt omittere; ejus eſt facere, qui poteſt facere; ejus eſt non facere, qui poteſt non facere.* Per Converſionem operationis in Poteſtatem: *Ejus eſt non nequire*, (propter defectum Grammaticæ ſumitur verbum *nequeo*) *qui poteſt poſſe; ejus eſt non poſſe, qui poteſt nequire; ejus eſt poſſe, qui poteſt poſſe; ejus eſt non poſſe, qui poteſt non poſſe*, ubi digna videtur pœnâ impotentia culpabilis.

8 Nunc non diſpliceat obiter notare, qualiter ingentia Juris cimelia ſub Principiis Lullianis deliteſcant, quorum expenſione vel potiùs expanſione poſſet Juriſprudentia mirè locupletari; & tam mirè, quòd, ſi juxta Regulas Artis fieret deſcenſus à jure Divino ad naturale, & à naturali ad poſitivum commune ſive univerſale, & ab iſto ad canonicum & civile, & ab his ſpecialibus ad omnia Jura particularia, & ſimiliter fieret aſcenſus vel reductio & ordinatio juxta Ordinem, Connexionem & Perfectionem Naturalem, quibus Deus Jus condidit naturale ad imaginem Juris Divini, poſſet ita totum Jus ordinari, ut breviſsimo tempore & ſinè oblivionis periculo addiſceretur. Non dubito, plures Juriſperitos, hac tamen in Arte non peritos, hoc legentes altùm eſſe riſuros; at, ſi aliquis valet conditionum generalium Menſæ Sapientiæ ſuprapoſitæ numerum tranſcendere, & contrahendo ad Jus, eas juxta Ordinem prædictum multiplicare, poſsibilem videbit numerum Legum, Canonum, & Regularum Juris in tanta connexione & perfectione, quòd nihil queat addi vel demi ſinè Juris læſsione, & tunc valebit ridentibus rationabiliter dicere: vos neſcitis quidquã. Quem numerum naturalem ſi ſagaciſsimus & ſapientiſsimus Kirkerus vidiſſet, & ſciviſſet quare debent eſſe ſedecim Principia univerſaliſsima Artis & non plura nec pauciora, non putaſſet Lullianam Artem

tem eo vitio laborare, quo ſua Ars combinatoria laborat; nam in Arte Lulliana nulla eſt conditio ſuperflua, ût videri poteſt in omnibus Libris, in quibus Il. Doctor numerum Condionum ad demõſtrandum, aſſumit, in quo nulla eſt Conditio, quæ non ſpecialem præſeferat majeſtatem, & vim ad demonſtrandum & ſuadendum neceſſariam; ſed omnia prædicta non poſſunt fieri per aliquod Metaphyſicę, fragmentũ cùm tota ſit neceſſaria ad cognitionem omnium veritatum omnium entium in omni Jure contentorum: ergo dicta Ars Lulliana neceſſariò debet integram continere Metaphyſicam.

9 Unde etiam non leviter concluditur & ſuadetur, quòd, ſi ejus eſt non nolle, qui poteſt velle, & non ignorare, qui poteſt ſcire, & non omittere, qui poteſt facere, imò & non nequire, qui poteſt poſſe velle ſcire & facere, quod neceſſarium eſt, ut ſciatur, an Ars Lulliana ſit aliquod figmẽtum vel ludibrium vanum inutile &c.; vel aliquod inæſtimabile Dei donum à Divina Largitate collatum ad mundum locupletandum; debet velle ſcire & facere id, quod poteſt ad hoc ſciendum; aliter non procederet legitimè ſecundùm prædictam Regulam Juris, & omiſsio Voluntatis, Intellectûs, & Poteſtatis eſſet timenda. Et, ſi aliquis Moraliſta vellet hoc mordere dicẽs, quòd, licèt aliquis poſsit velle, non tamen debet velle: dicitur notabiliter *aliquis Moraliſta*; nam experientiâ didici, non paucos ſuas qualeſcumque opiniones malle, quàm ſcientiæ certitudinem, putantes cum opinionibus majorem habere libertatem, & cum ſcientiæ certitudine illam perdere, tamquam ſi, ubi eſt ſpiritus Sapientiæ & Intellectûs & Scientiæ, ibi major libertas non eſſet.

10 Reſpondetur ergo, Regulam loqui de Voluntate ſecundùm finem, ad quem per ſe ordinatur, & de juſta & licita Poteſtate; quo ſuppoſito, quæritur, ad quid dat Deus poſſe velle bonum? nam hoc à Deo venit, ſicut poſſe velle malum venit à nihilo, & velle bonum venit à Deo & voluntate creata; numquid dat Deus poſſe velle bonum ad hoc nolendum? Neutiquã rectè reſpondebitur: ergo, ſi voluntas, quæ eſt facta ad volendum bonum, & data eſt

ei poteſtas à Deo ad poſſe velle bonum, hoc tamen non vult, ſed manet ſuſpenſa, eſt ſaltem otioſa; &, ſi non vult poſitivè, eſt magis defectuoſa; ſed hoc non licet, quia eſt contra finem Dei, contra ipſam voluntatem, & contra poteſtatem ipſi datam: ergo ſi poteſt, debet velle, & ſic Regula manet in ſuo robore & veritate. At regeres: ergo quilibet tenetur ad faciendum melius, imò & optimum? reſpondetur, ſi ad hoc vocatur à Deo, recipiens ab ipſo lucem, gratiam & poteſtatem, certè tenetur; ſi non vocatur nec recepta habet talia talenta, non tenetur, quia ad impoſsibile nemo tenetur; ideoque iterùm quæro, quis eſt homo viator, qui non teneatur facere bonum dum tempus & poteſtatem habet in hoc mundo? numquid etiam, quod eſt conſilium omnibus communiter, non poteſt eſſe alicui particulari perſonæ præceptum? Intelligatur igitur qualiter omnis poteſtas otioſa non ſit ſancta nec innocens, & videbitur clara ſolutio; & ſic quidquid objiciatur à Moraliſta, prædictæ Regulæ Juris non labefactabit robur, nec deprimet veritatem; quia perfectio finis & obligatio vitandi otium illam ſuſtentant. Et conſequenter, ejus eſt velle bonum, qui poteſt velle, imò & velle omnia bona, quæ non poteſt facere, quia licèt aliquis non poſsit facere ea, bene & ſine difficultate poteſt velle, ut ſit contra diabolum, qui vult omnia mala, etiam, quæ facere nequit; ſicut eſt juxta diabolum, qui bonum odit commune propter ſuum bonum privatum & particulare.

11 Hæc etiam eſt alia ex cauſis quare Ars Lulliana aliquibus diſplicet, quia ſcilicet attentè eam legenti proprios detegit defectus clare & ſinè tergiverſationis effugio, quos vel debet corrigere, vel lectionem ſeponere, ſi non valeat claram ſuſtinere redargutionē; & hæc eſt alia demonſtratio non leviter ſuadens, ipſam Artem integram continere Metaphyſicam, non ad merè ſpeculandum, ſed ad operandum juxta cognitam veritatem primi entis, & entium inferiorum; quod, ut in praxi videatur ſit in exemplum articulus Lullianæ Doctrinæ apud R. P. Dupaſquier, qui t. 5. ſumm. Theolog. f. 722. ait: „Expectatio Beatitudinis titulo retributionis „ eſt actus Spei Theologicę, ſeu „ li-

„ licitum operari ex ſpe Beati-
„ tudinis promerendæ. Eſt de
„ Fide in hoc ſenſu, contra
„ Lullium, inter cujus errores
„ iſte eſt damnatus à Grego-
„ rio IX. (dicendum XI.) er-
„ ror 8. (dicendum 81.) *Illi, qui amant Deum propter hoc, ut det eis gloriam cœleſtem, vel bona temporalia, vel timent Deum propter hoc, ut non det eis pœnã infernalem, vel labores temporales, faciunt de prima intentione ſecundam, & de ſecunda primã, & eorum intentio eſt prava.* Certè ita eſt apud Eimericum.

12 Sed apud B. Raymundum ſic habetur: *Illi homines, qui magìs amant Deum, ut illis faciat bonum; & ipſum timent, nè illis faciat malum, faciunt de prima intentione ſecundam: & ideo, fili, illorum intentio eſt inverſa, & falſa, & contra intentionem, propter quam Deus illam creavit.* Tom. 6. fol. 3. n. 6. Ecce Lulliana Concluſio, contra quam nec Dupaſquier, nec aliquis Theologorum aliquid alicujus momenti objicere poteſt, maximè, ſi advertat, & diligenter notet illud ſincathegorema *Magìs*, & quòd in omnibus Operibus B. Lullii nec inveniatur, nec inveniri poſsit, quòd non liceat *operari ex Spe Beatitudinis promerendæ*; &, ſi iſte Author præ oculis haberet iſtam Doctrinam D. Anſelmi in Monol. cap. 68. f. 25. *Nihil igitur apertius, quàm Rationalem creaturam ad hoc eſſe factam, ut Summam Eſſentiam amet ſuper omnia bona ... Imò, ut nihil amet nisì illam, aut propter illam.* Et cap. 70. ait: *Aut ſi ſe vult amari* (Summa Bonitas) *& deſiderari, ut aliud retribuat; non ſe vult amari, ſed aliud: quod cogitare nefas eſt.* Si, inquam, Dupaſquier hæc attendiſſet, non ita Theologizaret.

Et, quod plus eſt, ſi notentur iſta, quæ docet ipſe Dupaſquier in ſolutione Argumentorum num. 3.: *Idem eſſet* de Paſtoribus *Eccleſiæ, qui non aliter ſuſciperent curam Animarum, nisì propter bona temporalia, non quærerent oves, ſed lanam. Non tamen prohibetur illis Secundaria hæc intentio*; tenet ipſe, quod in Lullio damnat. Videatur Liber B. Raymundi de 1., & 2. Intentione Tom. 6., qui ſufficit ad convertendum perverſum mũdanorum ſtatum, propter intentionum perverſionem. Perpendatur etiam ſequens Declaratio circa prædicta, & præſertìm de Lullianæ Metaphy-

phyſicæ Moralitate, opponi ſolitâ, quia aditum tergiverſationi recludit.

13 Declaratio data à Viro Religioſiſsimo ſimul & doctiſsimo Joanne Armando Duce de Rance & Doctore Sorbonico, qui abdicatis tribus Prioratibus & duabus Abbatiis, quas poſſedit ut Abbas Commendatarius, & omnibus ſuis bonis in pauperes erogatis, factus eſt Monachus Ciſtercienſis, & poſtea Abbas Regularis & Reformator Abbatiæ Drappenſis ... obiit cum magna fama ſanctitatis anno 1700., in qua Declaratione ſic ait: „ Quantùm ad id, „ quod concernit Caſuiſtas, „ non poſſum dicere id quòd „ à me deſiderari oſtenditur, „ quod eos credam eſſe uti„ les Eccleſiæ, ſum enim om„ nino perſuaſus, quòd mul„ ta mala eidem intulerint, & „ quòd plurimi ipſorum per „ ſubtiles Metaphyſicas, fal„ ſaſque ratiocinationes, & „ per inventiones purè hu„ manas, probabiles fecerint „ multas opiniones contrarias „ puritati morum & veritati„ bus Evangelicis. Edocuerunt „ homines periculoſas viven„ di licentias, quas ipſimet „ non agnoſcunt. Nacti ſunt „ ſecretum illud, quo remor„ ſus Conſcientiæ opprime„ rent, dederuntque rationes „ & media, quibus ſinè ſcru„ pulo & timore violarentur „ ſanctiſsimæ Leges Naturæ „ & Religionis.

14 „ Semper conſideravi „ plurimam partem horum no„ vorum ſcriptorum tamquam „ id genus hominum, qui ſe „ intruderent, & non habe„ rent alium characterem ne„ que aliam miſsionem, quàm „ illam, quam ipſimet ſibi at„ tribuiſſent, quique ſeparan„ do ſe à viis & Regulis ſanc„ tis, quas ſancti Patres & „ Eccleſiæ Doctores ſunt ſe„ cuti, ſtuderent fortificare „ inclinationes naturæ, & tue„ ri vitia tantùm, quantùm „ alii illa deſtruere & ſuppri„ mere allaborarunt. Non ab„ nego, poſſe inveniri, quo„ rum intentio ſit magis pura „ magiſque Chriſtiana; ſed di„ co in genere, quòd ſi meum „ eſſet dare conſilia, nil eſ„ ſet, quod diſſuaderem magis, „ quam lectionem horum Au„ thorum, & confidentiam in „ illis, qui ſciunt & ſequun„ tur ipſorum principia. Lo„ quor de his ab experientia, „ munus enim meum, in quo „ ſum me induxit, quòd age„

„ re

„ re debuerim cum multis per-
„ ſonis omnivarię conditionis,
„ qui à pluſquàm viginti annis
„ ſe præſentarunt in Monaſte-
„ rio iſto amplexuri vitam Re-
„ ligioſam, in quibus: quia
„ intrare debueram in interio-
„ ra cordis & conſcientiæ ip-
„ ſorum: reperi ex parte Di-
„ rectorum & Confeſſorum,
„ tot ignorantias, errores &
„ ſeductiones, quæ non mi-
„ norem in me excitarunt hor-
„ rorem, quàm compaſsio-
„ nem. Plura alia non parùm notatu digna affert in Epiſtola inſerta Hiſtoriæ vitæ ipſius Doctoris.

15 Ex quibus ſubſumitur; ſed Ars Lulliana docet præcavere prædictas fallacias per id, quod de Metaphyſicali linea continet, ût patet in Libris citatis & in veritatibus per ipſam demonſtratis, in quibus veram dat cognitionem de omni ente in Jure Divino & naturali fundatam, Regulam præſcribens, ut cuilibet enti & ejus proprietatibus, quod ſuum eſt tribuatur, ſecundùm majorem vel minorem Veritatis & Bonitatis illius entis dignitatem; v. g. Jus naturæ dicit: enti bono amor eſt tribuēdus; & Ars Lulliana Metaphyſicaliter ſecundùm ſcalam aſcenſûs omnes Bonitatis entis gradus examinat, & cum Regula infallibili de Comparatione dicit: ſi enti bono eſt tribuendus amor, enti in Bonitate magno eſt tribuēdus magnus amor, enti meliori major amor, & enti optimo amor maximus, quod ſi fiat è converſo iniquitas & perverſio eſt; ſed Ars Lulliana per ſuam Metaphyſicalem lineā docet omnes iſtas omnium entium cognoſcere veritates, in quibus omnes aliæ veritates continentur, ût per ſe patet, & facillimè in omni ente exemplificaretur, niſi exemplum nimis longum eſſet futurum, & docet praxin totius hujus per omnem juſtitiam: ergo de jure integram continet Metaphyſicam, præter omnes alias ſcientias.

CAPUT VI.

QUÒD ARS MAGNA LULLIANA IN NIHILO excedatur à Logica & Metaphyſica Ariſtotelis, ſed é converſo in omnibus Ars Magna illas excedat.

1 PErgit Feijoana Epiſtola erudita numero *6.* ſic: *Sed Ars Lulliana, tam in eo, quod continet Logicæ, quàm Metaphyſicæ eſt ſummè inferior Logicæ & Metaphyſicæ Ariſtotelis.* Quamvis enim non me parùm tædeat Authoritatibus probare, quod jam evidentibus demonſtrationibus probatum eſt, nihilominus, ut Feijoano ſtylo me accomodem utpote ſola Authoritate probanti, cogor Authoritate Authoritatem retundere: ſola Authoritate probanti dixi, quia in omnibus Beato Raymundo & ejus Doctrinæ in dicta Epiſtola oppoſitis non eſt viſa aliqua ratio probativa, ſed ad ſummum aliqua illatio ex immediata & falſa ſuppoſitione; v. g. talis Author dicit hoc: ergo ita eſt. Si ego deberem ſolùm uti ſimili ratiocinio, quod ipſe in Prol. t. 2. petit à ſuis impugnatoribus, dicerem: talis Author dicit contrarium: ergo, quod dixiſti non ita eſt. Eſt etiam valde mirabile, quod dicitur t. 1. Epiſt. Erud. Epiſt. 31. n. 9., ſcilicet: *Dicentur* (in contra) *centena alia, quæ video non poſſe à me præveniri; nam tandem contra demonſtrationes & evidentias ſolùm vulgus & gens rudis abundat ſolutionibus.* Quod me cogit ipſi Authori inculcare: ſi ita eſt, ut aſſeritur, ubi ſunt demonſtrationes & evidentiæ, ut mea vulgaritate & ruditate contra illas abundem ſolutionibus? In veritate dico, cum bona venia tanti viri, quod iſti flores adhuc non apparuerunt in terra noſtra, h. e. in Epiſtola contra nos. Et, cùm in cauſa Lulliana paſsim inveniantur, ùt per ſe patet, miror, quod ipſe, omni vulgari ſorte ſuperior, non ſit dedignatus uti gentis rudis vulgaribus ſolutionibus, vel potiùs rationibus contra Lullianas demonſtrationes & evidentias!

tias! Quare, relictis vulgaribus rationibus, probetur intentum Authoritate.

2 D. Petrus Moreſtellus Doctor S. Theol. & Can. Eccl. S. Ludovici in Diœceſi Ebroicenſi in Præf. ſuæ Encyclopediæ *ad Artem Magnam & mirabilem Il. Magiſtri Raymundi Lullii, per quam de omnibus diſputatur habeturque cognitio.* f. 5. poſt vindicationem B. Raymundi ab objecta illi vocabulorum barbarie, de præſtantia Artis ſic ait: „Dixi hęc „ vocabula inventioni dumtaxàt inſervire in hac Arte „ (imò potiùs in hac Sapientia univerſali, cùm altiſsimas rerum cauſas & Principia univerſalia contemplentur) cujus ea generalitas eſt „ ac certitudo, ut ſe ſola ſuffiente, nulla alia præſuppoſita, errore omni ſemoto de omni re ſcibili veritatem ac ſcientiam ſinè difficultate invenire faciat; habet enim Principia univerſalia, genetaliſsima ac notiſsima cum mutua quadam „ habitudine ac artificioſo diſcurrendi modo, in quibus „ omnium aliarum ſcientiarũ „ Principia & diſcurſus tamquàm particularia in ſuo univerſali eluceſcunt: ſcientiæ „ enim cæteræ ſua Principia „ ab iſta recipiunt, propterea que ſunt huic ſcientiæ „ ſub alternatæ, & idcirco earum demonſtrandi modus eſt „ minùs generalis.

3 Quod Moreſtelli teſtimonium confirmans ſapientiſsimus Ivo Salzinger ſic ait: *Nil verius nil excellentius de Arte B. Raymundi mente concipere potuiſſet Moreſtellus, quàm his verbis expreſsit.* Commenſurentur nunc cum Feijoana iſtæ duæ Authoritates, ut videatur cui ſit magis credendum: ſapientiſsimus Salzinger quando hanc confirmationem ſcripſit jam erat per triginta annos in Arte & Libris B. Raymundi verſatus, ût ex ejus ore accepi, & patet in Præambulis 1. Tom.; nam ipſe fuit Lulliani Operis Compilator, & in ipſius impreſsione uſque ad 3. Tom. incluſivè laboravit, & erat valde ipſa in Arte peritus, ût patet ex Revelatione Secretorum 1. Tom. & ex additionibus ad 2. & 3. Tom., & ipſe lacrymis priſtinam ſtultitiam & ſuperbiam fatetur, qua fuerat ipſi Arti oppoſitus, ût in eadem Revelatione clareſcit.

4 Et Moreſtellus Artem, & alias ſcientias particulares

dimenſus eſt, ut ſcientiarum conderet Encyclopediam, & in ſua Authoritate claram affert rationem, quare Lulliana Ars ſit altior cæteris Artibus & ſcientiis. Videatur nunc, cui ſit magis credendum, an his duobus ita expertis, an R. P. Feijoò ſuam afferenti Authoritatem ſinè omni ratione, quare Ars Lulliana ſummè excedatur à dictis duabus Scientiis? in quibus verbis demonſtrat, ſe ad ſummum ipſam Artem legiſſe ſicut catus per prunas tranſiens, & modo ipſi ſufficiente ad unam ſcribendum Epiſtolam. Quare igitur rationem dicti ſummi exceſsûs non attulit, quem tanta protulit facilitate? Applicet quæſo, ſi non ſufficiat ei circinus, ſuum aſtrolabium & teleſcopium, & ſuum aſſertum videat, videreque faciat cum aliqua Matematica ex ſuis evidentiis demonſtratione; nam quotquot hucuſque adduxit, de hoc nil oſtendunt; & ego cum ſolis Lullianis Perſpiciliis faciam omnibus videre contrarium. Si ſuum dicere vim haberet ponendi in re quidquid ipſe velit, jam ſat eſſet ad inferendum, ipſe dixit: ergo factum eſt ita. Si enim aliquis diceret: lapis rationem hominis ſummè excedit, nonnè ſe valde præſtantem in Logica & Metaphyſica oſtenderet? ſic in noſtro accidit caſu; quia ſicut homo, cùm ſit microcoſmos ſive mundus abbreviatus, lapidem excedit, quia lapis non eſt nisi una particularis creatura, & homo omnis creatura eſt, in quo lapidis natura eſt exaltata quantum poſſibile eſt; ſic ſimiliter Ars Magna Lulliana eſt ſcientiarum microcoſmos, in qua omnes particulares ſcientiæ continentur exaltatæ quantum poſsibile eſt in plena ſcibilitate & certa operatione in hac vita attingibili & conſequibili: ergo ſicut homo lapidem excedit, ſic Lulliana Ars & Scientia Logicam & Metaphyſicam Ariſtotelis & omnes alias ſcientias & Artes ſpeculativè & practicè ſuperabit.

5 Erige jam aures, Pamphile, & tibi Lulliana impone Perſpicilia, ut aliquam des Demonſtrationem etiam vulgaribus perceptibilem & præclaram: rectè igitur inſpice in Logica Ariſtotelis, & in Arte Lulliana, & dic quid vides in Logica Ariſtotelis? In toto ipſius ambitu non video nisi ens rationis. Bene vidiſ-

ti; quia ipſa ſolùm de hoc tractat, quia eſt Logica merè intentionalis. Et in Arte Lulliana quid vides? Video ens rationis & omnem rationem entis realis, & adhuc rationem entis ut ſic ſolùm intentionaliter præciſam. Bene vidiſti; at, quid inde? Inde clarè video quòd, ſicut totum aliquam ex ſuis minoribus partibus excedit, ſic Ars Lulliana Ariſtotelis Logicam excedit, & hoc, conceſsâ ipſi Logicæ omni perfectione poſsibili in ſua linea. Rectè vidiſti & judicaſti; quia ens rationis, de quo ſolùm Ariſtotelis Logica tractat, eſt minimum ex objectis Artis Lullianæ, quæ Ars etiã eſt Logica realis.

6 Jam tuum viſum ex Ariſtotelis Logica ad ipſius Metaphyſicam effer, & dic, quid vides in illa? Quamdam entis rationem video, quin, an ſit realis vel rationis, an ſit univoca Deo & creaturæ, vel aliquid aliud diſcernere queã. Et quare id non vales diſcernere? Quia talis ratio entis eſt ita oppoſitis opinionum nubibus obnubilata, ut in tanto hujus tempeſtatis diſcrimine neſciam quid conſilii capere poſsim. Non inconveniens do tibi conſilium, ut ſcilicet ad Artem redeas Lullianam, & videas quid de Metaphyſicali objecto oſtendat; & dic, quid vides? Primum, quod clarè video eſt realiſsima ratio ſupremi Entis, ſcilicet Dei, impoſsibilitatem demonſtrans rationis entis qualitercumque ſuperioris, niſi ab intellectu fingatur contra omne reale fundamentum. Bene vidiſti; quia aliquid reale ſupra Divinum Ens, imò aliquid commune enti creato, quod ſit ipſi Divino Enti æquale, eſt omnino impoſsibile; imò ſi intellectus, prout debet, ſuum modum intelligendi vero modo eſſendi rei conformet; nullum videbit conceptum communem entis, qui verè dictam falſam ſuperioritatem & univocationem entis nec adæquatè nec inadæquatè explicet.

7 Quomodò ergo, Pamphile, ex ſupremi Entis cognitione, in claram realitatum omnium entium inferiorum cognitionem veniemus? Hoc clarè video Lullianis Perſpiciliis per Artem, quæ non ſatis mirabilem de Deo Ente ſupremo & Cauſa omnium entium inferiorum & omnium realitatum ipſorum univerſaliſsimâ exibet cognitionem; & ideo, ſicut ex cognitione cauſæ cog-

noſcitur effectus, ita ex ſupremi Entis & proprietatum ipſius cognitione, facillimè in claram omnium inferiorum cognitionem venitur, quia hæc ſunt effectus illius. Da exemplum experimentale, ut ab omnibus clariùs videatur. Libenter faciam: ſit igitur in exemplum pictor vel ſcriptor ſingularis, ût ajunt, habilitatis; nonne ſi illi, qui notam habent dicti Artificis habilitatem, aliquam videant picturam vel ſcripturam, ſtatim illas cognoſcunt, & per illarum aliquam omnes alias factas & factibiles ab illis Artificibus, & per quamlibet etiam ipſum Artificem cognoſcunt? Ita eſt; attamen hæc cognitio eſt fallibilis, quia habilitas poteſt deficere, & pictura vel ſcriptura poteſt ab alio ſimulari; & ſic tuum exemplum nil valet. Pam. Imò ex hoc ipſo valet plurimùm; nam, ſi ex Artis defectibilitate & poteſtate ejus opera ſimulandi, prædictæ cognitionis fallibilitas inferatur, per oppoſitum, ex Artificis indefectibilitate & ſimulationis alicujus illius operis impoſsibilitate, ſequitur infallibillitas prædictæ cognitionis; & cùm ſupremum Ens ſit Artifex, cujus habilitas & Idea indefectibilis eſt, & nullum ipſius opus poſsit ab aliqua creatura ſimulari; inde ſequitur, quòd, ex certa cognitione, quæ de illo habeatur, faciliùs & infallibiliùs venitur in cognitionem omnium entium inferiorum & proprietatum ipſorum, & ex cognitione unius iſtorum in cognitionem omnium & ipſius Entis ſupremi pervenitur.

8 At ſaltem ratio entis creati immediatè diviſi in ſubſtantiam & accidens, nonne erit genus univocum realitatem & communem naturam importans à parte rei repertam in ſubſtantia & accidente? Pam. Si ita eſſet, accidens eſſet ens per ſe ſicut ſubſtantia, & in ratione entis ab illo genere & non à ſubſtantia dependeret; nam impoſsibile eſt, alteram ſpecierum immediatè ab uno genere dependentium, ab altera dependere, ſicut homo, qui non poteſt à leone, nec è converſo in animalitate dependere, nec ſoror poteſt ſuæ ſororis filia eſſe ſi ambæ ſint genitæ ab eadem matre; & ideo, ſicut homo per ſe eſt animal, & ſimiliter leo ſinè mutua dependentia, nec ex una parte; ita accidens per ſe eſſet ens ſinè dependentia à ſubſtantia; & ſic jam neceſſe eſſet

duo

duo alia capita ſtatuere prædicamentalia decē ſuperiora prædicamentis, ſcilicet ens ſupra omnia 10.& accidens ſupra novem; quia, ſicut quantitas eſt accidens, ita etiam qualitas eſt accidens,& ſic de cæteris; quæ non parùm inconveniunt.

9 Reſpice iterum Pamphile in Ariſtotelis Metaphyſicā, & inſpice illud, quod vocant paſsiones entis, & dic, quid vides? Unitatem video, Veritatem & Bonitatem. Valde parum vides. Et Poteſtas ubi eſt? Erit implicita, quia certum eſt, quòd ſinè intrinſeca & formali Poteſtate nil poteſt intrinſecè & formaliter eſſe. Et Juſtitia ubi eſt? Ipſa non apparet, ſed contrarium ipſius ſcilicet inæqualitas videtur; nam Unitas, Veritas, & Bonitas aſſeruntur paſsiones entis, quæ non ſunt de eſſentia nec de intrinſeca ratione illius, & Bonitas alia aſsignatur eſſentialis, quę non eſt paſsio entis, & alia quaſi accidentalis, quæ paſsio illius eſt. Et Unitas & Veritas eſſentiales, quæ radices ſunt primitivæ, & ſubjecti vel entis quidditativæ eſſentiæ, ubi ſunt? Nonne ſcis Pamphile, Unitatem eſſe primam radicem, à qua pullulat omne unū; & æqualiter Veritatem eſſe primam radicem formalem intrinſecā & eſſentialem, à qua omne verum ſuæ lineę dependet, & per quam omne verum eſt eſſentialiter & intrinſecè verū? Hoc optimè ſcio, & poſſum cū vero juramento aſſerere, nisi per hypocriſin ignorantiam fingere vellem.

10 Unde dico, quòd, ſi res ita ſe haberet,ût in Ariſtotelis Metaphyſicâ diſcurritur, reale ſubjectū eſſentialiter intrinſecè & quidditativè unum, verū, & bonum non eſſet, quod eſt impoſsibile; nam *per ea, quæ per ſe ſubjecto ſive enti inſunt*, eſt ſubjectū eſſentialiter intrinſecè & quidditativè tale à priori; & ideo ſi Unitas, Veritas & Bonitas ſunt paſsiones reales entis, quia *per ſe inſunt enti*, ût aſſeritur; per illas ſubjectū ſive ens eſt eſſentialiter intrinſecè & quidditativè unum, verum & bonum à priori; & iſtæ quas ſic vocāt paſsiones nullatenus pullulant à ſubjecto ſive ente nec dependent, quia illius radices ſunt; nam ſolæ radices *per ſe inſunt* arbori, & arbor dependet ab ipſis,& non è converſo,ſicut rami à trunco, & folia à ramis, & non è converſo:ergo paſsiones entis ab ipſo tamquàm ipſius folia pullulāres,ſolum ſunt per ens in ente, & nullatenùs

per-

per ſe ; & ſi per ſe inſunt, quomodò non erunt de eſſentia & quidditate ipſius entis, cùm ſinè Unitate primitiva eſſentiali & radicali ſit impoſſibile omne unum eſſentiale & formale illius lineæ, ſicut ſinè reali entitate omne ens reale eſt impoſsibile ? Verum quidem eſt, quòd, ſi ſubjectum eſt ens rationis, ût eſt conceptus communis entis præſciſus à Deo & creatura, neceſſarium eſt, Unitatem, Veritatem, & Bonitatem reales de eſſentia & intrinſeca ratione illius minimè eſſe.

11 At, Pamphile, ſi diceretur, quòd Philoſophus ly *ea, quæ per ſe inſunt* enti 4. Met., intelligit contrapoſitivè ad per intellectum ; h. e. *ea, quæ realiter inſunt enti, & non per intellectum*, & ſi ita eſt, tua ratio nil valet ? Pam., imò hoc verificatur de iſta objectione, quia ſemper & quando Philoſophus loquitur de pertinentibus ad ens reale ſive extra Animam, contraponit *per ſe* ad *per accidens* ; & hoc patet, quia ipſe non erat ita ſtupidus, ut putaret, noſtrum intellectum poſſe ponere aliquam realitatem in ente, & ſic ad talem ſtupiditatem vitandam, vel æquivocationis impertinentiam, neceſſe fuit, ipſum intelligere ly *per ſe* contrapoſitivè ad *per accidens*, vel potiùs ad *per aliud* ; & ſic debuit intelligere, Unitatem, Veritatem, & Bonitatem reales reali enti per ſe ineſſe, & non per ens, quia cauſa intrinſeca non ineſt ſuo effectui per ipſum effectum, ſed per ſe, & effectus intrinſecus non ineſt ipſi ſuæ cauſæ per ſe, ſed per illam ; & cùm, ſicut ens eſt effectus entitatis, nec plùs nec minus, unum ſit effectus Unitatis, & verum Veritatis, & bonum Bonitatis ; ideo Unitas, Veritas & Bonitas debent ens unũ verum & bonum præcedere ; aliter aratrum ante boves poneretur, h. e. effectus ante cauſam, quo, quid abſurdius ?

12 Ingenuè fateor, Pamphile, me non poſſe tibi contradicere, niſi per verba inania & vacua veritate ; & ſanè miror, unde potuerit talis perverſio entali in arbore provenire, quam ſupremum Ens tanta rectitudine & exactiſsima ordinatione plantavit ! Non eſt dubium, quòd inimicus homo hoc fecerit per ſe & per ignorantiam ſuam amicam, ut in rebus facilibus magna eſſet difficultas, & in veri-

ritatibus intelligendis vanitas, labor & afflictio ſpiritûs immiſceretur: unde neſcio qualiter infidelitate excuſarer coràm Deo, & charitatis privatione coram hominibus, niſi ingenuè faterer, me in duabus ſcholis communioribus nō pauco tempore enutritum, niſi per ſpecialem Dei gratiam mihi immerito tertiæ ſcholæ ſors obtigiſſet, vel niſi ipſe Deus aliter ſubveniſſet, per totam noctem ignorantiæ vitæ meæ laboraturum, & nil certæ veritatis capturum eſſe. Nonne eſt valde dolendum, quòd in rebus etiam minimis, quæ Fidei regulâ non liganţur, adeò ſe torqueant præclara ingenia per tot ſæcula, & ſemper perſiſtant eadem dubia, ût demonſtrant diſceptationes hinc inde interminabiles? Unde quæſo, Pamphile, poteſt hoc oriri? Duplicem hujus diſcerno radicem: prima eſt propii honoris appetitus, quo aliquis ſtatuit ita mordicùs ſuam defendere opinionem, ut magis attendens ad hoc, quàm ad aliud, ea quę ipſi contraria demonſtrantur, ſophiſmata reputet, imò ſi inevitabiliter convincatur, hoc palàm fateri nefas & dedecus ducit, quaſi verò veritatem confiteri non eſſet majus decus & major honor, cùm ſapientis ſit mutare conſilium. Alia radix eſt, has diſceptationes ad acuenda ingenia perutiles reputare, quod valde præclarū eſt, quaſi cultri acies valde acuta redderetur, ſi tamdiù in cote ſurſum & deorſum duceretur donec in fine nil omnino ſcinderet. Non eſt dubium, diſputationes eſſe perutiles, ſi tandem relinquatur demonſtratum, quid ſit de certa veritate tenendum.

13 Quare, relictis dubiis, Pamphile, regulam vide infallibilem in Divinis Attributis, & dic, quid dicat Juſtitia Entis ſupremi in ſe & in entibus inferioribus? Divina Juſtitia dicit, omnia Dei Attributa omnino eſſe æqualia in eſſendo & operando, tam ad intra, quàm ad extra; tam ad intra, quia neceſſariò ſunt æqualis eſſentialitatis & activitatis; & ad extra, quia omnia æqualiter ſunt digna recipiendi honorem à ſuis ſimilitudinibus, quas producunt in omni ente creato. Itaque dicit Divina Juſtitia, quòd quantum Divina Bonitas de Bonitate in quolibet ente creato producit, tantum Magnitudo producit de Magnitudine,

ne, Æternitas de Duratione, & ſic de cæteris; & dicit Divina Juſtitia, quòd, ſicut ipſa omnia Divina Attributa in infinita Æqualitate eſſendi & operandi conſervat, ſimiliter Juſtitia radicalis realis eſſentialis immediatè à ſolo Deo dependens, & producta in omni ente creato, omnia creata Attributa finita in Æqualitate eſſendi & operandi conſervat, ut ipſa Juſtitia creata Juſtitiæ increatæ ſit ſimilitudo in tanta Perfectionis plenitudine, quanta in ſua linea eſt poſsibilis; aliter Divinæ Juſtitiæ opus in ente creato vacuum defectuoſum & iniquum eſſet, quod eſt impoſsibile; & ideo creati entis Juſtitia, quæ Divini Entis, eſt teſtis fidelis, in veritate dicit, quòd ſicut Bonitas creata eſt primitivum principium eſſentiale & ſubſtantiale entis creati ut boni, ſic æqualiter arithmeticè, h. e. nec plùs nec minùs, veritas creata eſt primitivum principium entis ut veri, & ſic de omnibus aliis primitivis creati entis principiis antecedente in Tabula poſitis à Bonitate uſque ad Patientiam incluſivè, quæ ſunt ſedecim Principia explicata univerſaliſsima communia ſolùm per intellectum Enti Divino, Angelico, & naturali; & realiter communia univocè ſoli enti naturali ex ipſis generabili & genito.

14 Cum quibus principiis explicitis notitia de omnibus aliis implicitis exhibetur; nam iſta ſunt illa prima principia, quę non fiunt ex aliis, neque ex alterutris, ſed omnia ex ipſis fiunt, quod falſum eſſet, ſi ens eſſet radix unitatis vel cujuſcumque alius comprincipii. Dicit etiam entis creati juſtitia, quòd, ſicut Bonitas eſt id, per quod bonum eſt eſſentialiter bonum & naturaliter agit bonum, æqualiter Veritas eſt id, per quod verum eſt eſſentialiter verum & naturaliter agit verum, quin ad intellectum dicere reſpectum indigeat, ut æquiſsimè per omnes aliorum comprincipiorum definitiones definiatur; v. g. ſicut Magnitudo eſt ens (in ſchola Lulliana vocatur ens quidquid eſt) ratione cujus Bonitas Duratio & cætera principia ſunt magna ambiens omnes extremitates eſſendi; ſic Veritas eſt ens ratione cujus Bonitas Magnitudo &c. ſunt vera ambiens omnes extremitates eſſendi; cùm Veritas ſit principium æquè abſolutum ac omnia alia in

Ta-

Tabulâ poſita. Dicit etiam Juſtitia, quòd quidquid de uno principio in ſua linea dicitur, æquè de omni alio verificatur; & ideo, ſi unum eſt prima ſuæ lineæ radix, v. g. Bonitas in linea boni, ita eſt prior, quòd nil boni poſsit illam præcedere, ſed ipſa neceſſariò præcedit omne bonum ratione ſuę prioritatis, ſic æqualiter omne aliud comprincipium eſt prima ſuæ lineæ radix, & ſi unum non eſt paſsio entis, nullum poteſt hoc eſſe, & ſi unum convertitur cum ente, etiam omnia; cum hac tamen differentia, quòd in Ente Divino ſubſtantivè convertuntur; v. g. Bonitas eſt Veritas, Bonitas eſt Deus, & è converſò in omnibus, quia cùm Deus ſit purum eſſe propter omnimodam identitatem realem, quidquid in Deo eſt Deus eſt; at in ente creato propter omnis realis identitatis carẽtiam, ſolùm fit converſio adjectiva ratione unionis & compoſitionis ſic: ens eſt bonum, bonum eſt ens, Bonitas eſt entalis, entitas eſt bona, & ſic de cæteris.

15 Similiter, ſi Bonitas accidentalis non eſt paſsio entis, quia immediatè pullulat à Bonitate ſubſtantiali, & nullatenus ab ente, ſed è converſo ens ut bonum ſubſtantialiter & accidentaliter ab illis dependet, ſimiliter verificatur de Veritate accidentali, & de omni accidente cuilibet principiorum proprio. Similiter omnis notitia data & dabilis de uno principio objecti Lullianæ Metaphyſicæ, æqualiter eſt intelligenda de omni alio ſinè ceſpitandi periculo propter entalem Æqualitatem, Ordinem, Connexionem, & Perfectionem omnium pertinentium ad illam, & ideo, uno ſcito, ſciuntur & alia, quod hactenus in Ariſtotelis Metaphyſica non apparuit, ſed totum contrarium, ût clarè videt qui aliqualiter intelligit; imò hæc ſola Regula plùs de certa Veritate continet, quàm tota Ariſtotelis Metaphyſica.

16 Sed, quid inde, Pamphile? Inde collèctivè ex ſupradictis legitimè infertur, quòd ſicut certum excedit incertum, naturalis Juſtiſtia naturalem iniquitatem, plenitudo vacuum, & Perfectio defectum, ſic Lullianę ArtisMetaphyſica Ariſtotelicam excedit. Sed adhuc R. Patri Feijoò, regererem, an Ariſtotelis Metaphyſica ſummè excedat Lullianam in falſitate, vel in veritate? Si

reſponderet, quòd in falſitate, dicerem, me adhuc non habere intentum, quia nullatenus intendo illam ſic abſolutè vilipendere, cùm ipſam videam multas perpeſſam calamitates propter inſufficientiam notitiæ de illa à nonnullis opinatæ. At, ſi talem ſummum exceſſum in veritate eſſe diceret; tunc, ipſa Ariſtotelis Metaphyſicâ nudè inſpectâ, ſic illi inculcarem: ergo mundialis Æternitatis affirmatio, & neceſsitatis ſupremi Entis, ſcilicèt Dei, operandi ad extra aſſertio, ſummè excedunt in veritate negationem, qua B. Raymundus per ſuam Metaphyſicalem Artem adhuc poſsibilitatem dictæ Æternitatis, & neceſsitatis negat? Quin etiam ignorantia, quam habuit Philoſophus de Divinę Trinitatis Myſterio ſummè excedit in veritate ſcientiam infuſam & adquiſitam, quam B. Raymundus de illo habuit? Quo quid abſurdius? Si R. P. Feijoò poſſet in veritate probare contra Acta Sanctorum authentica, Ariſtotelem ſummè exceſsiſſe B. Raymundum in ſanctitate & juſtitia, & Deum ſummè liberaliùs ſe geſsiſſe cum Philoſopho pagano, quàm cum Doctore Chriſtiano totis viribus laboranti ad expellendam mundi ignorantiam, & propagandam ſanctæ Catholicæ Fidei veritatem uſque ad ſigillandam eam proprio ſanguine; aliquod forſan apparens fundamentum ad ſuadendam ſuam opinionem haberet; ſed nil minùs de ſua Pietate ſperamus.

17 Iterùm, Pamphile, antequam Perſpicilia reponas, tuum viſum ad Artem Lullianam effer, & illam inſpice ſecundùm quod Logicæ continere intueberis, & dic, quid vides? Video in illa Logicam Univerſalem, & Particularem, Logicam Subſtantialem, & Accidentalem; Intellectualem, & Senſualem; Realem, & Intentionalem; Naturalem, & Artificialem, quæ ſunt decem Logicæ perfectiſsimæ. Tanta vides, Pamphile, quòd vix aliquis tibi fidem exhibebit, niſi omnia evidenter demonſtraveris. Pam. imò & plura alia de hac materia video, quorum eſſet nimis longa narratio. Igitur, Pamphile, bene potes prolixitatem evitare, & aliquid demonſtrare, ut ex unius demonſtratione cætera fiant ſaltem credibilia. Pam. noli mihi moleſtus eſſe; nam de-

débes timere, quòd poſt laborem debeam ad Chriſti imitationem dicere: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Joann. 18. Non eſt timendum hoc, Pamphile, nam tu dices, & demonſtrabis. Pam.: nùm Chriſtus, quę dicebat non demonſtrabat? In quo demonſtrabat? In factis, ût viſum eſt, quando, Scribis non credentibus, ipſum dimittendi peccata poteſtatem habere, dixit paralytico: *Surge tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam.* Marc. c. 2. v. 11. Numquid hæc non eſt *Demonſtratio per Æquiparantiam*?

18 Ne dicas hoc, Pamphile, quia Logici te irridebunt; nam in Ariſtotelis Logica non eſt niſi Demonſtratio *quia, & propter quid.* Pam. ignoranter quidem poſſunt me irridere; at ego ſapienter eos irridebo, quia Demonſtratio per æquiparantiam tantæ eſt altitudinis, quòd ſua Logica propter ſuam infimitatem ad illam pervenire nequivit. In quo ergo, Pamphile, ſtat altitudo Demonſtrationis per æquiparantiam, quam fecit Chriſtus? Pam. ſtat in hoc, quòd per infinitam *Poteſtatem* in uno opere ſenſuali repentinæ ſanitatis demonſtravit ſuam infinitam *Miſericordiam* in alio opere intellectuali remiſsionis peccarorum; nam ad utrumque opus eſt neceſſaria Poteſtas & Miſericordia in Infinitate æquales; & hoc oſtendit Chriſtus ipſe dicens: *Quid eſt facilius dicere paralytico: dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: ſurge tolle grabbatum tuum & ambula?* Si enim hoc obſervatum eſſet de Demonſtratione per æquiparantiam, quæ eſt ſuperlativi gradûs, ût ſuo loco videbitur, non putaret aliquis in Deo unum poſterius per aliud prius probare, cùm in ipſo ſit omnino impoſsibile prius & poſterius. Relicta igitur Demonſtratione per æquiparantiam, dic quæſo Pamphile, quid eſt Logica Univerſalis? Eſt ſcientia tractans de Demõſtratione univerſali, per quam poſsit veritas omnium Demonſtrationum particularium examinari; ſive: eſt Ars demonſtrandi univerſaliter, & cum iſta definitione jam ſcis omnium aliarum Logicarum definitiones, ſcilicèt: Logica Particularis eſt Ars demonſtrandi particulariter, & ſic de cæteris.

19 Jam video, Pamphile; ſed quæro à te, utrùm Logi-

ea Univerſalis, & conſequenter aliæ, ſit purè ſpeculativa, vel practica, vel utrumque? Pam. quid hoc quæris à me, cùm ipſe ſcias Deum non poſſe velle aliquam ſcientiam otioſam? Amice Pam. nè iraſcaris, ego enim non quærebam id propter me; ſed, quia hoc per tot ſæcula litigatur, & adhuc non ceſſavit quaſſatio; ideoque, quia Deus non poteſt velle aliquid otioſum inutile & ſuperfluum; vellem à te ſcire, quænam ſit practica ſacræ Theologiæ, quia hanc ſuper omnes alias ſcientias diligo? Et quare hoc? Quia noſter Magiſter dicit: nullum eſſe majus præceptum, quàm dare de Deo notitiam, quia cum hac praxi nedum aliquis Deum diligit ſuper omnia per veram notitiam, quam de Deo habet, verùm etiam facit, alios ſic ipſum Deum diligere. Pam. quia rectè diligis, licèt tua quæſtio extra intentum divagetur, tibi dico, ſacræ Theologię practicam Jus eſſe Canonicum. O bone Deus! eſt nè poſsibile hoc ita eſſe? Ita eſt, nam ſi in Theologia creditur, jam ſcis, Fidem ſinè operibus mortuam eſſe; &, ſi in ipſa intelligitur & ſcitur, non ignoras, quòd ſcire bonum eſt propter amare illud, & quòd probatio dilectionis exhibitio eſt operis; itaque per *Deum diligere, honeſtè vivere & unicuique quod ſuum eſt tribuere* in Jure Canonico ſacram practicabis Theologiam, & caſus omnes occurrentes reſolvere quibis; quia quidquid cum his tribus Principiis univerſaliſsimis totius Juris Canonici concordat, juſtum & practicabile eſt, & quidquid contrariatur, iniquum & impracticabile eſt. Gratias tibi ago, Pamphile, quia paucis plurima me docuiſti.

20. Sed unum reſtat ad noſtrum intentum, & eſt quòd facias aliquam Demonſtrationem de Logica ſenſuali. Pam. & quare de Logica ſenſuali? Nùm etiam es tu homo animalis, qui non percipis ea quæ ſunt ſpiritûs? Nùm ignoras Demonſtrationes intellectuales eſſe de majori neceſsitate, certitudine & infallibilitate, quàm ſenſuales? Quot deceptiones patiuntur ab inimico in viſionibus ſenſualibus & imaginariis, qui magis ſenſualitati, quàm intellectualitati credunt? nam inimicus poteſt ſenſus & imaginativam illudere; at intrare in Animę ſolitudinem, ubi Deus loquitur ad cor

cor ejus, non poſſunt canes intrare, nam iſta ſolitudo eſt ſolius Dei Civitas, extra quam debent canes remanere, nè cum ſuo ſtrepitu Animam impediant, nè audire valeat, quid in ipſa loquatur Dominus Deus. Ita eſt, Pamphile: at Demoſtrationes Matemathicæ, quia ſenſuales, magis evidentes ſunt, & ideo meliores & perfectiores purè intellectualibus aſſeruntur; imò iſtæ ſolent ab aliquibus rejici tamquam nil; quare ſum perſuaſus, Artem Lullianam majorem æſtimationem & acceptationem in mundo ſortituram per Demonſtrationes factas in Muſica & Medicina, quàm per Demonſtrationes Theologicas; imò & noſter adverſarius mei eſſet dictaminis, cùm ſcribere de Theologicis in tot ſuis Libris noluerit. Pam. & in quo tuum fundas dictamen? In experientia, quia homines magis delectantur rebus ſenſibilibus & ſalute corporali, quam rebus intellectualibus, quas non vident.

21 Pam; verum dicis de hominibus mundanis; ſed Viri intellectuales & ſapientes magis una Theologica Demonſtratione delectantur, per quam aliquam ſupernaturalem intelligunt veritatem, quàm omnibus aliis Demonſtrationibus; quia ipſi bene vident, quòd, ſi Demonſtrationes ſenſuales eſſent meliores & perfectiores intellectualibus, Deus majorem Perfectionem in rebus vilibus ſive ignobilioribus poſuiſſet (nam Neceſsitas Infallibilitas claritas & veritas etiam ſunt Perfectiones) quàm in rebus pretioſis melioribus & nobilioribus, quales ſunt res intellectuales & ſpirituales, quod cogitare nefas eſt. Acquieſco, amice Pamphile; at non quieſcam donec aliquam facias Demonſtrationem per Logicam ſenſualem. Pam. ego etiam, nè ampliùs me moleſtes, partim tuæ acquieſcam aviditati cum Demonſtratione partim intellectuali & partim ſenſuali, & ſic erit fortior. Quæſo, Pamphile, ſit clara iſta Demonſtratio; nam, ût optimè noſti, Lulliſtæ cum noſtro Il. Magiſtro obſcuritatis notam pati ſolemus. Pam. nedùm erit clara, verùm & lucida dyaphana & ſolida; illam enim in horum Perſpiciliorum vitris inſtituere volo: attende igitur, & corporeis oculis vide in hoc vitro eſſe luciditatem, quæ eſt accidens proprium ignis ab ipſius ſubſtantia

tia dimanans ipſique neceſſariò inhærens; ſed ubicumque maneat accidens neceſſariò inhærens ſuo ſubjecto formali, manet etiam formaliter ipſum ſubjectum: ergo in hoc vitro ignis elementum formaliter manet, ſicut hominis ſubſtantia ſuam habet reſidentiam, ubi riſibilitas exiſtit.

22 Video, Pemphile, Demonſtrationem, claram & lucidam eſſe; ſed lux ſolis, quæ fortior eſt, meorum riſibilitatem oculorum tantiſper pungere videtur; nam ſol manet formaliter in quarto cœlo, & ſua lux hìc noſtra in terra exiſtit: ergo pariter, licet ignis luciditas ſit in hoc vitro, nihilominùs poteſt ignis formaliter à longè manere. Pam. non benè diſcurris comparando lucem emiſſam à ſole & propagatam per totum ſubjectum intermedium uſque ad terminos terræ, luciditati toti vitro intrinſecæ, & inhærenti, ût vides; nam in ſole etiam eſt lux intrinſeca propria ipſi ſoli, quæ numquam ab eo recedit, ſed ſemper manet formaliter in ſole & ſol formaliter in ea: ita pariter de vitro & intrinſeca ejus luciditate, quæ formaliter sibi mutuâ immanentiâ manent, licèt lucis radius à vitro emiſſus sit extra illud propagatus, sicut lux, quæ eſt in terra etiam extra ſolem exiſtit; ideoque ſolis lux faciens tuos oculos caligare, factam Demonſtrationem magis clarificat. Aliter dic, quare iſtud vitrum vocatur mixtum sive elementatum? Poteſt sic vocari, dummodò ex virtutibus elementorum adinvicem mixtis sit compositum & compactum.

23 Pam. valde præclarè! ergo ex meris accidentibus, quales ſunt virtutes elementorum, poteſt fieri mixtum, quod corpus & ſubſtantia eſt. Quis tale umquàm audivit? palpa vitrum & vide qualiter corpus durum & ſolidum, longitudinem, latitudinem & profunditatem habeat: & quomodò hæc omnia poſſunt in uno compoſito eſſe compacta, quod non ſit corpus? & quomodò poteſt eſſe aliquod corpus per ſe ſubſiſtens, ût hoc vitrum, quin ſit ſubſtantia? & quomodò ſubſtantia poteſt eſſe compoſita ex ſolis accidentibus? imò ſi hæc accidentia, quæ ſentis in vitro ſinè proprio eſſent ſubjecto, eſſet hoc ſicut miraculum à Deo factorum maximum.

24 Noli furere, amice Pamphi-

phile, me etenim fateor ſatisfactum, & promitto præſtolari cum ſilentio donec tuas Demonſtrationes perficias. Pam. nè igitur ampliùs interrumptas; nam hoc non eſt ſignum animi debitè inquirentis veritatem, ſed cerebri volatilis putantis ingenii acumen & ſubtilitatem oſtendere, dum ſtultitiam & fatuitatem demonſtrat; nam quid ſtultius, quàm attendere magis ad opponendum, quàm ad intelligendum dum aliquid explicatur & demonſtratur? Hæc enim eſt cauſa, quare inter duos diſputantes, tertius impartialis veritatem citiùs percipit, quia totaliter illius intelligentiæ eſt intentus: fac ergo ſimiliter expectans donec totum ſit explicatum, & forſan in fine jam ſolutas omnes vanas cogitationes videbis, quæ tibi contrariæ videbantur, & ſi aliquis ſcrupulus adhuc maneat, poſtea inquires ſolutionem, & ſic intelliges. Pergamus igitur in nomine Chriſti, & vide dyaphaneitatem in hoc vitro, quæ ût ſcis, eſt proprietas aëris neceſſario ipſi inhærens; ſed hìc eſt iſta proprietas, ût vides, per totum vitrum: ergo in eo aëris elementum formaliter manet. Tange nunc ipſum vitrum, & tactus tibi dicet, in eo eſſe frigiditatem; ſed frigiditas eſt proprietas, quæ non valet eſſe ſinè forma ſubſtantiali elementi aquæ: ergo aqua formaliter vitro in ipſo manet. Pulſa tandem & vitri ſonitum audi, & dic: quid dicit tibi tactus & auditus? valde clarè mihi dicit, hoc vitrum corpus ſiccum & ſolidum eſſe; ſed hoc eſt impoſſibile nisì terra, cui propria eſt ſiccitas & ſoliditas ſit formaliter in illo: ergo elementum terræ manet formaliter in vitro mixto & elementato ex quatuor elementis.

25 Si nullum haberes ſenſum, quo te poſſes certificare, nec intellectum, quo de ſenſibilibus ad intelligibilia conſpicienda aſcenderes, in tuam memoriam revocarem, quòd Deus fecerit Adamum de *limo terræ*, & Job dicentem: *De terra formaſti me*, & Eccleſiam te admonentem, quòd pulvis es, & in pulverem reverteris: unde, cùm ſupra ſit demonſtratum, unum elementum non poſſe eſſe ſinè aliis, clarè patet, quòd ſi mixtum eſt formaliter de terra, etiam eſt formaliter de aliis elementis, & ſi terra maneat formaliter in

eo,

eo, etiam maneant ſic & alia elementa. Nunc opponas, ſi habeas aliquid opponendum. Amice Pamphile, hoc non audebo. Et quare puſillanimis hoc non audes? Quia timeo, præter tuas cogentes rationes, quòd fortioribus correctionum colaphis me tandem in pace dimittas. Et ideo tua pace ſolùm à te quæro, quid inde ſequatur?

26 Pam. inde ſequitur, & legitimè infertur, quòd, ſicut homo verus & naturalis homimem pictum & artificialem excedit, ſic Logica naturalis Lulliana excedit Ariſtotelicam, quæ non eſt nisi artificialis; &, ſicut ens reale excedit ens rationis, & univerſale excedit particulare, & decem excedunt tria, ſic Logica Lulliana excedit Ariſtotelicã; quia Lulliana eſt decuplex cum omni Perfectione in ſcientia & Arte poſsibili, & Ariſtotelica ad ſummum eſt artificialis, intentionalis, & particularis reſpectu Lullianæ, cùm penitùs nil olfaciat de hujus univerſalitare; & ſic Ars Lulliana in eo, quod continet tam Logicæ quàm Metaphyſicæ in omnibus Logicam & Metaphyſicam Ariſtotelicas longè (nè dicam ſummè) ſuperat & excedit.

CAPUT VII.

QUOD ARS LULLIANA PRÆTER PUBLICAM Doctrinam, h. e. Scholam, quam habet in Lulliana Univerſitate Majoricæ, cujas fuit Author, etiam publicam Scholam & Cathedras habuit in aliis Orbis Univerſitatibus.

1 PERGIT Feijoana Epiſtola erudita num. 7. Sic: *Itaque Ars Lulliana in nulla parte mundi obtinuit, nec obtinet publicam doctrinam*, h. e. publicè doceri, *excepta Inſula Majoricæ, cujas fuit Author.*

2 Mirandùm ſanè eſt, Virum magna eruditione pollentem, &, quod mirabilius eſt, in Epiſtola erudita, tanta facilitate in publicum protuliſſe id, de cujus oppoſito poteſt ſingulis momentis authen-

thenticè & luculentiſsimè convinci. Et, cùm certam veritatem reddere opinabilem ſit Animarum afflictionem augere nil fortiùs deſiderantium, quàm veritatem; opinabile à dubietate purificare, & ad veritatis certitudinem redigere, erit ipſarum deſiderium complere, pro quo laborant Lulliſtæ, qui, licèt S. Spirtûs conſilio ducti, ubi non eſt auditus non ſoleant ſermonem effundere; veruntamen ſemper & quando occaſionem, ſunt nacti palàm & publicè Lullianæ Artis & Scientiæ veritatem docuerunt, quin aliquando terga ſuis verterint adverſariis; nam, quod magìs deſiderant eſt ad lucem venire; & contrarium de eorum adverſariis poteſt evidenter demonſtrari, qui ab ipſis Lulliſtis invitati, ut de illatis calumniis rationem redderent, omni poſsibili ſagacitate publicam diſputationem impedire procurarunt. Hoc, inquam, authenticis poſſem demonſtrare teſtimoniis, niſi partim promiſſa eſſet poſtulationi reticentia, & partim aliorum parcerem verecundiæ ſperans per has demonſtrationes ab ipſis fore recipiſcendum.

3 Ideoque ingenuè fateor coràm Deo, majus gaudium mihi attuliſſe, quòd diuturni ſilentii, quo eram his temporibus uſus, partim ratione, partim verecundiâ, venerit finis & opportuna occaſio dicendi palàm, quæ didiceram, quæque ſentirem de Lullianæ Artis veritate, quàm ſi Archiepiſcopatûs Toletani Dignitate fuiſſem inſignitus; & ratio potiſsima eſt, ut plures innocentes reddantur à deceptione immunes, & valeant plùs recolere, intelligere & amare Deum & bonum commune, quod eſt dictę Artis & Scientiæ primarius finis, ût ex omnibus B. Raymundi libris clariſsimè eniteſcit.

4 Veniamus jam ad lucem, & dato, ſed neutiquam conceſſo, Lullianam Artem extra Majoricam, nec Scholam publicam, nec ullam Cathedram habuiſſe in aliqua orbis Univerſitate; nùm inde poterit inferri: ergo talis Doctrina eſt omnino vana & inutilis? Minimè; nam plures Doctores ſunt ſancti & celeberrimi hoc honore non guadentes, licèt eorum Doctrina ſit ſancta valde bona & utiliſsima, & habita in magno honore. Quare ergo Doctrina Lulliana indigebit hoc, quo aliæ non indi-

gent, ut non ſint vanæ & inutiles? Hoc minimè ſequitur; ſed è converſo, omnes volentes radicitùs & completè veritatem in omni ſcientia, ſcire, Lulliana indigent Arte, quia ad hoc omninò utilis & neceſſaria eſt. Hoc quidem ſequitur, ût demonſtratum eſt, & demonſtrabitur; & ideo Lulliana Ars & Scientia fuit ſemper habita in magno honore in Italia, Gallia, Hiſpania, & Germania & in aliis orbis partibus, cum hac tamen excellentia, quòd ſemper fuit ab adverſariis, quaſſata & jaculata, quin relinqueretur lapis movendus ad illam penitus exterminandam, & ſemper exivit vicens, ut vinceret Apoſtolica Authoritate defenſa & vindicata, ût patet ex dictis, & ex dicendis patebit.

5 Revocentur in memoriam verba R. P. Angeli de Pace in lib. Expoſit. in Symbol. Apoſt. tam recommendato à Clemente Octavo, ût dictum eſt ſupra, qui lib. 9. art. 7. c. 20. ait: *Doctrina illius* (B. Raymundi) *legitur publicè in Academia Barcinonenſi, & olim in aliis: libros autem nedùm in Hiſpania, ſed & in Italia, & Gallia vidi ſummo cum ſtudio, & à piis & doctis expeti, meque præſente ab Univerſitate Complutenſi totam illius Doctrinam commendari.* Scholæ publicæ Lullianę in Civitate Moguntina ſuperioris Germaniæ ego ipſe teſtis ocularis exiſto ût minimus ex decem, qui ex Hiſpania Moguntiam adierunt, ut alium Europæ Salomonem, perilluſtrem ſcilicèt D. Ivonem Salzinger Presbyterum in quatuor Facultatibus & Scientiis principalibus Doctorem celeberrimum, & in omni Arte & Scientia, præcipuè Lulliana Magiſtrum ſapientiſſimum audirent; ex dictis decem Hiſpanis ſex erant Ordinis Franciſcani, quinque ſcilicèt Religioſi obſervantes filii Majoricenſis Provinciæ, & ſextus erat Tertiarius: quatuor reliqui erant Doctores ſæculares, unus Presbyter S. Theologiæ Doctoratu inſignitus, alius celebris Medicinæ Doctor; duo reliqui Philoſophiæ Doctores & Collegæ unus Collegii Sapientiæ, alter Collegii S. Petri omnes Majoricenſes. Poſt varias inſtructiones, quas pluribus diebus accepimus à Magiſtro; die 1. Novembris anni 1727. congregatis ſedecim Condiſcipulis in publica Schola Lulliana

na in ædibus ipſius Salzinger; nam, licèt Emin. Elector Archiepiſcopus Mogũtinus propter magnum Diſcipulorum concurſum, & præcipuè Franciſcanorum, decreviſſet ſtudium in Conventu PP. Recollectorum S. Franciſci, ubi nos morabamur inſtitui; nihilominus ipſe Magiſter de ejuſdem Electoris licentia ob frigoris intenſitatem, & propter meliorem omnium commoditatem; ſtatuit noſtra Collegia haberi in magno & ſpatioſo ſuæ domus hypocauſto, in quo ſic noſtrum incepit Collegium: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum* antequàm moriar, & cum magna humilitate, & gratiſsima eloquentia in Lullianæ Artis Principiorũ explicatione perrexit.

6 Ubi eſt notandum, quòd ſeptem Condiſcipuli Germani erant Presbyteri litteris & virtute præſtantes, & præter iſtos ſeptem, alii plures erant, qui tunc temporis non adſtiterunt; nam poſteà cum aliis, etiam frequentabat Scholam Plur. R. P. Provincialis actualis Patrum Capucinorum magni Conventus Moguntini cum ſocio valde docto & venerabili, & in noſtro Conventu ſemper fuere Religioſi accipientes à nobis lectiones Lullianas. Hujus Scholæ publicitas erat tanta, quanta omnium Moguntinorum admiratio, cùm quotidie tot viros tam extraneos viderent, qui ex longinqua Hiſpaniæ Regione venerant ad audiendam ſapientiam Magiſtri, quem ipſi apud ſe ſatìs adhuc non agnoſcebant.

7 Non eſt tamen ſilentio prætereundum, quod dicto Tertiario Guilielmo Sampol accidit; erat enim vir ſimplex & idiota totus dicatus Religioſorum ſervitio, & ideo poſt manuales totius diei labores ſecundùm S. Obedientiæ præſcriptum, ſolùm noſtris nocturnis aſsiſtebat conferentiis, & cùm nec litteras alphabeti didiciſſet ferè per ſemeſtre (ſinè Regularum Grammaticalium obſervatione) latinè loquebatur clarè expeditè, & ſufficientiâ tantâ, quòd omnes Germanos in hac lingua intelligebat, & intelligebatur ab illis, &, quod mirabilius eſt, cum Religioſis Studioſis diſputare de altis Sacr. Theologiæ quæſtionibus cum non modica audientium admiratione ſolebat. Obiit in hieme proximè præterita Mannhemii, ibique fuit in Conventu Patrum Capucinorum ſepultus, cujus Ani-

ma in Dei benedictione ſit. Hoc totum eſt publicum & notorium apud Patres Moguntini Conventus, ubi diù degit, & ipſi Conventui inſervivit.

8 Neque hìc ſilere licebit inæſtimabile beneficium mihi immerito à Divina liberalitate collatum quando ad Lullianæ Artis Studium me vocare dignata eſt; nam egomet meam miror inertiam & incuriam, cùm per ſingulos annos in feſtis B. Raymundi celeberrimos audirem Panegyriſtas cœleſtem ipſius B. Martyris Doctrinam miris laudibus extollentes, & devotio erga illum ſemper mecum ab infantia creviſſet; & nihilominus dicta laus me in nihilo excitabat; ignoranter enim putabam talem ipſius Doctrinæ extollentiam eſſe pro illa die dumtaxàt, ſicuti Sancti inferioris claſsis in ſuis diebus feſtis ſolent erigi à Concionatoribus & ſtatui ſuper novem choros Angelorum & ultra, &, quod magis me in ſtulta confirmabat cogitatione, erat quando aliquis concionabatur, qui non erat Lullianæ Doctrinæ Sectator, & lingua pulcherrimè depingebat, quod factis non confirmabat, in quo experimentaliter didici, quàm parum ſuada ſit eloquentia ſinè opere, & quàm facilè decipiantur, qui magis pulchritudini verborum, quàm operum utilitati credunt; & ſic, Lullianâ Doctrinâ nec à limine ſalutatâ, & relictis aliis ſtudiis & occupationibus Scholaſticis, ad Apoſtolicum Miſſionum munus, tranſivi, in quo, quia opinionum varietate uti debeam, quin ſcirem inter verum, & falſum diſcernere, per aliquot annos exercitii, me ſufficientem non habere litteraturam detexi ad tam altum, arduum & tremendum miniſterium; non tamen infiteor, Deum aliis cum minori ſtudio copioſam infundere ſapientiam; at ingenuè fateor coràm ipſo Deo, quòd Bibliothecam omnis generis librorum plenam ingrediens, ſtatim angore correptus mecum dicebam: O bone Deus! quænam hominis vita ſufficiet ad legendum, ne dicam, ad diſcendum quidquid in tot libris continetur? Non eſt poſsibile, te in mundo ſcientiam non poſuiſſe qua ſolâ, & ſinè impoſsibili tot librorum lectione, valeat homo omnia neceſſaria ſcire; &, quia non ſum dignus ſcientiâ omninò infuſa, dignare mihi hanc oſtendere ſcientiam, ut

ut in ipſa addiſcenda laborem: pluribus vicibus hæc & ſimilia animo volvebam, quando cum primo Tomo magni Operis Lulliani Moguntiæ impreſſo, ſapientiſsimi Compilatoris Ivonis in noſtram Hiſpaniam fama advenit, & ſtatim rapior illum Magiſtrum audiendi deſiderio, quarè mea vocatione per alios debitè examinata, & timore jacturæ talis occaſionis ſemel ſpretæ vix redituræ, me ad trecentarum leucarum iter accinxi, &, Deo dante, qualicumque notitia Artis obtentâ, potui nō gravatè agnoſcere meum antecedentem ſcrupulum non impertinentem, ſed neceſſarium fuiſſe, nè cęcus cæcos ducerem, & omnes in foveā caderemus.

9 Nec aſſerere cum hoc præſumo, Lullianam Artem eſſe ita neceſſariam, ut ſinè illa nil poſſit effici abſolutè in via veritatis pro Dei honore, & Animarum ſalute, cùm omnes quotquot B. Raymundum præceſſerunt, & plures ipſum ſubſecuti, ſinè talis Artis notitia, magna ſanctitatis, & Doctrinę opera exercuerint. Dicò ſinè talis Artis notitia; ſed non ſinè notitia talis Doctrinæ, quia, ût dictum eſt ſupra, & examinanti conſtabit, Lulliana Ars eſt S. Evangelii theorica, & S. Evangelium practica ipſius eſt, & Lulliana Ars nulli ſcientiæ, & veritati opponitur; ſed veritates aliter opinabiles, in omni Scientia demonſtrat, ût ex 1. Tomo, & aliis ex libris pateſcit. Dico etiam, *ad prædicta non eſſe abſolutè neceſſariam*; ſed eſt omninò neceſſaria ad ſciendū cum facilitate id, quod niſi per infuſionem, vel cum maxima difficultate adquireretur. Et ideo ingenuè fateor corā Deo, eſſe maximè timendum deſpectum occaſionis miſæ cuicumque à Divina Providentia, ut quotquot fuerint vocati timeant hanc vocationem ſpernere, quam in me ipſo expertus ſum ſpeciale Dei beneficium abs dubio extitiſſe.

10 Et ideo ſemper timui, talem Artem, & ejus opera examinari ab illis, qui putāt ſcire, quod neſciunt, & ſemper deſiderio deſideravi, ipſam examinari à Viris verè ſapientibus & humilibus, in quos libenter ingreditur vera, humilis et Divina Sapientia; nam alicui iſtorū ad ſummum & per accidens poſſet accidere, quod ſapientiſsimo et devoto Gerſoni, qui videns in operibus Lullianæ Artis Figuras cum circulis, triangulis, & quadrangulis, & methodum & terminos inuſitatos, valde timuit, & hoc illi diſplicuit, quia in illo tempore Viri timo-

morati in hujuſmodi ſignis & characteribus ſuſpicabantur,& quidem prudenter , aliquam latentis inimici fallaciam , ſed cum toto ſuo timore , & diſplicentiâ non potuit in libris Lullianis nisi *veriſsima* , *& altiſsima* invenire , ût ipſemet fatetur. (videatur Cuſturer. Diſſ. 2. §. 2. f. 454.) Quid igitur , ſi ille beatus Vir, Artem in ſuis figuris ac ſignis prorsùs divinam eſſe noviſſet , ût facilliùs per ſenſum , imaginationem , & intellectum poſsimus veriſsima & altiſsima Dei percipere ? Hoc videbitur infra : unde ipſa Ars me theoricè & practicè docuit , eſſe æqualiter in examine alicujus operis non intellecti approbare , & reprobare timenda; quia æqualis timoris & periculi eſt approbare peſsimum , & optimũ reprobare ; nam in tali timore non eſt error,& in contrario eſt temeritas manifeſta.

11 Plura alia poſſem teſtificari , quibus ût teſtis ocularis interfui , v. g. Præliminaria primi Tomi & alia additamenta 2. & 3. Tomi eſſe à ſapientiſsimo Ivone , & non ab illius Amanuenſi elaborata , ût dictum fuit mihi eſſe annotatum in Memoriis Trevoixenſibus , quod , ſi ita eſt , quod nolui credere , mendacium ſolemne & notorium eſt; nam omnes Condiſcipuli Germani , & Hiſpani experti ſumus dictum Amanuenſem , licèt omnia loca & capita librorum , quos ipſe ſcripſerat, materialiter noſſet , ex his omnibus neſcire unicam demonſtrationem efformare ; quare pluriès arguimus illum , eò quòd dumtaxàt de ſcripturæ materialitate curaret; & quàm egregium eſſet aliquid boni ſperare à falſo honore Magiſtri jam defuncti , cum teſtimonio falſitatis , quilibet cordatus poteſt cogitare. Quin etiam , ſi ita eſſet , quòd dictus Amanuenſis eſſet tanti operis Author , omnes Condiſcipuli cum magna reverentia ipſi ſubjecti fuiſſemus ût Magiſtro , & non minùs ſcienti Ivoni ; quod abſurdum , licèt poſſet de me ſuſpicari , non tamen de aliis Condiſcipulis, cùm ſint Viri ſapientiſsimi & integerrimi in moribus & prudentia ; & ideo , his & aliis ût ſatis notis relictis , ad intenti probationem procedo,

12 Sapientiſsimus & eruditiſsimus Cuſturerius Soc. Je. in ſuis Diſſertationibus aſſerit, Doctrinam B.Raymundi Scholam publicam & Cathedras in Uni-

Univerſitatibus Compluti, Barcinonis, Valentiæ & Pariſiorum habuiſſe, & ſic Diſſ. 2. cap. 7. f. 471. ait: „ Conſtat „ Doctrinam Lullianam fuiſſe „ lectam Valentiæ &c., &, „ ſi non habet Cathedras in „ aliis Univerſitatibus, etiam „ alii Doctores valde celebres „ illas non habent. Et quod „ ceſſaverint Cathedræ Lul„ lianæ Compluti, Valentiæ, „ Barcinone, & tandem Pari„ ſiis, non fuit propter prohi„ bitionem, ſed propter omiſ„ ſionem vel ob jacturam red„ dituum, quos fundatæ Cathe„ dræ habebant. At, quia iſte Author eſt Majoricenſis, ut promiſſa adimpleam, debeo teſtimonia quærere extranea pro ſingulis Univerſitatibus; & quantùm ad Complutenſem valde dubito, quòd ibi fuerit Cathedra Lulliana, & non affirmabo donec authenticum teſtimonium videam; hoc non obſtante, P. Andreas Moragues in ſua Chronographia f. 50. inſignem affert Epiſtolam Univerſitatis Compl., quę eſt tenoris ſeq.

13 „ Complutenſis Aca„ demia, Illuſtriſsime Prin„ ceps, ut fidelium augeatur „ devotio, ſuique feliciſsimi „ fundatoris Illuſtriſsimi Car„ dinalis Franciſci Ximenez à „ Ciſneros in ſanctum Virum „ ejuſque Doctrinam Illumi„ natum Doctorem, ac Mar„ tyrem Raymundum Lullum „ devotioni reſpondeat; Fra„ trum ex Ordine Divi Sera„ phicique Franciſci Regno„ rum Majoricæ, & Catalo„ niæ precibus annuens, Te „ rogat, & exoratum ſperat, „ ut ea, quæ in fælicis recor„ dationis Il. Doctoris & Mar„ tyris Raymundi Lulli, ex „ Tertio Divi Franciſci Ordi„ ne canonizationem ſpectat, „ publicis inſtrumentis, ût fie„ ri ſolet in re tam graviſsi„ ma, probanda præcipias; „ cùm ea, quę adversùs hunc „ Santum Virum à F. Nicolao „ Eymeric, in eo Libro, qui „ directorium Inquiſitorum „ inſcribitur, dicta ſunt, tam „ Generalis Inquiſitionis Regni „ Aragoniæ decreto, quàm „ quibuſdam publicis inſtru„ mentis ex conceſsione Be„ nedicti XIII. Et prætereà à „ quodam Martini V. Legato „ Cardinali Alamano nuncu„ pato in eodem Regno Ara„ goniæ ſatis infirmata ſint. „ Quæ omnia allegata, & „ probata præcatur ut jubeas „ examinare diligenter. Iſta „ quippe Fr. Antonius Buſ-

quets

„quets ejuſdem Ordinis D. „Franciſci Monachus, & Reg„ni Majoricæ Syndicus exhi„bebit, quibus Sancto impo„ſita calumnia diluetur, & „Sanctitas Viri illuceſcet; „prædictæ Inſigni Academiæ „locus dabitur, ut in Doctri„na prænominati Sancti in „dies progreſſus faciat: Uni„que Deo ſit honor & gloria „in ſæcula ſæculorum.

Doctr. Joſephus Alphonſus Gutierrez Rector.

14 Et quod vehementiùs auget fundamentum dicendi Doctrinam Lullianam lectam eſſe publicè in dicta Univerſitate, eſt, quod aſſerit Inſignis Magiſter Joannes Lobet apud Cuſtur. Diſſ. 2. n. 70., ubi ſic ait: *D. Nicolaus de Pax fuit unus de primis Cathedraticis Univerſitatis Complutenſis.* Et in Vita B. Raymundi impreſſa Compluti anno 1519. conſtat ipſum eſſe Lulliſtam, ibi enim ait: „Fateor me in „legendis Raymundi Lullii „tractatibus diutiſsimè verſa„tum, nihil inveniſſe omni„nò, quod vel virtuti, vel „Catholicæ Fidei, vel aliis „virtutibus adverſetur. Non „me tamen firmat ſolius judi„cii mei fiducia. Plurimos „enim, tum præteritæ, tum „noſtræ ætatis Viros Sapien„tia & probitate clariſsimos „ſententiæ meæ duces habeo, „quorũ præcipui fuere Lupe„tus, Caranius, Clapeſsius, „Fornerius Medicus, Gerpus „inſignis, & Juriſconſultus „& Aſtrologus, Nicolaus de „Cuſſa, Daguinus, Caldente„yus...Fontanus Medicus, & „Sydus illud Italiæ Joannes „Picus Mirandulæ Princeps, „& Concordiæ Comes: qua „igitur ſuperaviditate ingenii „Illuſtriſsimus D. Franciſcus „Ximenez Hiſpaniæ Cardina„lis Dominus meus & bene„factor amantiſsimus Divi „Raymundi opera ſcrutare„tur, & audiret, tum om„nes in ejus viventis palatio „verſati cognoverunt; tum „maximè poſſum ego teſtifi„cari. Per lucis namque, & „tenebrarum tempora, atque „inter magna Hiſpanię gu„bernandæ negotia, dumque „iter faceret, ſemper me ſi„bi præſentem eſſe jubebat, „dicturum ex Lulliſticæ Phi„loſophiæ, & Theologiæ „abundantia, quæ mihi delec„tiſsima viderentur. Hæc Ni„colaus de Pax nobilis Majori„cenſis, cujus teſtimonium con-

fir-

firmat D. Nicolaus Antonius in Appendice ad Bibliot. Hiſpanam novam pag. 310. de dicto Nicolao ajens: *Ex primis Academiæ Complutenſis Profeſſoribus, Illuſtriſſimo Ximenio erectori admodùm charus.* Unde quæro: ſi iſte Author erat Lulliſta et unus de primis Uuniverſitatis Complutenſis Profeſſoribus apprimè charus & intimus Eminentiſſimo Fundatori, & ipſa Univerſitas erat tam affecta ad B. Raymundum & ejus Doctrinam, ût patent hæc omnia per ſupradicta; quid prohiberet ipſum, nè publicè ibi ipſam Doctrinam legeret? De aliis Univerſitatibus conſtat ex variis authenticis inſtrumentis, & præſertim ex hoc publico tenoris ſequentis.

EXAMINATIO LULLIANÆ DOCTRINÆ per publicas ejus in diverſis Academiis lectiones.

LEGITUR Lulliana Doctrina Pariſiis, & auditur libentiſsimè, qua de re habetur latiſsimum *Jacobi Fabri Stapulenſis* Teſtimonium perlectam fuiſſe Pariſiis, anno 1515. per *Bernardum Lavinhetam* publico & favorabili Auditorio; extat eadem de re Authenticum apud nos (Majoricenſes) inſtrumentum hujus tenoris.

Univerſis præſentes literas inſpecturis Officialis Pariſienſis Salutem in Domino. Notum facimus, quòd die Datæ præſentium coràm dilectis & fidelibus noſtris Magiſtris *Joanne Aubertugue*, & *Gabriele Uſcaf* Clericis, Curiæ noſtræ Notariis juratis, quibus in iis, & aliis majoribus fidem adhibemus indubiam, Vices noſtras in parte hac gerentibus, perſonaliter comparuerunt Venerabiles & Scientifici Viri, Magiſtri *Joannes Majoris*, Commorans in famoſiſsimo Collegio Montis-Acuti, Nationis Scotiæ, *Ludovicus Coronell*, *Socii Sorbonici Sacratiſsima Theologiæ Profeſſores*, actu Pariſiis degentes, Diœceſis Legovienſis, & *Joannes Quintana* in dicta Theologiâ Baccalarius ac Prior, & *Socius dicti Collegii Sorbonici, Presbiteri*, qui dixerunt,

& pro veritate atteſtati ſunt, quòd anno præſenti *legebatur* publicè Pariſiis apud *Matutinos Ars & Doctrina Raymundi* per quendam Albertum, & cùm legeretur, nulla prorſus fiebat prohibitio dicto Doctori, nec ejus Auditoribus, eratque auditorium frequens, & hoc ſciunt, & iidem atteſtantur, quòd in Bibliotheca dicti Collegii Sorbonæ, & apud Carthuſienſes juxta Pariſios habentur quàm plures libri dicti *Magiſtri Raymundi* in eodem honore, ſicut cæteri, qui permittuntur legi ab omnibus volentibus, quorum nonnulli ſunt dati impreſsioni: de quibus præmiſſis Venerabilis & egregius Vir Magiſter *Joannes de Vera*, aliàs *Fuentes*, *Medicus Regis Hiſpaniæ*, & *Archi-Epiſcopi Cæſar-Auguſtæ*, petiit à dictis Notariis, tamquàm devotus & Diſcipulus dicti Raymundi, ùt dicebant, præſentes ſibi fieri. In cujus rei teſtimonium Sigillum Curię noſtræ duximus apponendum. Datum Pariſiis, anno Domini 1516. Die 2. menſis Octobris.

Aubertugue.

Legitur præterea publicitùs Barcinonę magno audientium concurſu à *Ludovico Joanne Villeta*, inſigni Theologo, in omni diſciplinarum genere eruditiſsimo, & Barcinonenſis Academiæ olim Moderatore.

Valentia *Cathedram* habet proLullianâ Doctrinâ erectam: Majorica *Academiam* habet Lullianæ Doctrinę Profeſſione nobiliſsimam, & per quam orbi eſt cognita, & celebre nomen apud omnes adepta.

ATTESTATIO.

COPIA *hujuſmodi fuit fideliter ſumpta à libro intitulado* Apologia Lullianæ Doctrinæ, adversùs Nicolai Eymerici Calumnias ad S. D. N. *Sixtum Divinâ Proviſionis Papam Quintum, & Philippum Secundum Hiſpaniarum, ac novi Orbis Monarcham, Authore* Antonio Belver *Primario Cathedratico, Pœnitentiario & Canonico Majoricenſi, recondito & reſervato in Archivo Univerſitatis & Regni Majoricarum, in Ærario ſub clave magnifici Jurati militaris, & cum*

cum ſuo Originali verè, ût decet, comprobata per me Joannem Mainotz *publicum Notarium, de mandato magnificorum Dominorum Juratorum Regentium dictum Archivum: qua de re ut prædictæ Copiæ, licèt aliena manu ſcriptæ, mihi tamen fideli, fides indubia hìc & ubique ab omnibus attribuatur, hìc me ſubſcribo* Ego dictus Joannes Mainotz *publicus Notarius, & appono ſigillum dicti Archivi, die 22. menſis Octobris, anno à Nativitate Domini* 1660.

15 Prætereà de Cathedris extra Majoricam erectis pro Lulliana Arte & Doctrina Authenticè conſtat ex Privilegiis Regum ſuprapoſitis, & ſignanter ex Privilegio per Sereniſſimum Ferdinandum elargito R. Magiſtro Jacobo Janer Monacho Ciſter. ut poſſet Artem legere per omnia Hiſpaniæ dominia, & præcipuè Valentiæ, ubi dictus Monarcha ſic ait: *Nos verò ſupplicatione ejuſmodi intellecta, attendentes præmiſſa, & etiam conſiderantes, quòd in Civitatibus noſtris Majoricarum & Barcinonæ ſunt domus, in quibus ſunt Cathedræ conſtructæ & dedicatæ cum redditibus ad Artem & ſcientiam iſtam legendam,* &c.; *& quòd in Civitate iſta Valentina ſit domus & Cathedra (ût dicitur) cum redditibus, &c.*

16 Videatur inſuper in principio 1. Tomi poſt dictum Privilegium, *Approbatio Artis Metaphyſicalis* ejuſdem Mag. Jacobi Janer, ubi habitâ magna contradictione adverſariorum, dicitur ſic: „ Et cognitâ veritate & utilitate atque visâ prædictæ „ Artis, R. Cancellarius & Vicarius Generalis Magiſter „ Jacobus Conil Canonicus, „ pariter cum R. Vicario Generali Mag. Joanne Alphageri Canonico elargitus eſt, „ atque conceſsit licentiam „ prælibato Militi imprimendi dictam Artem ſibi præcipiendo, quòd extemplò „ impreſſori eam traderet, ut „ quàm primùm omni impedimento remoto imprimeretur, & veritas ejus omnibus oſtenderetur in defenſione Fidei Catholicæ, ut optantes ſcire, citiùs ſciant, *quia „ per talem modum addiſcendi juvenes atque ſenes leviùs „ ad optatum modico tempore „ pervenire valent*: ſicut ordo procedendi primâ facie „ oſtendit habentibus intellectum, & eo fruentibus, quia

„ aliis impoſsibile eſt veritatem ejus oſtendere.

17 „ Prætereà, quia R. „ Mag. Jacobus Giner (Janer) peritus non ſolùm in „ Raymundinâ Arte Generali, quam *habet pro lapide angulari*, verùm etiam in „ omnibus aliis Artibus & „ Doctoribus, à Summo Pontifice Privilegium habet & „ licentiam Cathedrandi, legendi, componendi, diſcernendi, interpretandi, „ gloſſandi, & Authoritatem „ ſententiandi Sacram Scripturam & quamlibet concluſionem. Inſuper prædictus „ R. Jacobus Janer à Seren., „ Illmo. Chriſtianiſſ. atque „ Obſervandiſſ. FERDINANDO Hiſpaniæ Rege & Inſularum, Privilegium habet „ & licentiam per omnia Regna ejus legendi & componendi Artem Generalem „ Illti. Doct. Mag. Raymundi „ Lulli, & ſpecialiter in Regno Valentiæ, in quo eſt „ multitudo Infidelium, & ſignanter, quòd legat in hac „ Urbe inclyta Valentina, ut „ optantes Artem Generalem „ Divi Doctoris Raymundi „ Scire, ipſam ſtatim addiſcant, ut cum eâ Fidem Catholicam defendant contra „ Hæreticos, & Infidelibus „ Saracenis eam oſtendant; „ ut abſcondita illius Artis „ ſecreta in lucem veniant, „ ejus veritatem enucleando, „ & tenebras atque umbras „ ſophyſtarum Dialecticorum „ evitando, tamquàm impedimentum addiſcendi & veritatem cognoſcendi, &c.

18 Quin etiam ipſe B. Raymundus dum ageret in humanis publicè docuit ſuam Artem in Univerſitate Pariſienſi, ut videbitur infra, & in noſtro Ordine de licentia Generalis Miniſtri, ût probant literæ Rmi. Patris Raymundi, Ordinis Fratrum Minorũ Generalis ipſi Illto. Doctori exhibitæ, ex Manuſcripto Authoris coęvi ejuſdem, ût habentur in 1. T. & ſunt tenoris ſequentis.

„ Cùm Dominus Raymundus Lullius lator præſentis „ &c. Cæterùm cùm dictus D. „ Raymundus quamdam Artem „ doceat, per quam convincere nititur Infideles, volo, quòd „ vos Miniſtri, ſi aliqui Fratres „ Provinciarum veſtrarum audire dictam Artem fuerint „ conſolati, dictis Fratribus & „ dicto Raymundo de Conventu idoneo opportunitatem „ provideatis, in quo poſsit

Fra-

„Fratribus oſtendere Artem „illam. Valete. Datum in Mon„te Peſſulano 7. Kalendas. No„vembris anno 1290.

19 Adhuc etiam memini, Celebrem Papiæ Univerſitatẽ, poſt quatuor Tomorum magni Oporis Lulliani reviſsionem, inſtanter à meo germano Fr. Michaele Fornès petiiſſe, ut ipſe, ſi poſsibile eſſet, vel alius ſuę approbationis, dictam adiret Univerſitatem Artem Lullianã edocturus, & ſtatim ibi Cathedrâ donaretur, & omnibus neceſſariis ad Magiſterium honorificè peragendum; cui petitioni non potuit ſatisfieri, tũ propter majores dicti Patris in Lulliano negotio occupationes, tũ propter alias temporis importunitates. Hoc idem ſuſpicor eventurum, cognitâ aliqualiter bonitate utilitate & neceſsitate Artis, aliis Univerſitatibus quærentibus Magiſtros in illa peritos; nam ſincera veritate loquendo, magis indigent Cathedræ Lullianâ Arte, quàm Cathedris ipſa Ars; & ideo pluriès dixi coràm teſtibus fide dignis, quòd, ſi meum eſſet dare conſilium (excepto ſemper & præpoſito conſilio Divinę Providentię,) magis cõſulerem, Lullianam Artem inſtituere ſibi Cathedram in deſerto, ubi meliùs addiſceretur practicè & ſpeculativè ab his, qui præponunt Sapientiam Regnis & ſedibus, & divitias & honores nihil eſſe ducunt in comparatione illius, quàm Cathedras in Univerſitatibus ambire & quęritare; quia experientiâ didici, longius tempus eſſe conſumendum ab incipientibus dictam Divinam Artem in defendendo ſe à contradictionibus, calumniis & perſecutionibus, quàm in libris & codicibus Lullianis legendis, &, ſi incipiens, hæc, & illa ipſi Arti non poſtponat, non eſt eâ dignus, quia iniquè majus poſtponit minori; quod non faceret, ſi per rectam intentionem ſemel ad cognitionem dignitatis & valoris ipſius Artis perveniſſet.

20 Si tandem quęratur, quare ceſſavere Cathedræ, quas Lulliana Ars habuit in prædictis Univerſitatibus? Reſpondeo, quòd propter ſimilem rationẽ, propter quam deperdita eſt Doctrina noſtri Redemptoris D. N. Jeſu-Chriſti in tot terris Chriſtianorum, quas injuſtè poſsident Saraceni & alii Infideles; & ſic, quia Lulliana Ars eſt prorsùs Divina, & veritatem clarè & intergiverſabiliter docet, ût poteſt quicumque ipſius amator videre, propter hoc,

hoc, quia natura humana peccato originali corrupta eſt magis prona ad vanitatem, quàm ad veritatem,&, quia communis inimicus non dormit dum Lulliſtæ dormire ſolemus, & quia filii hujus ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in generationibus ſuis; & hæc eſt cauſa, quare veritas odium parit apùd fingentes,ſe Dei amorem habere, quod clarè innegabilis docet experientia, & S. Maria Magdalena de Pazzis in lib. de Div.Intell. f. 147. n.1. ubi ait: *Non dicat aliquis Deum diligere, ſi veritatem non amat.* Et f. 167. n. 4. dixit ei Æternus Pater: *O! non cernis Eccleſiæ meæ viridarium totum ſpinis ac tribulis circumſeptum, bonorumque deſideriorum flores adeò ſuffocatos, depreſſoſque, ut difficulter fructum debitum perficere poſsint? Hodieque ab humana ſapientia adeò contradicta eſt Bonitas à me in creaturis meis infuſa, ut in quàm paucis fructificet.* Et f. 261. n. 3. dixit ei: *Si vis autem intelligere qui ſint, qui meam odio habent veritatem; ſcias illos eſſe, quorum hodie tanta copia eſt in terris, quos tu Chriſtos meos apellas*, &c. Videantur ibi alia verba ipſius Æterni Patris.

21 Unde à primo uſque ad ultimum manet probatum & demonſtratum, Lullianam Artem & Doctrinam extra Majoricam, Scholam publicam Moguntiæ,&Cathedras in Barcinonæ, Valentiæ, & Pariſiorum Univerſitatibus habuiſſe.

CAPUT. VIII.

QUOD LULLIANA ARS CERTE PUBLICÆ Scholæ honorem non paſsioni, ſed rationi Majoricenſium, debeat.

1 CONCLUDIT Feijoana Epiſtola erudita num.8. & ultimo ſic:*Unde Lulliana Ars forſan debet hunc honorem*, (Scholæ publicæ) *non rationi, ſed paſsioni Majoricenſium Compatriotarum ipſius Authoris.*

2 Si aliquis neſciens quid ſit Cathedra Scholaſtica, quid Studium generale, & Univerſitas literaria, putans tamen hęc om-

omnia fuiſſe Majoricæ clamculùm erecta, & inſciis Poteſtatibus ſuperioribus, ût in loco terrarum orbi ignoto, & à ſuperiori regimine omninò independenti; diceret, hæc forſan fuiſſe facta ex paſsione, & non ex ratione; temeritatis notam effugere non valeret. Quid igitur, ſi aliquis Cathedraticus prędicta ſciens, & aliunde non ignorans, quanto rigore & matura diſcuſsione examinentur à Poteſtate ſuperiore rationes & motiva, ut detur facultas ad hujuſmodi erectiones, & cum hac ſcientia diceret id factũ forſan non ex ratione, ſed ex paſsione fuiſſe? Utinam, præter temeritatẽ in Subditos, non eſſet, de irrationabilitate contra Superiores reprehenſio, ad quorum vigilantiam & providentiam ſpectat de talibus juſtè & rationabiliter providere.

3 Quare tametsi innumerę ſint rationes adſtringentes, quibus Majoricenſes omni jure tenentur B. Raymundum Doctorem Illuminatũ & Chriſti Martyrem Inclytum, ejuſque Artem & Doctrinam cœlitùs acceptam (ût cognoſcitur ex fructibus) honorare & omnimodè appretiare, ût etiam patet ex dictis & dicendis, ex Actibus authenticis, ex 1. Tomo, ex omnibus libris ipſius Authoris & ſignanter ex eruditiſsimis R. P. Cuſtureriі Soc. Jeſ. Diſſertationibus; nihilominus aliqua Summatim adducam ad ſpecialiùs probandum præſentis aſſertionis intentum per varias rationes.

4 Prima igitur ratio, quare Majoricenſes ſemper ſtuduerunt & ſtudent Lullianæ Arti & Scientiæ, & eam publicè curarunt cum omni neceſſaria licentia & facultate doceri, eſt, quia talis Doctrina eſt *Bona, Utilis & Neceſſaria* ad recolendum, intelligendum & diligendum Deum, & ad ſalutem Animarum; de primo ipſos certificavit Univerſitas Pariſienſis; de ſecũdo lectio librorum B. Raymundi, qui omnes ad dictum finem conſpirant; movet quin etiam experientia, qua vident veros Lulliſtas prudentia, virtutibus & literis eſſe Inſignes; movet etiam illos traditio & teſtimonia authentica probantia, omnes quotquot veri fuere Lulliſtæ poſt Martyrium Illuminati Magiſtri, tam Majoricæ, quàm alibi; tam Sæculares, quàm Regulares, ſemper præſtitiſſe aliquam, imò & plures non vulgares excellentias.

5 De Sæcularibus patet in Doctore Inſigni Joanne Lobet, cui

cui Rex Alfonſus exactè de ejus præſtantia in Arte Lulliana & Scientiis,& aliis pignoribus informatus, ſingulare Privilegiū conceſsit emanatum 26. Januarii 1449. ubi ait: *Vobis dicto Joanni Lobet,& à vobis ſubſtituendis!, concedimus & largimur licentiam, & liberam authoritatem, & plenariam facultatem dictas præfati egregii Doctoris Artes & Scientias legendi Magiſtraliter in omnibus Civitatibus & terris,& locis univerſæ ditionis noſtræ, in eiſdemque faciendi Scholas propter Lecturam dictarum Scientiarum.* Videantur Privilegia Regum ſupra. Patet etiam in Doctore Inſigni Joanne Cabaſpre, cui Carolus Quintus etiam conceſſit Privilegium,ubi ait: *Nos verò ſupplicationibus eiſdem, ùtpotè juſtis, & rationi conformibus benigniter annuentes, & præſertim, quia cùm conceſsimus licentiam & facultatem, ut ipſum Studiùm generale inſtrueretur, & fieret, in ipſa Civitate, & Regno* (Majoricarum) *perſpeximus illud convenire utilitati Reipublicæ ipſius Regni,& conſequenter ſervitio noſtro... Et eſt etiam mentis noſtræ,geſta & facta per Seren. Regem Alfonſum imitari, quandoquidem non minùs, quàm illi,placet nobis, & quidem libenter & animo hilari, Artem, Scientiam,& Doctrinam tanti Doctoris Magiſtri Raymundi Lulli,illius virtutibus promerentibus, & ipſa Scientia requirente, extollere, dictumque Magiſtrum Joannem Cabaſpre,ac cæteros futuros Magiſtros in eadem Arte & Scientia honorare, præmiiſque remunerationibus Regiis dignos reddere.* Vide Privilegia ſupra poſita.

6 Iſti ſunt Magiſtri in Arte Lulliana à Monarchis Catholicis legitimè & nominatim inſtituti, & eâdem legitimitate & authoritate proceſſerunt quotquot Magiſtri fuere à tempore Inſignis *Lobet* uſque ad Doctorem Petrum Daguì, quos, eorumque præclara geſta eſſet nimìs prolixum enarrare. Pro quo videatur *Mut* in Hiſt. Majoricen.

7 Secunda ratio eſt illa, quæ tot Catholicos Monarchas movit, ut maximis Privilegiis & favoribus B. Raymundum, ejuſque cæleſtem & infuſam Doctrinam proſequerentur,eique Lullianam concederent Univerſitatem; ſcilicèt vitæ Sanctitas ejuſque pro Fidei Catholicæ defenſione & propagatione Martyrium,& maxima gloria toti Hiſpaniarum Regno ui-

inde proveniens, (ût ipſa Privilegia teſtantur) & multæ talis Doctrinę in Univerſitate Pariſiēſi, & alibi Approbationes, ût infra demonſtrabitur, & mirabilia Doctorum Lulliſtarum geſta, ût poterit ſequenti in caſu videri.

8 Anno igitur 1481. præclarus Doctor & Magiſter in Lulliana Arte *Petrus Daguì* fuit promotus ad Cathedram primariam Lullianam fundatam per Magnificam Dominam D. Agnetem de Quint, cum tanto applauſu, quòd in primæ Lectionis die Prorex, Jurati, ſive patriæ Rectores, & Nobiles Regni Majoricarum in ampliſſima Civitatis Domo præcongregati cum innumerabili populi concurſu novum Cathedraticum uſque ad Eccleſiam Cathedralem ſunt comitati, in cujus pulpito primam legit lectionem. Sic Cuſtur. Diſſer. 2. f. 292. At tantus novi Cathedratici honor tantam in adverſariis acendit invidiam, ut pauco peracto tempore fuerit ipſi Romam adire neceſſe; ſcivit enim, unum ex illis eò fuiſſe profectum causâ quemdam librum deferendi, quem ipſe Doctor Daguì Barcinone compoſuerat anno 1473. intitulatum *Janua Artis Magiſtri Excellentiſsimi Raymundi Lulli*, & libro ad Sāctitatem Sixti Quarti delato, ipſe dicti libri examen, & præſertim trium propoſitionum ſpecialiter notatarum ſex commiſit Commiſſariis, quo reviſo, ipſi ſuæ retulerunt Sanctitati, quòd diſcusâ pluriès materiâ, & collato libro & modo loquendi Authoris cum SS. Patrum, & Doctorum Catholicorum locutionibus, omnes examinatores ſuam doctrinam unanimiter laudabant, ût conſtat ex authentica relatione, quæ ſic ait: *Beatiſsime Pater &c. Sæpe fuimus cum Magiſtro Daguì, ut videremus intellectum, quem dat Tractatui edito in Doctrinam Raymundi Lull... talis eſt ſententia Magiſtri Petri Dagui, quam nos uniformiter laudamus. Antonius Epiſc. Fanenſis, Ferdinandus Cordubenſis ſubdiaconus Domini N., Jacobus Conill, Noyanus Epiſcop. Xefalenſis, Joannes Abbas S. Bernardi Valentini, Guillermus Bonodit.* Vide Cuſtur. f. 300. n. 13. Et approbatione à Sixto Quarto obtenta, ſic triumphans Majoricam redivit.

9 Quorum notitia motus Rex Catholicus Ferdinandus, & ſciens, factam oppoſitionem & calumniatas aliquas propoſi-

tiones ût hæreticales fuiſſe, dedit Privilegium, ût ſupra, erigendi Univerſitatem, & tunc aliqui adverſariorum de ſuis officiis fuere depoſiti; & interim Doctor Daguì, rebus in pace compoſitis, aliquos compoſuit Tractatus Majoricæ uſque ad annum 1484., in quo, morte Sixti Quarti interveniente, & ſuccedente ei Innocentio VIII.; cogitaverunt contrarii cum hoc Pontifice, ſe meliorem, quàm prima vice, effectum ſortituros, & ſic iterùm litigium ſuſcitarunt, quo fuit neceſſe Doctori Daguì iterùm coram Innocentio VIII. comparere, quem de litigio antecedente informavit, & de approbatione, quam à Sixto Quarto obtinuerat; & ſic feliciùs adhuc, quàm anteà vicit, ût patet ex impreſsione dicti Libri *Janua Artis* tunc factâ Romæ anno 1485. cum approbatione prædictorum ſex à Sixto IV. deputatorum, in quo conſtat, Innnocentium VIII. prædictam confirmaſſe approbationẽ, & ideò Rex Ferdinandus in ſuo Privilegio dicit, Doctrinam B. Raymundi fuiſſe per Innocentium VIII. approbatam; nam ipſa eadem eſt, quam ponit Daguì in ſuo libro *Janua Artis*, &c.

10 Poſt duos annos à dictę Cathedrę primarię fundatione, hoc eſt, anno 1483., in virtute dicti Privilegii Regis Ferdinandi, fundata fuit in Regno Majoricarum Univerſitas Lulliana, in qua Lulliana Doctrina per adverſarios & boni communis inimicos jaculata, ſemper profundiores egit radices, ût videtur in Epitome Regum ſupra. Et ſic contradictio, quam paſſa eſt Lulliana Doctrina, fuit exaltationis ipſius occaſio, amplioris notitiæ & approbationis in Curia Romana, in Univerſitate Pariſienſi, apud Catholicos Reges, & exteras orbis Nationes. In quo non obſcurè poteſt noſter concertator videre, quomodò Lulliſtæ Majoricenſes ſciunt cum *ratione* Artem Lullianam defendere in Curia Romana, ubi prævalet ratio, & hac eadem ratione illius publicam lectionem conſervare & augere.

11 At, quis crederet, poſt tam ſolemnes triumphos, adhuc non omninò quieſcere adverſarios? Quieverunt quidem, & ulteriorem conflictum cum dicto Cathedratico Daguì timuerunt valde; ſed, quod contra illum non potuere, ipſo mortuo, contra Cathedram totis viribus attentarunt. Nam

duo

duo quidam magnum habentes in Curia Romana favorem, Bullam ab Alexandro VI. obtinuerunt, in qua redditus dictæ Cathedræ & alia emolumenta in fundationem novi Archidiaconatûs in Cathedrali Eccleſia Majoricenſi ſua Sanctitas commutabat, & uni illorum novam Dignitatem, alteri verò ipſius Jus Patronatûs providit. Dum hæc Rmæ agerentur, adventavit fama Majoricam, & Decreto magni & generalis Conſilii Civitatis & Regni Majaricarum 11. Martii 1502. fuit electus Syndicus Doct. Sperandeus Hiſpanus & Canonicus Majoricenſis Romæ reſidens, ut dicto negatio opponeretur; at, non ita citò commiſsio Romam pervenit, quin Bullæ jam eſſent totaliter expeditæ, & Majoricam remiſſæ, ut ſtatim executioni mandarentur. Ibi coràm Ordinariò fuit de re altercatum, & obtentum, ut iterùm ad Sedem Apoſtolicam ſupplicatio remitteretur, & interim notitia etiam ad Seren. Regem Ferdinandum pervenit, qui 10. Maii 1503. Majoricam miſit Epiſtolam, in qua præcipiebat Regali Procuratori, & aliis Miniſtris ut Cathedratici in poſſeſsione recipiendi ſalarium, conſervarentur, donec ſua Sanctitas aliter diſponeret, &, quòd, ſi aliquid innovaretur, neutri partium ſolveretur interim, donec ſua Sanctitas aliter diſpoſuiſſet. Scripſit etiam Romam, ut ſuo nomine dictæ Cathedrę conſervatio ſolicitaretur. Inſtatum igitur eſt Regis nomine, & Regni Majoricarum, & repræſentata ſunt ſuæ Sanctitati falſa motiva ad dictam commutationem allegata. Quibus viſis, ſua Sanctitas Cauſam commiſit Doctori, & Auditori Mariano Bartholomæo de Pecuſia Palatii Pontificii Camerario, qui die 31. Maii anni 1503. ſuas literas citatorias & inhibitorias Majoricam expedivit, ut coram ipſo comparerent prętendentes dictæ commutationis executionem, & Ordinario Majoricenſi, & aliis Judicibus, inhibendo nè aliquid contra dictam Cathedram immutaretur; & dictarum effectus litterarum fuit, quòd pars oppoſita receſſit, & Cathedra uſque in diem hanc priſtina in poſſeſsione remanſit. Vid. Cuſtur. S. J. tractans ad longum hunc caſum. Diſſ. 2. cum authenticis teſtim. à f. 297. uſque ad 310. Ubi maximè ſunt advertendæ rationes, quas dictus Rex Ferdinandus Summo Pontifici in ſua

Epiſtola allegat, quæ ſic ſuæ Sanctitati in litteris citatoriis & inhibitoriis, referuntur, ût ſequitur.

12 „Cum autem pro Sanc„ta devotione Sanctitatis veſ„træ, & S. Romanæ Eccleſiæ „Filius Ferdinandus Caſtellæ „& Legionis, ac Aragonum „Rex, ad ſupplicationem de„votorum etiamSanctitatis veſ„træ Oratorum Communitatis „Civitatis Majoricen. permiſe„rit pro utilitate Reipublicæ „Civitatis prædictæ, quòd li„bri & Doctrina hujuſmodi „præfati Raymundi publicè le„gerentur,& ad publicè legen„dum domus & Scholæ depu„tarentur...Et Doctrinam præ„fati Raymundi in Montis pe„ſulani, & Pariſiens. Univer„ſitatibus Studiorum genera„lium, dicti Ferdinandi prædeceſſores examinari diligenter „fecerunt, & per Univerſita„tem dictorum Studiorum ap„probatum fuerit, illam le„gi, & doceri publicè poſſe, „prout hactenus lecta fuit, „& de præſenti publicè legi„tur, &c. Cuſtur. Diſſ. 2. f. „308. lit. m. In quo apparent evidenter rationes, quas Reges Catholici habuerunt ad publicam Lullianæ Artis & Doctrinæ Lectionem Majoricæ, & alibi inſtituendam; Approbationes ſcilicèt ipſius Doctrinæ in Univerſitatibus tam famoſis, utì Montis peſulani, & Pariſiorum; videtur etiam, quòd ſi ad Reges approbare Doctrinas non pertinet, (quod poſſet aliquis minùs advertenter objicere) omninò ad Reges Catholicos pertinet Doctrinam periculoſam & reprobatam nullatenus ſuis in Regnis permittere, & bonam, utilem & neceſſariam ad Fidei Catholicæ defenſionem, & ad plurima alia bona, tueri, promovere, & favoribus dilatare; quod juxta ſuum Regium munus ipſi Catholici Reges cum Arte & Doctrina Lulliana, ſic exigente approbatione, bonitate, utilitate, & neceſsitate ipſius, magnificè peregere.

13 Tertia ratio, quam inter plurimas habet Majoricenſis Provincia S. P. N. Franciſci de Obſervantia ad publicè Doctrinam profitendum Lullianam, ſunt variæ approbationes illius per Generales noſtri Ordinis Miniſtros, & Capitula generalia, ût videtur in litteris ſuprapoſitis, in quibus præcipitur omnibus Provincialibus, ad quos B. Raymundus adhuc vivens accederet,

ret, ut provideant illi de Conventu opportuno, in quo posſit ſuam Artem docere, & omnes Religioſi ipſam addiſcere volentes debeant licentiari. Experientia etiam præſtantiæ talis Doctrinæ notorium omnibus fecit, Franciſcanos illius Provinciæ Lulliſtas virtutibus & litteris excellentiores fuiſſe, (non loquor de Lulliſtis nominalibus, ſed de veris & realibus) de quibus poſſet longus catalogus efformari, niſi evitaretur prolixitas in re Majoricæ tam notoriâ. Hoc tamen eſt mirabilius, & ſilentio non prætereundum, quòd ſcilicèt Divinâ Providentiâ, & B. Raymundi interceſsione (ût piè creditur) in illa Provincia ſemper conſervatur aliquis Lulliſta Inſignis cæteris eminentior (abſit invidia verbo) totas ſuas vires impendens in traducendis libris, componendis tractatibus circa Artem, & quantùm poteſt laborans in defendendo piam Cauſam Lullianam; ita ut pluſquàm à quadraginta annis ipſemet obſervaverim, uno dempto, alterum non defeciſſe; & per antiquorum traditionem, & Scripturarum lectionem idipſum ab immemorabili tempore contigiſſe agnovi.

14 Aſſertum jam probat continuata uſque in hodiernum diem in dicta Provincia de Lulliana Doctrinâ, tertia S. Theologię Lectio: primò per diſpoſitionem Miniſtri Generalis Rmi P. Joannis Marineri, ût patet ex ejus litteris die 7. Martii anno 1640. expeditis, quæ in Civitatis Archivo in lib. Regiarum Epiſt. aſſervantur; Secundò per Conſtitutionem Capituli Gen. Romæ celebrati anno 1688. præſidente in illo Em. Cardinali Cybo S. Collegii Decano, noſtri Ordinis Protectore, & Delegato Innocent. XI. (ut ſupra aliqualiter tactum eſt) & eſt tenoris ſequentis.

15 „Decreta Capituli Ge„ ner. PP. Minorum celeb. Ro„ mæ anno 1688. Titulo pro „ Provinciis Hiſpaniæ n. 30. f. „ 30. Pro Provincia Majoricæ, „ in qua Doctrina *B. Raymun„ di Lullii Doctoris Illuminati* „ maximè ad hæc uſque tem„ pora floruit; conſultò ſanci„ mus, quòd tertius cujuslibet „ſtudii Theologici Lector, Lec„ tiones juxta ipſius Doct. Il„ lum. mentem, ſemper legat, „& publicas concluſiones quo„ libet anno diſputandas pro„ ponat. Dum autem nova dic„ tæ tertiæ Lecturæ proviſio ſe „ obtulerit, quin Lector pro ea

præ-

„ prævia oppoſitione approba-
„ tus in Provincia reperiatur ;
„oppoſitio,more ſolito, coram
„ definitorio,ac quatuor Patri-
„bus in prefata Doctrina verſa-
„ tis à Provincia aſsignandis
„ indiſpenſabiliter fiat , in qua
„ illi oppoſitori conferatur,qui
„magis idoneus ad eam docen-
„ dam à majori parte Judicum
„ fuerit inventus.Nec ulli tem-
„ pus ad jubilationem compu-
„ tetur , qui aliter ad dictam
„ tertiam Lecturam fuerit pro-
„ motus, vel ſecùs in ea ſe ge-
„ rere præſumpſerit.Hucuſque
Conſtitutio. Rms. P. Marcus Zarzoſa Generalis in hoc Capitulo electus , in Epiſtola prefixa hujus Capituli decretis editis Romæ Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ 1689. cum licentia R. P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrarii Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apoſtolici Magiſtri.„ Acta igitur proximi præteriti Capi-
„ tuli Generalis vobis remitti-
„ mus , quorum ad legum , &
„ ſtatutorum formam redacta
„ de ordine SS. diligenter diſ-
„ cuſſa , maturè perpenſa , at-
„ tentè reviſa , exactiſsimeque
„ examinata authoritate Apoſ-
„ tolica approbata videbitis.

16 Hæc igitur eſt una ex innumeris rationibus , quibus Majoricenſis Provincia Franciſcanorum Obſer. ad publicam Lullianæ Doctrinæ profeſsionem adſtringitur ; quod ſi ex paſsione , & non ex ratione fieret , ût forſan ita eſſe præſens aſſerit calumnia; talis irrationalis paſsio magis eſſet Capitulo Gen. attribuenda , cujus eſt omnia ſtatuenda exactè examinare , quàm Provinciæ Majoricenſi , ſi forſan id ſinè ratione petiviſſet ; imò etiam magis eſſet Sedi Apoſtolicæ adſcribenda , cujus eſt exactiùs diſcutere , & matuiùs omnia perpendere ſtatuta , quæ approbat & confirmat ; quod adhuc ſuſpicari nefas eſt. Huc etiam ſpectat Decretum Urbani VIII. 6. Octobris 1629. omnes Collegii Sapientiæ Collegas obligans ad audiendam lectionem Lullianam ; nam cap. 9. ſic ait : *Teneantur ſingulis diebus audire lectionem Artis B. Raymundi.*

17 In quibus Decretis, præter Apoſtolicam publicæ lectionis Lullianæ Doctrinæ approbationem, etiam eſt advertendus *Beati* titulus , qui datur Illuminato Doctori : unde , ſi aliquis me vellet mordere , eò quia etiam ipſi Raymundo ſoleam ipſum præponere titulum; reſponderem, me

in

in hoc nullatenus Eccleſiæ Judicium prævenire, imò ſubditum & ſubjectum pedibus ejus, ſequi ipſius S. Romanæ Eccleſiæ permiſsionem & approbationem ſive tacitam ſive expreſſam; nam præter authenticas Scripturas hìc, & alibi circa hoc punctum citatas, fui Majoricæ enutritus, ubi nullus eſt à maximo uſque ad minimum, qui illum *Beatum* non nominet, quem Sanctitatis cultum, ût probatum eſt, B. Raymundus jam poſsidebat à tempore immemoriali, ante Urbani VIII. Decretum; ideoque, ſi vellem ipſi poſitivè auferre, quod per ipſum Decretũ non eſt ablatũ; hoc certè eſſet temerarium, & velle corrigere, quod Eccleſia non correxit. Urbanus enim idẽ VIII. in Bulla, quæ incipit *Cœleſtis Jeruſalem* 5. Julii 1634. in eodem Bullarii Tomo ait ſic: *Declarantes, quod per ſupraſcripta præjudicare in aliquo noluimus, neque intendimus, iis, qui, aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſsimi temporis Scientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii celebrantur.* Favet etiam Sacra Congregatio apud Barboſam de Offic. & poteſt. Epiſcopi part. 3. Alleg. 97. n. 11., ubi de reliquiis ait: *Illas, quæ fuerint antiquæ, habendas eſſe in illa veneratione, qua hactenus fuerunt.* Et Sac. Congreg. Rituum 27. Septembris 1659. ſub Alexandro VIII. apud Delbene tom. 2. part. 2. Dub. 234. ſect. 2. ait: *Removere non intendit cultum Beatis per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum ... Ad tolerantiam Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinariorum præſtitum.* At, ſi aliquis diceret, hoc verum quidem eſſe de Cultu Sanctitatis B. Raymundi, quem Eccleſia ſemper permiſit & toleravit; ſed non de cultu Doctrinæ, de quo in præſenti eſt Sermo, quia non defuit, qui ipſi ut erroneæ & hæreticæ ſe opponeret? Fateor ita eſſe attentatum contra veram & Catholicam B. Raymundi Doctrinam; ſed contra eam nil effici potuiſſe, imò de iſta calumnia fuiſſe Authoritate Apoſtolica, & omni jure ſervato, egregiè vindicatam, & apud Curiam Romanam contra inimicos tot reportaſſe triumphos, ût demonſtratum eſt, & ideo magis ſtandum eſt conſuetæ Eccleſiæ permiſsioni, quàm ſinè aliquo vero fundamen-

mento, contradictioni alicujus inimici, qui nec est sicut D. Augustinus, nec sicut D. Hieronymus, ût meus Præceptor Angelicus D. Thomas docet 2. 2. q. 10. art. 12. C. *Magìs standum est authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris.* (Loquitur hìc S. Doct. de his, quæ fiunt in Ecclesia per consuetudinem, ût patet) *dicendum, quòd maximam habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper in omnibus est æmulanda &c.* Unde subsumitur; sed Ecclesia consuevit Lullianam Doctrinam, permittere & illam saltèm tacitè approbavit, ût videtur in prædictis Decretis: ergo magìs standum est huic consuetudini, quàm privatæ cujuscumque Doctoris authoritati.

18 Præter dictas rationes adhuc est alia non minùs fortis, quàm terribilis, quam sinoviſſet R. P. Magister Feijoò, potuiſſet Majoricenses rationabiliter, & sine pasione arguere, & est ratio obligationis regratiandi, quam habent erga B. Raymundum, & ejus Doctrinam, quam non semel solent negligere, cúm habeant inexpugnabilia rationis arma ad supprimendos inimicorum boni communis temerarios ausus, qui unicè quærentes, quæ sua sunt, non verentur verbis privatìm, & factis publicè, aliquâ tamen fictione paliatis, maximum vilipendere bonum commune, quod est in Arte & Scientia Lulliana, unde tota posset Majorica mirificè in omnibus ditari; & Lulliſtarum negligentia in occurrendo dictis adversitatibus, fuit exteris occasio Lullianam hæreditatem tanti pretii & valoris tamquàm derelictam adeundi, ita ut majoricenses, quando ût legitimi hæredes voluerunt de ipsius hæreditatis substantia aliquid percipere, in regionem ire lonquinquam, & à possessore valde extraneo emendicare debuere.

19 At dicet aliquis: Si hoc ita est, quomodò supra assertũ est, Majoricæ semper fuisse Lulliſtas insignes? Quare ergo Majoricenses Moguntiam ire debuerunt, ut de Arte aliquid emendicarent? Dico, prædicta esse vera, & in hac veritate, maxima Lullianæ Artis dignitas demonstratur; nam, si illi, qui ejus scopum non attigerunt, ex librorum Lullianorum lectione facti sunt Lulliſtæ respectu aliorum insignes, & cæteris excellentiores: quid,

si

ſi fuiſſent Magiſtri in Arte periti ? Dicet etiam alius : ratio quare Lulliſtæ, ad quos ſpectat cauſam defendere Lullianam, fiunt aliquando puſillanimes & timidi, eſt *prudentia*, qua utunrur ad majus malum evitandum. Ad quod dicitur: majus malum eſſe ſemper, quòd veritas neceſſaria ſupprimatur, & falſitas pernicioſa triumphet, & quòd bonum commune patiatur damnum, quàm bonum particulare invidiæ ipſius boni communis inimicæ, quod bonum particulare ſolùm imaginariè eſt tale. Hoc in caſibus ſupra poſitis non obſcurè demonſtratur; nam, ſi Doctor Daguì manibus manſiſſet complicatis, & Romam non petiiſſet, ut ibidem cum ſuis confligeret adverſariis ; quid illi veritatis arma profuiſſent ? Nonnè illius Liber,& conſequenter Doctrina Lulliana periclitaretur adversâ alicujus ſiniſtræ interpretationis tempeſtate, cùm in eadem litera aliquando poſſit eſſe ſenſus Catholicus, & hęreticus ; & ipſe forſan fuiſſet privatus Cathedra & honore, & tota Majorica plena manſiſſet rubore ? Chariſsimi igitur Majoricenſes mihi Majoricenſi, ignoſcant ſi ſapientibus & prudẽtibus videar imprudentiâ laborare ; nam, licèt Charitas, & Pietas erga meam charam patriam, cui me omni jure adſtrictũ profiteor; meum ſtimulent deſiderium, ut illos in omnibus laudem, cùm revera in plurimis ſint laudabiles; attamen in aliquibus non poſſum, nisì falsâ uti adulatione vellem ; quia B. Raymundus in Libro de Amico & Amato dicit, quòd Amicus interrogatus, quare non excuſabat culpabiles ? Reſpondit: nè fieret ſimilis illis, qui innocentes reprehendunt. Et intelligentes etiam ſciunt, nullum poſſe verum eſſe Lulliſtam, nisì in omnibus Divinæ prudentiæ leges legibus humanæ præponat.

20 Unde clarè videtur,Catholicos Reges, præclaram B. Raymundi Univerſitatem, Frãciſcanorum Provinciam, & totum Majoricarum Regnum ſuperexcedentem habere copiam rationum adſtrigentium ad publicè profitendum Lullianam Artem & Doctrinam, & ad illius promotionem totis viribus procurandam. Quod, ſi noſter adverſarius olfeciſſet, neutiquàm Majoricenſes de abundantia paſsionis, ſed de defectu actionis erga tantam obligationem exe-

quendam, rationabiliter argueret. Has rationes extranei cognoverunt, & ideo totaliter Lullianæ Artis & B. Artificis cultui & honori & defensioni se dicarunt, ût visum est in præclarissimo Mag. Jacobo Januario Cister. supra non satis laudato; in Perillustri Doctore Ludovico Joanne Villeta Rectore Universitatis Barcin. & Canonico Pœnit., qui fuit sufficiens ad obtinendum suspensionem publicationis Barcinonæ Indicis Pauli IV. noviter impressi, in quo erant Opera B. Raymundi, donec ab ipso fuissent ablata; ipse astitit S. Concilio Trident. cum Episcopo Barcin., ubi in exhibendo Opera Lulliana Examinatoribus per totum Concilium ad hoc specialiter deputatis, ût suprà, & in respondendo omnibus dubiis, ferè per biennium laboravit, donec sua plenaria satisfactione Decretum obtinuit, ut dicta Opera nullatenùs in librorum prohibitorum Indice ponerentur, quod Decretum supra videri potest executioni mandatum. Quid dicam de meo sapientissimo Magistro Ivone Salzinger, qui semel cognito Artis & Scientiæ Lullianæ valore, non dubitavit maximum sibi assumere laborem plures & disitas Europę partes peragrādi ad redimenda maximis sumptibus Lulliana manuscripta per omnia loca hinc inde dispersa? Quid de illius lucubrationibus in traducendo, coordinando, & imprimendo dicta Opera, in quo negotio diuque, noctuque laborans 33. annos consumpsit, & totam impendisset vitam, nisi fuisset morte præventus? Prętermisis igitur aliorum præclarissimis gestis, isti tres erant Viri maximè ratione pollentes, ût eorum mirabilia monumenta luce clariùs declarant; unde quæro: fecissentnè hæc isti rationales Viri, nisi cognovissent omnes Majoricenses Lullianæ Doctrinæ dicatos omnimodè agere secundùm rectam rationem? Reliquissentnè suas convenientias proprias, nisi certò Lullianæ Artis valorem agnovissent, & ipsam pretiosam esse margaritam, quam, qui invenit, non dubitat vendere omnia sua, ut emat eam?

21 Ergo à principio usque ad finem B. Raymundus, Ars & Doctrina ejus indubiè honorem (si fas est dicere, pretiosissimum Dei donum aliquid debere recipientibus) publi-

blicæ lectionis, rationi, & non paſsioni Majoricēſium debent. Et ſic bene poteſt R. P. Feijoò ſuum qualecumque exuere dubium Lullianam videns naviculam, Majoricæ etiam contrapondus adverſariorum habere, non ſinens eam irrationabiliter progredi; & utinam hìc ventus ſiſteret contrarius, quin aliquando aer vanitatis impediret illi curſum proſperum veritatis; quod in futuro non erit, ſi veritas ſegnis & otioſa non dormiat.

DISTINCTIO IV.

DE RELIQUIS PUNCTIS LULLIANÆ Arti contrariis. Et 1. *de littera textûs.*

1 PRoſequitur Feijoana Epiſtola erudita numero 5. ſic: *Porque no ſe pierda eſte deſengaño en V. Reverencia pareciendole poca mi authoridad para perſuadir la inutilidad del Arte de Lulio, le manifeſtarè el juicio, que hicieron de ella dos grandes criticos en materia de Ciencias. El primero es el Canciller Bacō, el qual (n. 6. de augm. Scient. cap. 2.) la llama Arte de impoſtura; añadiendo, que ſolo pueden hacer aprecio de ella algunos hombres amigos de Bachillerear deſpropoſitadamente en todas las coſas*: Methodus impoſturæ, quæ tamen quibuſdam ardelionibus acceptiſsima proculdubio fuerit. Latinè ſic ſonat: Nè perdatur iſta immunitas à deceptione in veſtra Reverentia, visâ ipſi parvâ meâ Authoritate ad perſuadendum inutilitatem Artis Lullii, manifeſtabo ipſi judicium, quod de illa fecerunt duo magni Critici in materia Scientiarum. Primus eſt Cancellarius Baco, qui (n. 6. de augm. &c.) vocat eam Artem impoſturæ; addens, quòd *ſolùm* poſſunt illam appretiare aliqui homines amici ardeliandi, hoc eſt, loquēdi extra & contra propoſitum in omnibus rebus: Methodus impoſturæ, quæ tamen quibuſdam ardelionibus acceptiſsima procul dubio fuerit.

2 *El ſegundo es el Padre Renato Rapin, quien en ſus reflexiones ſobre la Philoſophia ſect. 17. hablando de Lulio, y ſu Arte dice aſsi*: Emprendiò traſtornar el orden eſtablecido en las Eſcuelas, reduciendo la Philoſophia, y las demas Ciencias à un methodo, que nada tiene de ſolido, y que bien lexos de hacer hombres ſabios jamàs pudo haſta ahora, ni aun ſiquiera hacer hombres de buena razon. Latinè: Secundus eſt P. Renatus Rapinus, qui in ſuis reflexionibus ſuper Philoſophiam ſect. 17. loquens de Lullo, & ejus Arte dicit ſic: Conatus eſt invertere ordinem ſtabilitum in Scholis, reducens Philoſophiam, & cæteras Scientias in quamdam methodum, quæ nil ſoliditatis habet, imò valde longè impotens reddere homines ſapientes, numquam hucuſque potuit facere homines bonæ rationis. Inde procedit numero 6. ſicut ſequitur:

3 *No pienſe pues V. Ra. mas en el Arte de Raymundo Lulio, ſi ſolo en eſtudiar como eſtudian todos los demas en la Religion, la qual tiene, y ha tenido muchos hombres doctiſsimos, que ſe hicieron tales por el camino carretero, y ſin recurrir à algun medio extraordinario para facilitar los progreſſos en las Ciencias.* Latinè: Nè igitur cogitet ampliùs V. Reverentia de Arte Raymundi Lulli, ſed tantùm de ſtudere ſicut ſtudent cęteri omnes in Religione, quę habet, & habuit multos homines doctiſsimos, qui tales facti ſunt per viam currilem, h. e., communem, & quin recurrant ad aliquod medium extraordinarium ad facilitandum progreſſus in Scientiis. Hæc ſunt Feijoani de littera textûs. Subſequentes ejuſdem Authoris reflexiones ſuis in locis collocabuntur, nè tædioſa textûs repetitio fiat.

4 Textus iſte ad tria reducitur puncta: primum eſt Magni Critici Baconis judicium contra Artem Lullianam; 2. eſt Magni Critici Rapini judicium; & 3. eſt conſilium Magni Critici Mag. Feijoò ſuper his duobus judicibus fundatum, quibus, Deo dante, per tria Capita reſpondebitur.

CA-

CAPUT I.

QUÒD MAGNUS CRITICUS BACO IN judicio, quod protulit contra Lullianam Artem, defecerit.

1 CUM textus parùm ab hinc diſtet, non fit repetitio illius; ſed ſolùm ſupponitur tamquàm certum, R. P. Magiſtrum Feijoò contra Lullianam Artem hos duos Magnos Criticos (ût ipſe putat) tamquàm duas columnas herculeas, & *non plus ultra* ad ſui intenti ſtabilitatem ſtatuere; nam ſic bonus practicat Rhetor, quod fortiſsimum eſt adducens, quando ad ſuadendum aliquid ſeligit ex multis; ideoque ex majori & nobiliori numero ſpernentium Lullum, & ejus Artem, quem ſibi laudatus Pater ſupra implicitè computavit, has duas explicat columnas herculeas & opponit, quibus utroque pede innixus ac erectus caput inter nubila condere putat, & ſuam elevationem ab omni adverſo jaculo perſtare ſecuram. Et ego etiam primo columnarum intuitu timore perculſus dicebam: O bone Deus! quis ita rigidos habebit pilos, ut ſuas audeat vires ad illas metri? Videns verò, primam columnam non eſſe Fide firmatam, ita evanuit timor, ut eſſet mihi animus unico utramque impetu proſternere ſimul. At, quia nec ipſe *Hercules contra duos*, meâ audacia tantiſper repreſsâ, jam cum bacillo irruo contra primam; dico: cum bacillo, quia indignum eſt aliquem Catholicum Lulliſtam comparare cum Magno hæretico antilulliſta, qualis fuit Baco; &, quia Baco, & bacillus ſunt ſimiles & proportionales, dignum erit, hæreticum Baconem alterius hæretici bacillo, ictu ſequenti, feriri.

2 Joannes Henricus Alſtedius Lutheranus in Clave Artis Lullianæ impreſſ. Argentorati anno 1633. ait: „ Nunc „ temporis ludibrium debent „ ii, qui Lullianæ Philoſophiæ „ operam dant impensè; hem „ ſcelus! itanè docuit Ariſto„ teles, ut aliis docendi Ca„ thedram juſſerit clauſam? „ minimè verò: quale igitur

„ vos

„ vos habet cacoëthes, inflati,
„ inepti, ridiculi, thraſones,
„ ſtentores, triobolares, peri-
„ patetici & ramei, quòd uſ-
„ que adeò inſectamini Lul-
„ lium? Profectò de vobis ig-
„ noto ſententiam pro Tribu-
„ nali pronuntiatis homine:
„ legite, ſi viri eſtis, Scripta
„ ejus, nè vanitatis damnate,
„ nè vocate præſtigias ænig-
„ maticas; non enim ſunt ta-
„ lia, qualia vos eſſe clama-
„ tis: non infiteor, permag-
„ num hujus methodi eſſe
„ abuſum, artificum etiam vi-
„ tia eſſe enormia: at ſcitote,
„ abuſum nullatenùs tollere
„ uſum, & errata artificum
„ non eſſe imputanda ipſimet
„ Arti. Hæc ait hæreticus ad hæreticum ſicut latro ad latronem, dicteria contra Artem Lullianam prolata dicteriorum bacillo percutiens; nam iſte eſt mos hæreticorum, ſcilicèt dicteria dicteriis retundere, quem morem debemus Catholici abhorrere; quia veritate & Charitate melius defenditur veritas, & minùs diſſidentium exacerbantur animi; & ideo, ſi aliquis Baconis morem voluerit imitari; videat, quàm egregiè dicteriorum bacillo Alſteidi concutiatur, & me neutrius morem imitari velle, intelligat, cùm ſuperabundans veritas & ratio Arti Lullianæ ſuffragetur, ut à talibus dicteriis ſe defendat; & ideo ſola lectio minimi operis ab Arte profluxi eſt ſufficiens probatio realis omni legenti, & aliqualiter intelligenti, ut clarè videat, an ſit *Ars impoſturæ*; nam etiam ruſtici ſciunt, quòd non colligunt de ſpinis uvas, nec de tribulis ficus; & hanc probationem à Divino Magiſtro perſuaſam, ût infallibilem, humiliter ab omnibus veritatis amatoribus efflagito.

3 Sed, quia cupio omnibus ſatisfacere tam doctis, quàm minùs ſcientibus, quibus poſſet videri authoritas Baconis major, quàm Alſtedii, propter firmitatem, & appretiationem, quam noſter Antilulliſta in eâ ſtatuit; audiamus, quid de utraque ſentiat authoritate Vir Catholicus Parroquet natione Gallus Preſbyter doctrina & pietate Inſignis, de quo jam laudabilis mentio facta eſt; ipſe in Apologia B. Raymundi cap. 4. fol. 76. de Alſtedio ait: *Quæmadmodum non poſſet ſatis æſtimari propter magnum lumen, quod habuit in Artibus liberalibus, & in omnibus ſcientiis naturalibus, audeo dicere, quòd*

quòd ſi abjuraſſet hæreſim, in qua natus eſt, & applicaſſet ſuum talentum pro defenſione Religionis Orthodoxæ, & non ad illam impugnandam, prout fecit, ſe reddidiſſet dignum immortali gloria. Sed de illo dici poteſt, quod S. Paulus pronuntiavit de omnibus iis, qui abutuntur lumine ſuæ mentis: qui veritatem Dei in juſtitia detinent. De Bacone verò, & ejus ſequacibus c. 2. fol. 47. idem Parroquet ait. *Ad convincendum vel de ignorantia, vel de malitia illos, qui aggreſſi ſunt hunc S. Virum* (B. Raymundum) ... *& qui negotium ſibi fecerunt cenſurare ſua Opera accuſando de impoſtura, &c., ſolummodò convenit videre teſtimonia contraria... & qui glorioſum ſibi duxerunt amplecti ſuam Doctrinam, &c.*

4 Adhuc clariùs dicti elogii novit originem ſapientiſſim. Salzinger, ût demonſtrat 1. T. in Author. 1. claſſ. fol. 43., ubi ait: *Si binâ vel ad ſummum ternâ unius libri lectione non ſtatim percipiunt, in Authorem libri debacchantur dicteriis, ajuntque, Chimicos ſtudio affectare hanc obſcuritatem ad tegendam ſuam impoſturam, cùm potiùs deberent ingenuè fateri ſuam ignorantiam, de qua erubeſcunt.* Hæc Salzinger. Quæ quidem eſt cauſa, quare Baco indignatus, quòd non potuerit capere Artis ſecreta, vocat illam *Artem impoſturæ*, proprium ſuum defectum inculpabili Artis innocentiæ attribuens. Ideoque illum cum ſuis ſectatoribus ex aſſe comprehendit ſententia Ambroſii Camaldulenſis Ord. pro S. Dionyſii Areop. defenſione dicentis: *Condolendum eſt pleriſque miſeris, qui propter ſuam ignorantiam acerbos ſe aliorum judices atque Cenſores præbent, quique acuta cæterorum inventa, prout ignorantia ſua dictat, acerbè carpentes, cùm legunt, quæ non intelligunt, ſcriptorem ſtatim condemnant, neque eos pudet, quòd nec redarguere, nec emendare poſſunt, quæ putant malè ſcripta: in ſeipſos igitur iram ſuam convertant, ſibique ipſis acerbis ſint, qui per negligentiam altiora addiſcere nequiverunt, quique à Doctoribus petere dedignati in dubiis ſuis contabuerunt.*

5 Fiat nunc reflexio ſuper magnam Baconis authoritatem, & ſuper explicationem, vel traductionem Antilulliſtæ allegantis & appretiantis illam. Dicit Baco hæreticus loco

co citato: *Methodus impoſturæ, quæ tamen quibuſdam ardelionibus acceptiſsima proculdubio fuerit.* At Antilulliſta ad terminum *quibuſdam* addit particulam *ſolùm* vel *nisi*, ût patet in ſuis dictis; & ſic teſtimonium dat non veridicum de ſuo Patrono & ſuſtentaculo; nam hæreticus ſolùm dicit: *quibuſdam ardelionibus*; & Antilulliſta cum ſuo addito dicit: *Solùm quibuſdam ardelionibus*, ita ut cum illa particula comprehendat omnes, quibus Ars acceptiſsima fuit, ut conſulentem Arte ab ipſa abſterreat, nè ſalutetur ardelio; unde ſecundùm hanc ſententiam, duodecim Reges Catholici, unus Chriſtianiſsimus, & tot Principes, quibus Lulliana Methodus & Ars, ût ſupra demonſtratum manet, acceptiſsima fuit, propterea Megni erant ardeliones, & jure merito poterat illis objici. Ars & Methodus Lulliana tibi acceptiſsima fuit: ergo magnus es ardelio. Quo, quid indecentius & abſurdius?

6 Quare juſtè poſſet conqueri de Antilulliſta ſuus magnus Patronus dicens: quare aſſeruiſti, me dixiſſe, quòd Methodus Lulliana *ſolùm* fuit accepta quibuſdam ardelionibus, cùm non ita dixerim? Et coràm Regibus, & Principibus poſſet ſe excuſare dicens: ego quidem dixi, Lullianam Methodum acceptam fuiſſe quibuſdam ardelionibus, ſed cum hoc non negavi, ipſam poſſe etiam acceptam eſſe, & de facto aliis non ardelionibus accipi. Videat igitur noſter Antilulliſta, quomodò poſſet tam juſtæ ſui Patroni querelæ ſatisfacere? Et quomodò valeret ſe excuſare coràm tot Regibus, & Principibus, imò & Cardinalibus, Pontificibus, & Generalibus Inquiſitoribus, & aliis, quibus tam injuſtè honorem abſtulit? Certè non poſſum ipſi ſatìs condolere, quod me cogit ipſum charitativè admonere, ut recipiſcat, & ſuam videns columnam bacillo contritam, ſibi voluntariam contritionem non reſpuat, ut lumen à Deo recipiat ad meliùs perſcrutandum, unde potuerit ipſi tanta infelicitas calumniandi Artem Lullianam provenire, quam Viri Sancti ût Dei donum venerantur, ût inter plures Sanctitate, & Doctrina Venerabiles fecit Rms. P. Hieronymus Natalis Soc. J. Doctor Pariſien. confidentialis adjutor SS. Patriarchæ Ig-

Ignatii, cujus teſtimonium affert R. P. Gabriel Joannes Bolicher S. J. in Traſumpto Memorialis, ubi ſic ait:

7 „Non abſque Divino „Conſilio graviſsimus ille „Doctor Pariſienſis Hieronymus Natalis Balearis unus „ex primoribus Societatis noſtræ Patribus, Sanctique Patriarchæ noſtri Ignatii in „condendis Conſtitutionibus „& Regulis Religionis noſtræ „Adjutoribus, poſtquàm mirabilem Magiſtri Raymundi „Doctrinam Sacro Martyrio „ſubſignatam, & ab æmulorum calumniis per Tridentinos Patres conquieſcere „juſſam, celebrari in inclyta „Pariſiorum Univerſitate perſpexerat, ſeque reverſus ad „Patriam in tranquillo villæ „ſuæ paternæ receſſu per juſtum biennium ejus doctrinæ Studio meditationique „tradiderat, rogatus à Fratre „ſuo Stephano, quid de Lulliana Doctrina ſentiret; reſpondit: *Utinam vulgo homines Donum Dei ſcirent, & capere vellent, quàm appoſita ſit hæc Ars atque Scientia ad Veritatem naturali Ratione tradendam, ſinè ambage Teſtium & Authoritatum.* Hoc graviſsimum atque veriſsimũ tanti Doctoris Acroama nunc demùm in memoriam rediit, & agnovi jure optimo de Lulliana Doctrina ac Arte prolatum, quando mihi injuncta fuit „ab Illuſtriſsimo Domino „D. Balthaſare Borgia digniſsimo Dioœceſis hujus „Balearis Antiſtite munus „hoc recenſendi Memoriale Reverendi adm. P. Fratris Joannis Rieræ Franciſcanæ Familiæ Theologi in „Cauſa prædicti pii Eremitæ „Raymundi Lullii &c. T. 1. „f. 10.

8 Hoc Illuſtre teſtimonium noſtro non adducitur Antilulliſtæ, cùm ipſi Majoricenſes teſtes non adhibere promiſerim, quia illos facillimè in auras abigeret dicens: eos forſan magis ex paſsione, quàm ex ratione loqui, ût ſupra; ſed ut alii cum hujus judicio, illius judicium judicent tam egregiè fandatum in magno Baconis dicterio, qui, nisì omninò maneret Alſtedii bacillo contritus, & eſſet operæ pretium, adhuc ſupereſſet baculus à qualibet Artis Lullianæ Arbore abſciſus ad ineundum ſpeciale certamen, quo omnes hinc inde viderent, quid fortiùs præva-

leret, baculus, & funda Balearis, an magna lorica, galea, & polita haſta Baconis? Quare iterùm humiliter noſtrum rogo Antilulliſtam, ut impoſterùm meliùs firmet pedem videns ſuum Magnum Baconem in judicio à ſe contra Lullianam Artem prolato (ût ex omnibus dictis legitimè infertur, & ex omnibus dicendis ſemper clariùs patebit) miſerrimè defeciſſe.

CAPUT. II.

QUOD MAGNUS CRITICUS R. P. RENATUS Rapinus in judicio, quod protulit contra Lullianam Artem magis quàm Baco defecerit.

1 PRoſequitur Feijoana Epiſtola erudita in eodem numero 5. ſic: *Secundus eſt P. Renatus Rapinus, qui in ſuis roflexionibus ſuper Philoſophiam ſect. 17. loquens de Lullo, & ejus Arte dicit ſic: Conatus eſt invertere ordinem ſtabilitum in Scholis, reducens Philoſophiam & cæteras Scientias in quamdam methodum, quæ nil ſoliditatis habet, imò valde longè impotens reddere homines ſapientes, numquàm hucuſque potuit facere homines bonæ rationis.* Sic Rapinus apud Feijoò, qui non adducit formalem Authoritatem latinè, & ideo, ſi aliquid immutavit, ipſi adſcribetur, quia ego cum bona illius fide procedo.

2 Præſens calumnia 4. continet puncta omni reſponſione indigna, quæ plenariè ſoluta jam in antecedentibus remanent. Primum eſt, quòd B. Raymundus *conatus eſt ſcientiarum ordinem in ſcholis ſtabilitum invertere.* 2. eſt, *quòd methedus ad quam reduxit Philoſophiam & alias ſcientias, nil habet ſoliditatis.* 3. eſt, *quòd talis methodus non poteſt homines reddere ſapientes.* 4. eſt, *quòd hucuſque homines bonæ rationis facere non potuit.* Ad hæc quatuor dicteria, Deo favente, punctatim, & modeſtiâ poſsibili reſpondebitur, ut puſillorum, ût decet, ſcandalum evitetur.

PUNC-

PUNCTUM I.

3 AD primum igitur, salvâ tanti Viri reverentiâ, respondetur, nullatenùs esse verum, Beat. Raymundum conatum fuisse aliquem scientiarum ordinem in Scholis stabilitum invertere; quia non venit ordinem & ordinata solvere, sed adimplere, ût clarè in omnibus ejus Operibus *ordine* plenis videtur, ita ut *ordo* sit proprietas characteristica Artis ipsius, & ideo talis conatus cum Lullianæ Artis methodo est impossibilis; nam ordo ordini non opponitur, sicut nec veritas veritati, nec Perfectio Perfectioni; (jam timeo me extendere in demonstrando, cùm valde facilius sit per Artem ipsam demonstrare, quàm Authoritatum farraginem quæritare) sed Artis Lullianæ methodus super ordinem Naturæ instructa est, ût supra est demonstratum, præsertim in mensa sapientiali: ergo impossibilis est conatus invertendi aliquem ordinem in Scholis stabilitum, cum methodo Lullianâ; & ideo, sicut Perfectio addita Perfectioni magis perfectum facit, sic ordo methodicus Lullianæ Artis additus ordini in Scholis stabilito, facit magis ordinatum, & ordinem nullatenùs invertit. Quod B. Raymundus conatus est cum methodo suæ Artis Divinitùs acceptæ, est, ordinem collapsum restaurare, restauratum conservare, & adhuc non inventum demonstrare; quæ tria beneficia omnem æstimationem excedunt.

4 Et totum hoc ipse conatur, ut Scientiarum amatores relevet à maxima illas addiscendi difficultate ex inordinatione orta, ût supra demonstratum est in Grammatica, quæ juxta Artem ad ordinem naturalem reducta facillimè, & valde breviter ab omnibus addisceretur, & uunc, ût docet experientia, tanto tempore, & tanta molestiâ & difficultate acquiritur. Quantas igitur gratias dabunt Deo, & Beato Raymundo veri & boni amatores Lullianæ methodi ordinem videntes, quo faciliter possint perfectam acquirere omnium Scientiarum notitiam? Quod assertum, licèt videatur nimium, jam est ex parte demonstratum supra, & factum ex parte credibile quærentibns humiliter scientiam & veritatem; tametsi oculis lividis insidiosè respi-

cientibus, in pœnam vanitatis, aliter videri contingat.

5 Unde, ſi R. P. Rapinus rapinam arbitratus eſſet, ſe Doctori cœlitùs Illuminato conſtituere æqualem, imò & ſuperiorem Judicem ſuper ea, quæ adhuc non apprehenderat, ſed laborem ſumpſiſſet librum de *Aſcenſu & deſcenſu intellectûs*, & quemlibet alium legendi Tractatum, non præſumptione carpendi, ſed humili deſiderio addiſcendi; abſque dubio vidiſſet nil poſſe ordinatius eſſe naturaliter, & artificialiter, quàm aſcendere de individuis ad ſpecies, & de ſpeciebus ad genera; & è converſo, quàm de quolibet genere ad ſuas ſpecies, & de qualibet ſpecie ad ſua individua deſcendere, ſi prædicamenti indolem conſiderabat. Et ſic non magis judicio, quàm hæreticus Baco defeciſſet; nam iſte in Lullianæ Artis methodo Philoſophorum lapidem quærebat, qui eſt à pluribus inviſus, & à pauciſſimis viſus, licèt, quidquid dicatur de illo, omnibus chariſſimus eſſet; at Lullianæ methodi *ordo* in omnibus Libris videtur, ubique eſt obvius & relucet.

6 Hanc rationem confirmat Authoritas Inſignis Lulliſtæ Petri Baudovini Domini de Montarſis, qui in ſuo libro de *Fundamentis Scientiæ generalis & univ.* Pariſiis in lingua Gallica impreſ. anno 1651. 1. part. f. 15. verbis fideliter translatis ait: „ „ Faciam etiam videre mo- „ dum inveniendi primas Ma- „ ximas Artium & Scientia- „ rum; per quem *ordinem* „ poſſunt ſtabiliri illarum pri- „ ma fundamenta, & quomo- „ dò conveniat deſcendere de „ generali vel univerſali, & „ tranſire per ſpeciem ad fa- „ ciendam applicationem ip- „ ſi individuo: iterumque aſ- „ cendere de individuo, tran- „ ſire per ſpeciem uſque ad „ genus univerſale: & per „ quam viam poſsint *extrahi* „ *ab uno ſolo & unico prin-* „ *cipio omnes Artes & Scientiæ*, „ ac referre ſeu reducere to- „ tum ad dictum principium, „ ſequendo *ordinem* rerum „ naturalium. Hæc Baudovi- „ nus.

7 Super quæ verba ſapientiſsimus Salzinger ait: „ „ Hanc Divinam methodum „ Baudovinus non aliunde „ hauſit quàm à Divo ſuo „ Magiſtro, quamvis inte- „ gram aſſecutus non ſit, cùm non

„ non habuerit ſufficientia „ Documenta Lulliana, ût patebit conferentibus Opera „ Doctoris Illuminati, quæ „ nunc typis mandamus, cum „ hoc tractatu Baudovini: hoc „ tamen in commendationem „ hujus præclari Diſcipuli non „ reticere me convenit, videlicèt in omnibus Commentariis omnium Reformatorum Lulli tam ſolidum fundamentum non reperiri, quo „pedē figere potuiſſent ad movendam hanc terram Lullianam, de qua verificandum „ ſperamus illud S. Scripturæ: „ *Terra autem in æternum ſtat.*

8 In dicta Authoritate maximè eſt advertenda *ordinata extractio Artium & Scientiarum ab unico principio, & reductio ordinata ipſarum ad illud, ſequendo ordinem rerum realem.* Nam Bonitas realis univerſalis & naturalis ordinatim per omnes ſpeciales Bonitates generativè uſque ad infimam Bonitatem individualem deſcendit, & è converſo reſolutivè reducitur ordinatim per eoſdem gradus ad ſuam altitudinem univerſalem, unde deſcenderat. Hoc à quocumque vero Philoſopho cognoſcitur incipiendo à natura univerſali uſqae ad ultimata particularia, & è converſo, nam in his tribus gradibus practica ſita eſt; ſed à Lulliſtâ cognoſcitur à principiis incipiendo univerſaliſsimis, ex quibus per multa media ſingulorum naturâ principiorum inſeparabiliter aliis inexiſtente, uſque ad infima particularia ipſa Bonitas deſcendit. Sic in refluxu etiam eſt. Similiter igitur eſt in Arte & Scientia Univerſali naturalis Ordinis imitatrice, & in ſuis principiis univerſalibus, ex qua, & ex quibus ordinatiſsmè deſcenditur per omnia media ordinata ad omnes Artes, & Scientias particulares, & ad earum infima & individualia principia, & talis aſcenſus, & deſcenſus eſt infallibilis; ſed impoſsibilis illi, qui Naturæ ordinem non cognoſcit, & valde difficilis illi, qui omnes Naturæ gradus & Artis ritè & perfectè non abſolverit; nam in hoc ordine ſuprema Lullianæ Artis & Scientiæ Perfectio ſuperędificata conſiſtit.

9 At fortè aliquis Artis facilitatem ſupra recommendatam conſiderans, de contradictione me arguere conabitur illud Poetæ objiciens: *Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem.*

Hąnc

Hanc objectionem utili ſolutione amovet ſapientiſsimus Magiſter meus Salzinger dicens: „ Scholam Lullianam „ quadam ratione Cœlo com„ parari poſſe, nam ſicut In„ colæ Domûs illius cœleſtis „ omnes felices ſunt, quam„ vis in illa domo ſint multæ „ manſiones dignitate utique „ & gradibus differentes, ſic „ in hac Domo Sapientiæ „ multæ ſunt Cathedræ, una „ illuſtrior alterâ: ſi tibi pla„ cet in hac Schola cum B. „ Magdalena ſupremam Veri„ tatem contemplari tantùm, „ optimam partem elegiſti; ſi „ cum B. Martha vis agere „ veritatem, bonam aſſump„ ſiſti: quid ſi utramque? jam „ dixi alibi, majorem eſſe per„ fectionem in poſſe, ſcire & „ velle, quàm in ſcire tantùm, „ & major perfectio non ac„ quiritur niſi majori difficul„ tate: qui poteſt capere ca„ piat. Sic Ivo.

10 Unde, ſi P. Renatus aliquid de ordine naturali ſciviſſet, & exactiſsimam Artis Lullianæ cum illo conformitatem vidiſſet, de inſufficientis notitiæ tenebris fuiſſet renatus ad admirabile lumen Scientiæ talis methodi, viam ad omnem Artem & Scientiam illuminantis; at, quia ſinè tali luce irruit contra illud, quod ſibi erat inviſum, ût ſuis verbis manifeſtat; ideo ceſpitavit, & in judicio magis quàm hæreticus Baco defecit. Hæc pro primo puncto ſufficiant, quia tota 2. Pars ſolutio illius erit.

PUNCTUM II.

11 AD SECUNDUM, ſcilicèt, quòd *Lullianæ Artis methodus nil Soliditatis habet* ſecundùm judicium & magnam P. Renati Authoritatem; tametsi in præcedentibus ſit ſufficienter reſponſum; nihilominus dicitur hìc, tale aſſertum non poſſe rationabiliter ex aliquali veritatis Scientiâ procedere. Quia illud eſt ſolidum, quod in ſolidis principiis fundamentalibus fundatum eſt; & illud eſt ſolidius, quod in ſolidioribus fundatur; & conſequenter illud eſt ſolidiſsimum, quod in ſolidiſsimis principiis ſtabilitur, quod, ſi aliquis negare non vereretur, qualiter ſit reputandus bonæ rationis homo non videtur. Nunc ex rei ipſius evidentia ſubſumitur; ſed Lullianæ Artis Methodus ſoli-

diſsimis fundatur in Principiis, quæ ſunt ipſa Dei Attributa in Figura A. contentis, ſcilicèt Bonitas Magnitudo Æternitas &c., & in Figura T., ſcilicèt Differentia Concordantia Æqualitas &c., unde ordinatiſsimè ſuas deducit Concluſiones: ergo talis Methodus ſecundùm bonam rationem ſolidiſsima eſt. Nam Lulliſtæ cum Lullianæ Artis Methodo ſic diſcurrere ſolent: ſumma Bonitas vel ſummum Bonum eſt ſummè amabile; ſed Deus eſt ſummum Bonum: ergo Deus eſt ſummè amabilis; & hujuſmodi Demonſtratio vocatur in Schola Lulliana Demonſtratio per *Æquiparantiam*, quia in illa omnes termini ſunt æquales ſinè aliqua prioritate & poſterioritate adinvicem, & ideo ſunt æqualiter convertibiles, cùm omninò realiter ſint idem; vocatur etiam ſyllogiſmus *ſuperlativi gradûs*, quia eſt de ſumma *Neceſsitate*, unde omnis alia Neceſsitas, ût medium demonſtrationis dependet. Et ſic deſcendunt: quia Summum Bonum eſt ſummè amabile, majus Bonum eſt magìs amabile, ſed Angelus eſt majus Bonum: ergo Angelus eſt magìs amabilis. Quia ſummum Bonum eſt ſummè amabile, & ex hoc ſequitur, quòd majus Bonum ſit magìs amabile, inde etiam ſequitur, quòd magnum Bonum ſit magnè amabile; ſed homo eſt magnum Bonum: ergo homo eſt magnè amabilis; & è converſo ſit aſcenſus, & ſicut datum eſt exemplum in Bonitate, quæ eſt primum Figuræ A. in Lulliana Arte Principium, ſic æqualiter poteſt in omnibus aliis Principiis exhiberi. Hæc igitur eſt Lullianæ Artis Methodus, ût in ipſa Arte & in omnibns B. Raymundi libris ſecundùm eam factis luce clariùs pateſcit. Videant ergo bonæ homines rationis, quid ſolidius, & quid ordinatius ad certam Scientiam de Deo, & creatura adquirendam diſcurri poteſt? Unde, ſi noſter Antilullifta in P. Renati methodo majorem & meliorem ordinem & ſoliditatem oſtendat, Lullianæ Arti mori ſum contentus, ut ordinatiùs & Solidiùs in P. Renati methodo renaſcar. Quod, ſi factu ſit impoſsibile, ût omnes intelligentes vident; infertur, P. Renatum vel nil de Principiis Lullianæ Artis, & de methodo procedendi ex ipſis ad principiata legiſſe, vel ſuum judicium omnino contra-

trarium ſuæ bonæ rationis dictamini protuliſſe. In quo non obſcurè poteſt noſter Antilulliſta videre, quàm ſolidè pedem ſuum in columna ſuper arenam dicteriorum elatâ præfixerit.

12 Videantur Authores Lulliani ſupracitati, & eorum ſolida Opera ſupra firmam Lullianæ Artis petram fundata, contra quam omnia adverſariorum tela hucuſque non potuerunt prævalere; quod ſuæ realis ſoliditatis ſignum ſe experimentale oſtendit. Ut autem iſte paſſus ſine ſpeciali Authoritate non tranſeat, veritatis amatoribus placeat audire judicium Viri Religioſis virtutibus & doctrina celeberrimi adm. R. P. Joſephi Acevedo Lect. Jub. S. Jacobi Provinciæ olim Provincialis, de quo Diſcipulus ejus adm. R. P. Mag. Joannes Valcarze ſequens perhibet teſtimonium.

13 „ Iſte Inſignis Religioſus, cujus Anima in Dei benedictione ſit, tum ob excellentem ingenii ſubtilitatem, tum ob profunditatem & copiam ſuæ Doctrinæ, ût etiam apud modernos notum eſt, fuit ſingulariter de litteris benemeritus, nam ipſe extitit primus graduum & Cathedrarum Sub. Marianique Doctoris in celeberrima Salmantina Univerſitate promotor; ab ipſo quinetiam litteras patentes obtinui cum facultate recipiendi Sac. Theologiæ gradum in dicta Univerſitate; & cùm eſſet meus Prælatus Provincialis præcepit mihi, ut legerem diligenter in tribus Tomis magni Operis Lulliani; quod, ut avidiùs aggrederer, aſſeveravit, ſe idem indubitanter facturum, niſi ſenectute, & aliis obſtaculis præpediretur, dans rationem ſui motivi, quia ſcilicèt legerat inter alia explicationem Figuræ T., & tantì faciebat, quod ex ea potuit percipere & judicare, ut non daret illius intelligentiam pro duplici Religioris jubilatione. Inter alia etiam Lullianæ Doctrinæ elogia, præſertim circa concordiam Præſcientiæ cum libero arbitrio creato, dicere ſolebat, Lullianam Methodum ſoliditate excedere alias. Quæ omnia, quia ita ſunt, ſub fide Sacerdotali atteſtor, & propria manu ſubſcribo in hoc Gen. Collegio Salman. die 12. Julii anni 1743. Mag. Fr. Joannes Valcarze antiquior Veſ-

Veſpertinę Cathedræ Moderator.

14 Ita de Artis & Methodi Lullianæ ſoliditate ſentiunt, qui oculis ſimplicibus ipſam perluſtrare dignantur : unde iterùm veritatis amatores exoro, ut vanis & incertis rumoribus minimè fidant ; ſed juxta rectum S. Joannis Chryſoſtomi conſilium rem ipſam recta intentione examinent, & trutinent, quia Deus rectam illuminat intentionem, ut veritas deſiderata & debitè quæſita videatur. Quod, ſi non poſsint, practicos & expertos conſulant juxta S. Petri de Alcantara conſilium, qui S. Tereſiam admonebat, nè litteratos de Evangelicæ paupertatis ſequela conſuleret, ut videtur in Epiſt. contentâ in Hiſt. ipſius S. Petri f. 221. ubi ait : *Valde miror, ipſam ponere in literatorum dictamine, quod non eſt facultatis ipſorum; nam ſi hoc eſſet negotium litigiorum, vel caſuum Conſcientiæ, bonum eſſet accipere dictamen à Juriſperitis, & Theologis ; at in perfectione vitæ non eſt agendum, nisi cum illis, qui perfectam vitam exercent.* (& poſt alia) *Divina Majeſtas det ipſi lucem... ut in veritatibus tam manifeſtis non accipiat dictamen, nisi à ſectatoribus conſiliorum Chriſti.* Hæc S. Petrus, cujus Epiſtola tamquàm pretioſa reliquia in Cuſtodia Conventûs Monial. S. Joſephi de Avila aſſervatur.

15 Hoc idem docet univerſaliter B. Raymundus in Lib. Proverb. dicens : *Fili antequam aliquem conſulas, reſpice manus illius.* Et ratio clariſsima eſt, quia non peritus in aliqua facultate vel Arte, non poteſt ſufficienter de illis judicare ; & aliquem ſpernentes Scholiarcham, triplici ex capite hoc facere ſolent. Primò, quia ipſum numquàm legerunt, & communis inimici ſuggeſtionibus vel aliis ſimiliter deceptis facilè credunt ; & ſic non valent judicium formare certum in veritate fundatum. 2., quia ſi legerunt, & non potuerunt capere, ſuam erubeſcunt incapacitatem fateri, & defectum, qui eſt in ſua potentiâ, objecto attribuere malunt, in quo defectus reverâ non eſt ; & , ſi ad hoc accedat notitia, quòd alii ceperint, quod ipſi non potuerunt, invidia eos capit, ita ut per omnem viam innocentes ſpernant & perſequantur, ſibi præponendos eſſe timentes. Tertiò, quia, ſi aliquis legit

& ſuos intelligit defectus, de quibus exui non ſibi placet, librum & Authorem ſpernit, unde ipſi venit correptio, quam ſuſtinere non valet, ut quieſcat in periculo, ſperans per ignorantiam excuſari. Inde, inquam, ſolent contra Artem Divinitùs datam pro totius mundi remedio & ſalute, & contra B. Martyrem & Doctorem cœlitùs Illuminatum, dicteria emanare. E contra verò in B. Raymundi, & verorum ipſius Diſcipulorum Scriptis aliquod contra aliquem Scholiarcham Catholicum non invenitur dicterium; ſed de omnibus, imò & de antiquis ſapientibus cum magna veneratione loquuntur, &, ſi aliquando aliqua intellectûs contrarietas interveniat, quia ad impugnandum ratio ipſis ſupereſt, non eſt neceſſe ad dicteriorum arma recurrere. Qua in experientia magna Lullianæ Artis Dignitas & recommendatio non modicè eluceſcit.

PUNCTUM III.

16 AD TERTIUM ſcilicèt, quòd *Lullianæ Artis Methodus non poteſt homines reddere ſapientes*; reſpondetur, hujus dicterii falſitatem ſatis eſſe demonſtratam & confutatam in proceſſu hujus libri ab initio uſque ad præſens, præſertim in Illuſtrium Diſcipulorum Il. Doctoris Authoritatibus. Nihilominùs ex plurimis, quæ ad hoc ſpecialiùs demonſtrandum adduci poſſunt, aliquid non prætermittam; & primò dicitur, P. Renatum, ût ejus verba ſonant, hìc ex propria loqui experientia; quia ipſe videlicèt, per hanc Lullianæ Artis methodum ſapiens fieri nequivit, quod abſque dubio creditur; ideoque, idem infortunium omnibus aliis accidiſſe judicavit; quasì ſic argueret: ego per Lullianam methodum ſapiens fieri nequivi: ergo impoſsibile eſt, alios hoc ita poſſe; ſicut experti pluſquàm milliès audierint aliquos aliquid capere non valentes, ſtatim diſcere: impoſsibile hoc eſt, indicantes juxta ſuam opinionem, ſe omnia poſsibilia capere, & ſolùm eſſe, quod ipſi non capiunt, impoſsibile, & è converſo: unde, ſi P. Renatus bona fide credidiſſet, quod falſum & impoſsibile eſt opinatus, jam factus eſſet intelligendi capax ſecundùm dictum

tum Iſaiæ: *Nisi credideritis non intelligetis*, &, ſi humiliter, qua ex parte erat impedimentum tentaſſet, invenire potuiſſet, methodi ex parte non eſſe, ſed ex parte recipientis; &, ut ſuum ſtabiliret aſſertum, debebat priùs ſcire, & demonſtrare, omnes aſſerentes, per Lullianam methodum plures factos eſſe ſapientes, eſſe mendaces; quod per rationem demonſtrare eſt valde difficile, nè impoſsibile dicam, & facillimum eſt illud ſine ratione affirmare.

17 Quare, cùm nemo ſit præſumendus mendax, niſi probetur, & omnium & ſingulorum Librorum B. Raymundi, & ipſius Illuſtrium Diſcipulorum intelligentia demõſtratam exhibeat aſſertionem judicio P. Renati contradictoriam; credibile erit illis, qui de Artis methodo nil ſciunt, & demonſtratum omnibus, qui illam norunt; dictam Artem aliquos reddidiſſe ſapientes, imò quot quot ipſius methodum debitè ſunt amplexati reddidiſſe ſapientiſsimos, ût patet actualiter exdictis libris: ergo potentiam negans ita manifeſtæ actualitatis, judicio magis quam hæreticus Baco defecit; quia hic potentiam negat ad actualitatem lapidis Philoſophalis non viſam; ille verò potentiam negat in methodo Lullianæ Artis ad actualitatem ſapientiæ clarè & exercitè in dictis libris reviſam. Jam expertorum in hac methodo Lullianæ Artis & Scientiæ judicium videamus.

18 Inſignis Vir Philippus Wolff Presbyter S. Theol. Doctor Conſiliarius Eccleſiaſtic. Archi-Epiſcopi Elect. Moguntini, & Sigillifer, Semin. Elect. Regens, & Cenſor lib. ordinarius in Cenſura 3. T. præfixâ sic ait: „ Hic tomus tertius verus ac genuinus partus Tertiæ in Trinitate Perſonę Spiritûs S., ſuper qua „ velut inexpugnabili petrâ „ totum hoc opus Divinum „ contra portas inferi firmiſsimè fundatum eſt: quem „ infinitâ quasì fęcunditate „ conceptum... dilectæ ſponſæ Chriſti Eccleſiæ ex maxima Dei Bonitate liberaliter ſuî diffuſivâ communicavit B. Raymundus Lullus... *Vir conſumatæ Sapientiæ & Sanctitatis*, ſecundùm „ quòd mundo adverſùs omnes calumniatores ejus, teſtatur Leo X. Chriſti in terris Vicarius tempore Caroli „ V. in commemoratione PP.

„ Franciſcanis in Officio Canonico de eo fieri conceſsâ. „Et infra de Doctrina hac: cùm „ ſit altiſsima Sapientia à Spiritu Chriſti inſpirata, à ſapientibus ſæculi terreni abſcondita, parvulis autem revelata, ab antiquis ſapientibus, SS. Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus, in quibus „ conſervatur ſumma Authoritas eodem Spiritu & inſtinctu cognita, & nobis poſteris in Libris eorum ex parte „ tradita, in ipſa S. Scriptura „ plurimis in locis apertè inſinuata & fundata; imò cùm „ tota Lex perfectiſsima Evangelica & omnes ejus Libri Canonici ex his Divinis Principiis (utpote ipſis Attributis „ Dei) primitùs profluxerint, „ & in iiſdem radicentur & „ conſerventur, ût ad oculum „ patebit volenti bona intentione & ſimplici amore veritatis experiri, & quem non „ pigebit Libros B. Lulli cum „ Libro Dei conferre,

19 „ Propterea firmiſsimè „cenſeo ex prævie conglobatis „ Rationibus graviſsimis omni „ſana ratione & Fide utenti ſuperabundāter ſatisfacturis, *ex „proprio & alieno experimento*, „ ex Authoritate maximi mo„menti, ex Cauſis in Cenſuris 1. „& 2. Tomi adductis, hanc Lullianam, & nullam aliam iſti „ contrariam, eſſe veram in „mundo Scientiam & Artem & „ Methodum Univerſalem, incredulis ignorantibus, & ſapientibus ex primitivis fontibus & locis generalibus... „ funditùs demōſtrandi & eviſcerandi omnem veritatem „ naturalē æquè ac ſupernaturalem, atque hanc ipſiſsimam „ ab antiquis ſapientibus, verę „ & ſanæ Philoſophiæ, Theologiæ, & Juris utriuſque Patribus & præcipuè SS. Eccleſiæ Doctoribus in compilandis Voluminibus ſuis reipſa „ eſſe ex parte obſervatam, „ quamvis à nullo quàm à B. „ Raymundo Lullo hunc in finem & ad hoc tam grande „ Opus complendum ſpeciali „ lumine cœlitùs illuſtrato „ tam clarè, tam profundè in „ forma tam artificioſa, & „ ſupra quàm ab expertis dici „ & ab inexpertis credi poſsit, „omnibus ſæculis ſtupendâ demonſtratam: unde ad majorē „Dei gloriam, Eccleſiæ Catholicæ & totius mundi utilitatem ac Emolumentum abundantius judicium in veritate „ feram, hanc Artem & Scientiam Lullianam... Summè neceſſariam & omni acceptione digniſsimam eſſe judico.

En

20 En judicium Lulliana in Arte experti ex proprio, & alieno experimento prolatum. Et in 4. Tomi Cenſura ait: „ „ Mentis meæ ſenſa candidè „ aperio: nempe nihil melius, „ utilius, jucundius, honeſtius „ & ſalubrius eſt hominibus „ cunctis diebus vitæ ſuæ, quã „ diſcere, docere, ſcire ac tene„re numeris omnibus abſolu„tam Methodum & Artem in„fallibiliter inveſtigandi, inve„niendi, ac modis omnibus de„monſtrandi multiplicem ve„ritatem naturalem ac ſuper„naturalem Fidei Divinæ & „ Scientiarum, & perfectâ Arte „ memorativâ confortare me„moriam, Inventivâ Intellec„tivâ, & Demonſtrativâ illu„minare intellectum, & Ama„tivâ Veri Boni informare vo„luntatem, ut totus homo Dei „ perfectus ſit in omnigenâ „ cognitione certæ veritatis, & „ Amore veræ Bonitatis. At„que hæc omnia pariter Bo„na, præter alia inſignia & „ ſtupenda, ex ſingulari gratia „ vocationis præſtitit in uni„verſaliſsimo Opere Divinæ „ Sapientiæ B. Raymundus „ Lullus. Hæc Sapientiſs. Wolff.

21 In qua Authoritate eſt maximè advertenda ſententia dicens: *Hanc Lullianam & nullam aliam iſti contrariam, eſſe veram in mundo Scientiam*, &c. Quam ſententiam dictus Cenſor ſapientiſsimè protulit; nam ita veriſsimè eſt: unde minùs ſapienter inferretur: ergo ſcientia Doctor. Angelici, Subtilis & aliorum vera non eſt. Minùs, inquam, ſapienter, imò & abſurdè talis conſequentia inferretur; quia in mundo non eſt, niſi unica omnis veritatis Scientia, quæ juxta genus ſuum eſt ipſiſsima meorum Angelici, Subtilis, Illuminatique Præceptorum, & omnium aliorum Doctorum à Deo illuminatorũ, qui in ſcientia & veritate non poſſunt verè & realiter contrariari: unde diſsidium inter eorum Diſcipulos eſſe ſolitum, nullatenùs oritur ex reali Contrarietate Scientię & Veritatis, quia nec ſcientia ſcientiæ, nec veritas opponitur veritati; ſed provenit ex Contrarietate apparenti, & ex diverſis conceptibus & modis intelligendi Diſcipulorum, quia unus ſic, & alius ſic, & unus plùs, & alius minùs intelligit. Sed Ars & Scientia Lulliana eſt medium aptiſsimum ad conſiliãdos dictos oppoſitos conceptus & modos, propter multas rationes, quas eſſet lòngum enarrare, & quibus cognitis, quilibet poteſt

ſuum

ſuum Doctorem clarè & infallibiliter intelligere ; & nè videatur hoc liberè dictum , aliquas ex ipſis rationibus aſsignabo ; & ſit prima , quia ipſa Ars mirabiles dat Regulas ad veras contradictiones ab apparentibus diſcernendas; ſecunda , quia propter ſuam artificialitatem non eſt tergiverſationi ſubjecta ; tertia , quia eſt univerſaliſsima , & ad hoc à Deo data , ut per infallibilem Divinorum Attributorum Veritatem , quæ ſunt ejuſdem Artis prima Principia , menſurentur omnes aliæ veritates & examinentur , donec de illis clara & certa Scientia habeatur. Quod experientes ingenui veritatis & ſpecialium ſcientiarum amatores, non poterunt ſatìs mirari & laudare Deum tanti doni largitorem ; & videbunt , quàm infeliciter conati fuerint inimici Divinam Methodum & Artem, & plures forſan cum bona intentione , vilipendere & denigrare.

22 Confirmatur hoc judicium alio longè majoris ponderis judicio incomparabilis Doctoris Ivonis Salzinger pluriès , ſed non ſatìs laudati , qui in Præfatione Tomi 2. ſic ait: „ Finis , ad quem collimo „ in ſequenti Diſcurſu , eſt, ut „ tibi demonſtrem per ipſam „ praxim Divi mei Magiſtri , „ dari veram & genuinam Me„ thodum demonſtrandi , quæ „ ſit altior , certior , & infal„ libilior omnibus aliis hucuſ„ que notis & poſsibilibus , „ quæque ſit Regula & Nor„ ma demonſtrandi omnibus „ aliis inferioribus , ita ut ſinè „ hac omnes aliæ inferiores „ ſint imperfectæ , & hac ſolâ „ ultimum gradum perfectio„ nis in hac mortali vita poſ„ ſibilem adipiſcantur : ad „ quod rectè peragendum ttia „ erunt neceſſaria , quorum

23 „ *Primum* eſt , quòd , „ poſtquam in 1.Tomo de *Re„ velatione Secretorum Artis* „ ſufficienter per neceſſarias „ Rationes demonſtravi , dari „ Artem & Scientiam verè & „ propriè demonſtrativam de „ omni Objecto intelligibili , „ in quo intellectus noſter at„ tingere poteſt rationem vel „ Formam *Neceſsitatis* , nunc „ per Authoritates hoc ipſum „ probem , cùm hìc mihi ſer„ mo ſit ad Chriſtianos & Ca„ tholicos, qui fidem tribuunt „ SS. Litteris , & Ss. Patrum „ innituntur Authoritati. *Se„ cundum*, quòd SS. Patres ha„ buerint eadem Principia demonſ-

„ monſtrandi, quæ habuit Illu-
„ minatus Doctor. *Tertium*,
„ quòd habuerint eumdem mo-
„ dum operandi: quæ tria in-
„ volvunt tria ſequentia, quo-
„ rum

24 „ *Primum* eſt, quòd
„ ſupremæ Demonſtrationes
„ non poſsint fieri nisì de
„ ſupremis Principiis; & licèt
„ ſuprema iſta Principia rea-
„ lia, quæ ſunt ipſæ Dignita-
„ tes Dei, ſint ſupra intellec-
„ tum humanum, hoc non
„ obſtante, dictus intellectus
„ per illorum influxum tali-
„ ter habilitetur, ut cum illis
„ habeat ſufficientes vires ad
„ faciendas dictas demonſtra-
„ tiones. *Secundum* eſt, quòd
„ modus, per quem pervені-
„ tur ad hunc ſupremum Gra-
„ dum demonſtrandi, non ſit
„ alius, nisì aſcenſus de infi-
„ mo gradu per medium ad
„ ſummum, & quam vim ha-
„ beat hæc Ars in quolibet
„ gradu. *Tertium* eſt, quòd ſu-
„ premus Gradus in deſcenſu
„ perficiat omnes gradus infe-
„ riores demonſtrationum, ſed
„ non è converſo: *vide Prolog. Artis Mixtivæ Phil. & Theol.*:
„ unde ſequitur, quòd id, quod
„ uni eſt demonſtratum, alte-
„ ri, qui eſt in inferiori gradu
„ poſsit videri tantùm proba-
„ bile vel dubium vel omnino
„ falſum. Hæc Salzinger. Poſ-
teà proponit terribilem utriuſ-
que oppoſitæ ſententiæ con-
troverſiam de poſsibilitate &
impoſsibilitate demonſtran-
di noſtræ S. Fidei Catholicæ
Myſteria, quam poſsibilitatem,
imò & actualitatem, & alia
prædicta præclariſsimè de-
monſtrat per SS. Doctorum An-
ſelmi, & Auguſtini aureos &
Divinos libros, ex quibus non-
nulla adducere cogor in gra-
tiam carentium magno Opere
Lulliano, Lectorem ad Tomum
2. remittens.

25 Primò igitur B. Ray-
mundus citat pro ſua ſenten-
tia S. Anſelmum, & Richar-
dum à S. Victore in Lib. Mi-
randarum Demonſ. T. 2., &
in Lib. de *Convenientia* Fidei
& Intellectûs in objecto citat
S. Petrum in Epiſt. 1. c. 3. di-
centem: *Eſtote parati ad ſatisfactionem ſemper omni poſcenti vos dare Rationem de ea, quæ in vobis eſt, Fide & Spe.*
Sic habetur textus iſte in an-
tiquioribus Bibliorum editio-
nibus (ût in 2. T. citantur
tres.) Simille quid habet in-
terpretatio Siriaca dicens:
Omni poſcenti vos rationem de Spe Fidei. Citat ibidem S.
Auguſtinum, & S. Thomam
de

de Aq., ût ſupra in *Sententia Diffinitiva*. Et in Apoſtrophe de Articulis Fidei in Introduc. ait. „ Nos Magiſter Raymundus Lull. hanc Schedulam „ legamus Religioſis & Sæcularibus Sapientibus & diſcretis, ut videant ac diligentiſsimè perſcrutentur prędicta, ac etiam utrùm infraſcripta conſequentia de „ neceſsitate contineat veritatem, videlicet, quòd alii „ qui Magiſtri in Theologia „ aſſerunt, ſeu teſtantur, quod „ quæcumque objectio propoſita contra Fidem Catholicam Sacroſanctam poteſt ſolvi per neceſſarias Rationes, „ ſcilicèt intelligendo ipſarum „ rationum conſequentias; „ manifeſtè ſequitur ergo, „ quòd Sancta Fides Catholica poſsit juxta eorum teſtimonium probari per Rationes neceſſarias, & hoc per „ modum intelligendi, non „ tantùm per modum credendi: Si quis autem dixerit, „ hujuſmodi conſequentiam, „ quam facimus non attingere veritatem, cogitur dicere, quòd prædicta Magiſtrorum ratio ſit inanis, &c. „ Et in Lib. de *Minori loco* ad Maj. ait: „ Cùm ſint aliqui, „ qui dicunt, quòd Fides Sancta Catholica non poteſt probari &c., diſponunt Infideles, quòd diffidunt & blaſphemant nomen Domini, „ Divinam Trinitatem & Incarnationem eſſe, qui ſunt „ Articuli majores, & hoc eſt „ peccatum. Et ita B. Raymundus S. Scripturæ & aliorum Doctorum Sententiâ fultus, & luce ſuperna illuminatus aſſerit, quòd Fide ſuppoſitâ, omnes illius Articuli poſſunt per neceſſarias Rationes demonſtrari, & ſic clariſsimè illos ſuis in Libris demonſtrat.

26 Secundò adducitur pro dicta aſſertione D. Anſelmus, qui cap. 62. Monol. agens de modo, quo poteſt, & de modo, quo non poteſt demonſtrari Myſterium SS. Trinitatis ait: „ Sufficere namque debere exiſtimo rem incomprehenſibilem indaganti, ſi ad „ hoc rationando pervenerit, „ ut eam certiſsimè eſſe cognoſcat, etiam ſi penetrare „ nequeat intellectu, quomodò ita ſit &c.: quapropter „ ſi ea, quæ de Summa Eſſentia hactenùs diſputata ſunt, „ *neceſſariis Rationibus* ſunt „ aſſerta, quamvìs ſic intellectu penetrari non poſsint, „ ut & verbis valeant explicari, nullatenùs tamen certitu-

„ tudinis eorum nutat ſolidi-
„ tas : nam ſi Superior conſi-
„ deratio rationabiliter com-
„ prehendit , incomprehenſi-
„ bile eſſe , quomodò eadem
„ Summa Sapientia ſciat ea ,
„ quæ fecit , de quibus tam
„ multa nos ſcire neceſſe eſt ,
„ quis explicet quomodò ſciat
„ aut dicat ſe ipſam ? de qua
„ aut nihil aut vix aliquid ab
„ homine ſciri poſsibile eſt :
„ ergo ſi in eo , quod ſe ipſam
„ dicit , generat Pater , & ge-
„ neratur Filius, generationem
„ ejus quis enarrabit ? Sed rur-
„ ſum ſi ita ſe ratio infallibili-
„ tatis illius habet , imò , quia
„ ſic eſt,quomodò ſtabit, quid-
„ quid de illa ſubſtantia ſecun-
„ dùm Patris & Filii & Proce-
„ dentis habitudinem diſputa-
„ tum eſt , nam ſi verâ illud
„ ratione explicitum eſt , qua-
„ liter eſt illa ineffabilis ? aut ſi
„ illa ineffabilis eſt , quomodò
„ eſt ita , ſicut diſputatum eſt,
„ aut quadantenus de illa po-
„ tuit explicari ? & ideo nihil
„ prohibet , eſſe verum, quod
„ diſputatum eſt; ſed quia non
„ potuit penitus comprehen-
„ di , idcircò eſt ineffabilis.
„ Hæc D. Anſelmus.

27 In quibus verbis aſſerit, Summam Eſſentiam & Trinitatem *neceſſariis Rationibus* poſſe certè & infallibiliter aſſeri & intelligi, quod propriiſſimè eſt demonſtrare & demonſtrari ; ſed penitùs non poſſe comprehendi , & ideo non poteſt ſic demonſtrari ut comprehendatur ; ſed ſufficit , quòd certò & infallibiliter, & evidenter apprehendatur ; & ſic verum eſt , quod de illa dicitur diſputatur & demonſtratur , & cum toto hoc ſemper manet ineffabilis propter ſuam incomprehenſibilitatem , & quia lingua non valet tantum explicare, quantum intellectus de illa intelligit , nec hominis intellectus tantum cognoſcere, quantum res ipſa Divina in ſe eſt. Et ideo II.Doctor. numquam dicit , viatoris intellectum per Demonſtrationes Divina comprehendere Myſteria , ſed ſolùm apprehendere ; nam in rigore loquendo , nec Beati Deum comprehendere poſſunt , quia evidentiſsimum eſt, finitum non poſſe comprehendere Infinitum, & hoc non obſtante , Apoſtolus viſionem beatificam vocat comprehenſionem , & Beati comprehenſores vocantur , quia illa beata viſio reſpectu vialis cognitionis comprehenſio eſt.

28 Et cap. 1. Monol. Dei exiſtentiam probat per Princi-

pia Lulliana Figuræ A., ſcilicèt per *Bonitatem Magnitudinem*, &c. Sic: „ Quis autem „ dubitet, illud ipſum, per „ quod cuncta ſunt bona, eſſe „ magnum bonum &c.? at nul„ lum bonum, quod per aliud „ eſt, eſt æquale aut majus eo „ bono, quod per ſe eſt bo„ num; illud itaque eſt ſum„ mè bonum, quod ſolum eſt „ per ſe bonum, &c. ſed quod „ eſt ſummè bonum, eſt etiam „ ſummè magnum: eſt igitur „ unum aliquid ſummè mag„ num & ſummè bonum, id „ eſt, ſummum omnium, quæ „ ſunt. Et cap. 14. diſponens ad faciendam Demonſtrationem de Trinitate ait: „ Ipſum „ & non ipſum, non aliud hìc „ intelligo, quàm verum & „ non verum, &c.: melius qui„ dem eſt omninò aliquid, „ quàm non ipſum, ût ſapiens, „ quàm non ſapiens; id eſt, „ melius eſt ſapiens, quàm non „ ſapiens; quamvìs enim juſ„ tus non ſapiens melior vi„ deatur, quàm non juſtus „ ſapiens, non tamen melius „ ſimpliciter eſt non ſapiens, „ quàm ſapiens; omne enim „ non ſapiens ſimpliciter, in „ quantùm non ſapiens, eſt „ minus, quàm ſapiens, quia „ non ſapiens melius eſſet, ſi „ eſſet ſapiens, &c. Unde De„ monſtrationem exiſtentiæ „ Dei efformat inferendo ſic: „ Quare neceſſe eſt eſſe eam „ viventem, ſapientem, po„ tentem, &c. & quidquid ſim„ pliciter abſolutè melius, quã „ non ipſum; quid ergo quæ„ ratur amplius, quid ſumma „ illa ſit Natura, ſi manifeſtum „ eſt, quid omnium ſit, & „ quid non ſit?

29 Hic videtur D. Anſelmus ſibi codtradicere in eo, quod ſupra dixit de Divina ſapientia, ſcilicet: *De qua aut nihil aut vix aliquid ab homine ſciri poſsibile eſt.* Et nunc dicit: *Manifeſtum eſt, quid omnium ſit, & quid non ſit* Divina Exiſtentia & Natura & Sapientia, quæ omninò idem realiter ſunt. Sed in his non eſt ulla contradictio realis, quia id, quod intellectus noſter intelligit de Deo vix aliquid eſt reſpectu infinitæ realitatis ipſius Dei; at reſpectu creatorum, eſt plus, quia humanus intellectus plus cognoſcere poteſt de Deo, quàm de omnibus creaturis; ſed vix poteſt hoc per terminos proprios exprimere, ût dicit idem D. Anſelmus in eodem cap. 62. Monol. ſic: „ Quia ſic eſt ſumma „ Eſſentia ſupra & extra omnem

„ nem aliam naturam, ut, ſi „ quando de illa dicitur ali- „ quid verbis, quæ commu- „ nia ſunt aliis naturis, ſenſus „ nullatenùs ſit communis... „ Sic quippe unam eamdem- „ que rem dicimus & non di- „ cimus, videmus & non vi- „ demus: dicimus & videmus „ per aliud, non dicimus & „ non videmus per ſuam pro- „ prietatem.

30 In hoc etiam omninò convenit B. Raymundus cum D. Anſelmo; nam in Compendio Artis Demonſtrativæ T. 3. f. 77. ait: „ Et ideo cir- „ca imperfectionem verborum „ non eſt attendendum, ſed „ ad ea, quæ per ipſa verba „ intendimus ſignificare; ne- „ minem enim arbitramur de „ Deo propriè poſſe loqui, „ cùm imperfecti ſimus ad in- „ telligendum, & ſermones „ noſtri ad proferendum ea, „ quæ ſunt in Divinis. Hæc Il. „ Doctor. Et idem D. Anſel- „ mus cap. 63. ſic pergit: Hac „ itaque ratione nihil prohi- „ bet, & verum eſſe, quod „ diſputatum eſt hactenus de „ ſumma Natura, & ipſam ta- „ men nihilominùs ineffabilem „ perſiſtere, ſi nequaquam il- „ la putetur per Eſſentiæ ſuæ „ proprietatem expreſſa, ſed „ utcumque per aliud deſig- „ nata: nam quæcumque no- „ mina de illa Natura dici „ poſſe videntur, non tam mi- „ hi eam oſtendunt per pro- „ prietatem, quàm per aliquam „ mihi innuunt ſimilitudinem; „ etenim cùm earumdem vo- „ cum ſignificationes cogito, „ familiarjùs concipio mente, „ quod in rebus factis conſpi- „ cio, quàm id, quod om- „ nem humanum intellectum „ tranſcendere intelligo... nam „ nec nomen ſapientiæ mihi „ ſufficit oſtendere illud, per „ quod omnia facta ſunt de „ nihilo; nec nomen *eſſentiæ* „ mihi valet exprimere illud, „ quod per ſingularem altitu- „ dinem longè eſt ſupra om- „ nia: ſic ergo illa Natura & „ ineffabilis eſt, quia per ver- „ ba, ſicuti eſt, nullatenus va- „ let intimari, &c. Hæc D. Anſelmus, cujus verba, & ſi- militer Il. Doctoris ſunt valde notanda, ad reprimendam malevolorum invidiam, qui ſenſûs veritatem mordere non valentes, aliquando corticem litteræ aggrediuntur, ſicut canis baculum mordens, cùm non valet percutientis manum pertingere; nam Sancti Patres, imò & Sacra Scriptura ſæpiùs utuntur terminis non propriis

ad exprimendum commodiùs aliqua de Deo, & metaphoris ad altiorem ſignificationem; ût Geneſîs cap. 6. de Deo dicitur: *Tactus dolore intrinſecùs*; ubi D. Ambroſius: *Ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas, &c.*

31 Ut autem verba & rationes D. Anſelmi ſupra adducta clariùs mediante Lulliana Arte intelligantur, eſt advertendum, in toto capite 6. 7. & 8. Mon. ipſum S. Doctorem ſuper duos univerſaliſsimos polos majores & minores quadranguli *Logicæ Llullianæ* girare; qui poli ſive anguli ſunt *Eſſe Privatio Perfectio Defectus*; quibus obſervatis, faciliter quæcumque oppoſita ſolvetur objectio; v. g.: Si *melius eſt ipſum, quàm non ipſum*; melior erit lapis, quàm non lapis; ſed animal non eſt ipſe lapis: ergo melior eſt lapis, quàm animal; & ſimiliter melius erit corpus, quàm Anima hominis, cùm hæc non ſit ipſum corpus: & in Divinis, melior erit Perſona Patris, quàm Filii, quia hæc non eſt ipſa Perſona Patris, & è converſo, quod totum eſt falſum & impoſsibile. Unde, præterquam quòd D. Anſelmus optimè ſe explicat; cùm dicto quadrangulo intergiverſabiliter omne dubium auferetur, nam *ipſum* eſt idem ac *Eſſe*, & *non ipſum* eſt *Privatio* ipſius eſſe; *ipſum* eſt *Perfectio*, & *non ipſum* eſt *Defectus* talis perfectionis: unde clarè videtur, melius eſſe ipſum, quàm non ipſum; quia melius eſt eſſe quodcumque ſit, quàm ipſius privario, & melior eſt perfectio, quæcumque ſit, quàm ipſius defectus; & ideo melior eſt ſapientia, quàm ignorantia, & ſapiens, quàm ignarus; melior eſt Bonitas, quàm malitia, & bonus, quàm malus, & ſic de cæteris poſitivis, quæ omnia ſub univerſali *Eſſe* & *Perfectione* continentur, & per ipſa regulantur ſicut particulare per ſuum Univerſale; & è converſo de privativis, quæ ſunt ſub Privatione univerſali & efectu, & per ipſa debent etiam regulari, tam in concreto, quàm in abſtracto.

32 Et poſtquam D. Anſelmus unum invenit argumentũ ad probandum omnia, quæ creduntur de Divina Subſtantia ſufficiens, in fine Proſol. cap. 4. ſic concludit: „Gratias tibi bo„ne Domine, gratias tibi, quia, „quod prius credidi te donante,

„ te, jam ſic intelligo, te illu-
„ minante, ut, ſi te eſſe nolim
„ credere, non poſsim non in-
„ telligere.

33 Tertiò adducitur magna S. Auguſtini Authoritas, qui in 15. Libris de S. Trinitate ab infimo rerum ſenſualium & corporalium gradu incipiens, gradum non præterit, in quo Trinitatis non monſtret veſtigium; nam cap. 20. Lib. 13. imaginem ſecundam Fidei in interiori homine formatam deſcribens ait: „ Hìc autem „ ad diſtinguendam activam „ ſcientiam à contemplativa „ ſapientia, placuit quippe „ velut gradatìm aſcendenti- „ bus in utraque requirere „ apud interiorem hominem „ quamdam ſui cujuſque ge- „ neris Trinitatem, ſicut priùs „ apud exteriorem quęſivimus. „ Et in fine capitis ait: „ Ex „ hac Fide & tali vita quæ- „ cumque notiones ſunt in „ animo fidelis hominis, cùm „ memoriâ continentur & re- „ cordatione (intellectu) inſ- „ piciuntur, & voluntati pla- „ cent, reddunt quamdam ſui „ generis Trinitatem: ſed imago „ Dei &c. nondum in ipſa eſt.

34 De qua, priuſquam dicatur, ſunt aliqua prænotanda, & primò, quòd ipſe S. Doctor Lib. 1. de Trinit. ait: „ Ut „ ergo ab hujuſmodi falſitati- „ bus humanus animus purga- „ retur, S. Scriptura parvulis „ congruens nullius generis „ rerum verba vitavit, ex qui- „ bus quasì *gradatim* ad Divi- „ na atque ſublimia noſter in- „ tellectus velut nutritus aſ- „ ſurgeret: nam & verbis ex „ rebus corporalibus ſumptis „ uſa eſt, cùm de Deo loquere- „ tur &c., & de ſpirituali crea- „ tura multa tranſtulit, qui- „ bus ſignificaret illud, quod „ ita non eſſet; ſed ita dici „ opus eſſet &c. (Nota bene qualiter in hoc conveniat cum D. Anſelmo, & Illuminato Doctore.) Deinde inferiùs: „ „ Quapropter adjuvante Do „ mino Deo noſtro ſuſcipiemus „ & eam ipſam, quam flagi- „ tant, quantum poſſumus, „ *reddere rationem*, quòd Tri- „ nitas ſit unus Deus & ſolus & „ verus, & quàm rectè Pater „ & Filius & Spiritus S. unius „ ejuſdemque ſubſtantiæ vel „ eſſentiæ dicatur credatur in- „ telligatur.

35 Si quis autem objiciat, Il. Doctorem non convenire in ſtylo cum S. Auguſtino & aliis Doctoribus, D. Anſelmo excepto, etſi in veritate Doctrinæ omnes conveniant; audiatur Sol Eccleſiæ Lib. 1. cap. 1. de S. Trinit. ſe ipſum de hac ob-

jec-

jectione excuſans ſic: „ Utile „ eſt plures (Libros) à pluribus „ fieri diverſo ſtylo, non di„verſa Fide, etiam de quæſ„tionibus eiſdem, ut ad plu„rimos res ipſa perveniat, ad „ alios ſic, ad alios autem ſic. Etiam eſt advertendum eamdem ſortem obtigiſſe Libris Divi Auguſtini, ac Doctoris Illuminati ob ſublimitatem Doctrinę à ſuis lectoribus non ſatìs perceptam, ait enim S. Doctor cap. 3. 1. Lib. de Trinit.: „ Arbitror ſanè nonnul„los tardiores in quibuſdam „ locis Librorum meorum opi„naturos, me ſenſiſſe, quod „ non ſenſi; quorum errorem „ mihi tribui non debere, quis „ neſciat, ſi velut me ſequen„tes neque apprehendentes „ deviaverint in aliquam falſi„tatem, dum cogor per quæ„dam denſa & opaca viam „ carpere, quandoquidem nec „ ipſis Sanctis Divinorum Li„brorum Authoritatibus ullo „ modo quiſquam rectè tri„buerit multos & varios erro„res hæreticorum, cùm om„nes ex eiſdem Scripturis fal„ſas atque fallaces opiniones „ ſuas conentur defendere.

36 Qua propter Lib. 3. c. 1. ſic admonet: „ Planè cùm „in omnibus Litteris meis non „ ſolùm pium Lectorem, ſed „ etiam liberum correctorem „ deſiderem, multò maximè „ in his, ubi ipſa magnitudo „ quæſtionis utinam tam mul„tos inventores habere poſſet, „ quàm multos contradicto„res habet: veruntamen ſicut „ Lectorem meum nolo mihi „ eſſe deditum, ita Correcto„rem nolo ſibi; ille me non „ amet ampliùs, quàm Catho„licam Fidem, iſte ſe non „ amet amplius, quàm Catho„licam veritatem. Conferantur hæc verba S. Auguſtini cum his, quæ dicit B. Raymundus cap. 366. Lib. 5. Contempl., & afferuntur in Dedicat. ad Deum T. 1., & in Revelat. Secret. Artis c. 1. f. 11. §. *Unde in hoc*, & quidem invenietur differentia verborum cum concordantia admirabili utriuſque Doctoris animorum.

37 Eſt etiam advertendum, D. Auguſtinum ad demonſtranda Fidei myſteria ante omnia exigere Fidem, & hoc idem facit II. Doctor ſæpe aſſumens cum ipſo illud Iſaiæ: *Niſi crediderìtis, non intelligetis.* Primum patet ex Lib. 9. de Trin. ab initio, ubi S. Doctor ait: „ Trinitatem certè quæri„mus non quamlibet, ſed il„lam Trinitatem, quæ Deus

eſt

„ eſt... expecta ergo, quiſquis „ hæc audis, adhuc enim quæ„ rimus, & talia quærentem „ nemo juſtè reprehendit, ſi „ tamen in fide firmiſsima „ quærat, quod aut noſſe, aut „ eloqui difficillimum eſt. Et Lib. 6. circa finem: „ Opor„ tet igitur, ut *Creatorem per* „ *ea, quæ facta ſunt intellectu* „ *conſpicientes Trinitatem in*„ *telligamus*, cujus in creatu„ ra, quomodò dignum eſt, „ apparet veſtigium... Qui vi„ det hoc vel ex parte vel „ per ſpeculum & in ænigma„ te, gaudeat cognoſcens „ Deum, & ſicut Deum ho„ noret & gratias agat; qui „ autem non videt, tendat „ per pietatem ad videndum, „ non per cæcitatem ad calum„ niandum &c.

38 Unde in Lib. de Utilitate credendi cap. 11. ait: „ „ Duæ Perſonæ in Religione „ ſunt laudabiles; una eorum, „ qui jam invenerunt, quos „ etiam beatiſsimos judicare „ neceſſe eſt, alia eorum, qui „ ſtudioſiſsimè & rectiſsimè „ inquirunt: primi ergo ſunt „ etiam in ipſa poſſeſsione, al„ teri in via, qua tamen cer„ tiſsimè pervenitur.... Tria „ ſunt etiam hominum genera „ profectò improbanda ac de„ teſtanda; unum eſt opinan„ tium, ideſt eorum, qui ſe „ opinantur ſcire quod neſ„ ciunt; alterum eorum, qui „ ſentiunt quidem, ſe neſci„ re, ſed non ita quærunt, ut „ invenire poſsint; tertium, „ qui neque, ſe ſcire exiſti„ mant, nec quærere volunt. (Hìc omni jure poteſt addi quartum genus per longam & notoriam experientiam inventum & comprobatum, ſcilicèt eorum, qui nolentes ſcire, omni conamine impediunt volentes quærere, ut ſciant.) „ „ Tria ſunt item velut finiti„ ma in animis hominum, diſ„ tinctione digniſsima, *intel*„ *ligere*, *credere*, *opinari*, quæ „ ſi per ſe ipſa conſiderentur, „ *primum ſemper ſine vitio eſt*, „ *ſecundum* aliquando cum vi„ tio, *tertium* numquam ſinè „ vitio. Et infra: „ Quod intel„ ligimus igitur, debemus Ra„ tioni, quod credimus, Au„ thoritati, quod opinamur, „ errori: *ſed intelligens omnis* „ *etiam credit*; credit omnis, „ & qui opinatur; non omnis, „ qui credit intelligit; nullus, „ qui opinatur intelligit. Hæc „ ergo Tria ſi ad illa quinque „ hominum genera, quæ pau„ lò ante commemoravimus, „ referantur, ideſt, duo proban-

„ banda, quæ priora poſuimus, „ & tria reliqua vitioſa, in„ venimus *primum Beatorum* „ genus ipſi veritati credere; „ ſecundum autem ſtudioſo„ rum amatorumque veritatis „ Authoritati; in quibus duo„ bus generibus laudabiliter „ creditur: in *primo* autem „ vitioſorum, id eſt, eorum, „ qui opinantur, ſe ſcire, quod „ neſciunt, eſt profectò vitio„ ſa credulitas; cætera *duo* im„ probanda genera nihil cre„ dunt, & illi, qui verum „ quærunt cum deſperatione „ inveniendi, & illi, qui omni„ nò non quærunt &c. Quare „ duo genera poſſunt eſſe ad„ verſantium veritati; unum „ eorum, qui ſcientiam tan„ tùm oppugnant, non fidem, „ alterum eorum, qui utrum„ que condemnant.

39 „ Hęc dicta ſunt, ut in„ telligeremus nos retenta Fi„ de illarum etiam rerum, quas „ nondum comprehendimus à „ temeritate opinantium vin„ dicari; nam, qui dicunt, ni„ hil eſſe credendum, niſi, „ quod ſcimus, id unum ca„ vent nomen opinationis, „ quod fatendum eſt turpe ac „ miſſerrimum: ſed ſi quis di„ ligenter conſideret, pluri„ mum intereſſe, utrum ſe „ ſcire quis putet, an, quod „ neſcire ſe intelligit, credat „ aliqua authoritate commo„ tus; profectò erroris & in„ humanitatis atque ſuperbiæ „ crimen vitabit. Quæ omnia non ſunt parùm notanda ab adverſantibus veritati, qui Scientiam tantùm oppugnant, ut tanti Doctoris Authoritate feliciter mutati deſinant alios ſcientiam veritatis quærentes, à viâ illius avertere, & ſibi conſcientiæ ſcrupulum faciant, verbis & factis illos injuſtè perturbare; minus enim malum erit, quòd ipſi ſoli maneant otioſi ſinentes ad ſcientiam addentes addere etiã ad laborem, ad quem naſcitur homo, quàm omnes ſimiliter perire. *Malum* enim *ignorantiæ* juxta Sententiã Egregii Doctoris S. Bernardini Sen. *populum præcipitat Chriſtianum ad innumerabilia mala tam culpæ, quàm pœnæ*; & bonum ſcientiæ, ût rectè infertur ſecundùm Lullianam Artem, populum exaltat Chriſtianum è converſo ad innumerabilia bona tam meriti, quàm gloriæ.

40 Quæ cum ita ſint, debent Scientiæ Cultores pro toto ſuo poſſe in hujus boni incremento laborare; quia, cùm ſimilis ſimilem amet, Di-

vi-

vinus enim Sponſus petit ſuæ Sponſæ ſibi aſsimilari, indubitanter, ut ipſam magis amet, & minimè, ut ipſam odiat, & Deus ſuam amat ſimilitudinem in creaturâ, quæ juxta D. Anſelmum c. 64. Monol., quantò eſt Deo ipſi ſimilior, tantò eſt naturâ præſtantior, & conſequenter amabilior; ita diſsimilis diſsimilem odit: unde non eſt mirum, ignarum velle omnes alios ſibi ſimiles eſſe; ſed valde mirum eſt, ſapientem non plùs ad reddendos omnes alios in vera ſapientiâ ſibi ſimiles laborare; per ſapientiam enim ſanati ſunt quicumque placuerunt Deo à principio. Sunt etiam prædicta notanda à defenſoribus Scientiæ & veritatis ad defendendum ipſas majori diligentia & conatu contra iniquos faventium ignorantiæ & falſitati inſultus. Experientiâ enim certa me docuit viam ſcientiæ ingredientem, ita debuiſſe me ad tentationem præparare, quòd, nisi ſpeciale Clementiſsimi Dei auxilium adfuiſſet, contrarietatis moli ſuccumbere debuiſſem. Et quod omnem excedit admirationem in Scientiæ oppugnatoribus eſt, quòd, cùm ipſi in hoc ſint contra dictamen S. Scripturæ SS. Patrum & Doctorum Eccleſiæ, & Rationis; illos, qui huic vero & Sancto dictamini inhærent, de proprii capitis & dictaminis ſequela reprehendere non vereantur! At, ſicut veritas non otioſa, ût dixi ſupra, omnem poteſt vincere falſitatem, ſic ſcientia non puſillanimis valet cum Dei auxilio, quantùm poſsibile eſt in hac vita, omnem exterminare ignorantiam. Quo prænotato, jam pergitur ad intentum.

41 Eccleſiæ igitur Luminare majus D. Auguſtinus aliquando per plures Dignitates, ſive Attributa Dei, aliquando per unam dumtaxàt, Dei Trinitatem demonſtrat: per unam adducitur Demonſtratio ex Libro 8. de Trin. c. 6., ubi S. Doctor aſſumit Attributum Amoris ſive Charitatis, & diſtinguens illud in ſuum proprium *tivum*, *bile*, *& are* ait:„ „ At enim Charitatem video, „ & quantùm poſſum, eam „ mente conſpicio, & credo „ Scripturæ dicenti, quoniam „ *Deus Charitas eſt*, *& qui* „ *manet in Charitate in Deo* „ *manet*. Joan. c. 16., ſed cùm „ illam video, non in eâ vi„ deo Trinitatem: (cui reſpon„ det S. Doctor) imò verò vi-

„ des ; ſed commonebo, ſi po-
„ tero, ut videre te videas &c.
„ Quid eſt autem Dilectio vel
„ Charitas... nisi amor boni ?
„ amor autem alicujus aman-
„ tis eſt , & amore aliquid
„ amatur : *Ecce tria , amans ,*
„ *& quod amatur , & amor,*
„ *&c.*

42 Quid quæſo huic , Demonſtrationi deeſt ? nil certè ſtylum demonſtrandi S. Auguſtini intelligenti , nisi fortè accidentalis formæ ſyllogiſticę figura , quæ facillimè per Lullianam Artem ſic adhibetur : impoſsibilis eſt amor producens , qualis eſt Divinus , ſinè Trinitate diſtinctorum amantis , amati & amare ; ſed Deus eſt Amor infinitè amans ſive infinitè producens per naturam ipſius amoris : ergo in ipſo Deo eſt neceſſaria Trinitas prædictorum. Et , cùm talis Amor ſit infinita ratio uniendi ſive identificandi , dicta Tria in Amoris Eſſentia identificantur , & non ſunt nisi unus Amor eſſentialis. Si plura ſimilia deſiderantur exempla , videatur Liber 11. de Trin. , ubi S. Doctor in exteriori homine Trinitatis veſtigium indagans , à ſenſu visûs incipit , ipſum reſolvens in ſuum *viſivum* , *viſibile* , *& videre* tam intrinſecum ſive porpinquum , quàm extrinſecum ſive remotum ; idipſum valere , ait , de reliquis quatuor. Dein à viſione tranſit externa ad internam etiam Unitate & Trinitate ſignatam ; & ſupremæ Methodi demonſtrandi exemplum tradere volens repręſentat nobis Lib. 14. & 15. duas imagines in unam coaleſcentes reliquis omnibus perfectiores , una tamen aliâ perfectior eſt. Primam exponit Lib. 14. c. 8. §. *Sed prius mens ipſa conſideranda eſt* ; & ad hanc propriè tantùm pertinet Scientia. Secundam omnium pefectiſsimam explicat Lib. 5. c. 4. §. *Jam ergo in ipſis rebus æternis incorporalibus.... in quarum perfecta contemplatione nobis beata , quæ non niſi æterna eſt vita promittitur , Trinitatem , quæ Deus eſt , inquiramus* , uſque ad finem Libri ; & huic propriè ſapientia competit.

43 Et duodecim Dei Attributa aſſumens , reducit in tria , & tria in unum dicens: „ Redegimus quidem illa duo-
„ decim in iſtam paucitatem
„ trium, ſed eo modo forſitan
„ poſſumus & hæc tria in unum
„ aliquod horum &c. : quis
„ itaque diſputandi modus ,

quæ-

„ quęnam tandem vis intelli-
„ gendi atque potentia, quæ
„ vivacitas rationis, quæ acies
„ cognitionis oſtenderet &c.
„ hoc unum quod Sapientia
„ dicitur Deus, quomodò ſit
„ Trinitas? an Trinitates iſtas
„ ad ſenſus noſtros vel ad ani-
„ mos pertinentes videmus
„ potiùs, quàm credimus,
„ Deum verò eſſe Trinitatem
„ credimus potiùs, quàm vi-
„ demus? quod ſi ita eſt, pro-
„ fectò aut *inviſibilia ejus per*
„ *ea, quæ facta ſunt, nulla*
„ *intellecta conſpicimus*, aut ſi
„ illa conſpicimus, non eis con-
„ſpicimus Trinitatem &c.; cur
„ itaque ibi non cognoſcimus
„ Trinitatem? an hæc Sapien-
„ tia, quæ Deus dicitur non
„ ſe cognoſcit, non ſe diligit?
„ quis hoc dixerit &c.: quę ſi
„ dici ſive credi ſtultum & im-
„ pium eſt, ecce ergo *Trini-*
„ *tas, ſapientia, ſcilicèt, &*
„ *notitia ſui, & dilectio ſui*:
„ ſic enim & in homine inve-
„ nimus Trinitatem &c. Lib.
„ 15. c. 6.

44 Sic, & aliis pluribus modis Eccleſiæ Sol S. Auguſtinus ineffabile Trinitatis demonſtrat Myſterium, quamvis non ponat neceſſarias ſuas demonſtrationes in forma ſyllogiſtica moderno tempore uſitata, quia ſupponit connexa & implicita, quæ ex explicitis inferuntur, jam intellecta vel facile intelligibilia à Sapientum intellectibus Fide firmatis, & bene fundatis in vera Philoſophia, quæ eſt clarum S. Theologiæ ſpeculum, ut ita ipſæ Demonſtrationes commodiùs abbrevientur, & paucis plura intelligantur. Quę omnia faciliter per Lullianam Artem clarificantur, & reducuntur in explicitam demonſtrationis formam per duo Principia demonſtrandi, quæ ſunt in ipſa Arte *Neceſſitas*, & *Impoſſibilitas*, ût ſupra dictum eſt de Amore, qui eſt Deus; & ſicut de eo dictum eſt, æqualiter poteſt dici de Sapientia, Bonitate & aliis Dei Attributis, perluſtrando per lumen *Differentiæ* tria diſtincta correlativa cujuslibet Attributi, & per vinculum *Concordantiæ*, Identitatem Eſſentiæ.

45 Et, ſi S. Doctor Dei Trinitatem demonſtrans per Sapientiam, quæ Deus eſt, de ipſa tranſit ad Dilectionis Attributum, hoc eſt, ut notiori & expertiori modo Myſterium nobis demonſtret ſecuncundùm Animæ noſtræ imaginem, de cujus ſapientia oritur

tur notitia, & de ambabus dilectio; nam æquè faciliter poterat demonſtrari Myſterium Trinitatis per ſolum Attributum Sapientiæ, quæ eſt impoſſibilis ſinè ſapiente, ſinè illo, quod ſapitur, & ſinè ſapere; nam Sapientia, quæ Deus eſt, neceſſariò eſt actualiſsima in *Eſſe* & *Operari* intra ſe ipſam de ſua Æternitate & Infinitate ante omnem creaturam. Et, ſi aliquis adhuc vellet me de ſemiverbio, & obſcuritate in hac qualicumque explicatione arguere, Opus conſulat ſupra poſtulatum à D. Anſelmo de Divinis Attributis, qui reſpondet pro me, & videat citatum Diſcurſum T.2. & Tractatum de Demonſtratione in Revelatione Secret.Art. T. 1., videat etiam in Lib. Contempl. Arborem *Fidei* & *Rationis*, & caveat, nè confundat Fidem & Rationem naturales cum ſupernaturalibus, ſicut adverſarius B. Raymundi factitavit.

46 Si etiam aliquis diceret per hujuſmodi Demonſtrationes ſolùm videri Divina Myſteria per ſpeculum; reſpondetur, hoc verum eſſe, quia impoſsìbiles ſunt Demonſtrationes artificiales in hac vita, quibus Deus facie ad faciem videatur. At, quis erit adeò protervus, qui lilium in ſpeculo videns, ſe ullatenus lilium vidiſſe neget? Et, ſi lilium tam clarè ſenſuali in ſpeculo videtur, clariùs Divina Myſteria intellectuali in ſpeculo videntur; aliter Deus majorem in rebus corporalibus & ſenſualibus poſuiſſet claritatem, quã in rebus ſpiritualibus & intellectualibus, quod impoſsibile eſt.

47 Unde videtur, quòd ſicut Libri SS. Doctorum Auguſtini, & Anſelmi, cæterorumque poſſunt reddere ſapientes omnes ipſis debitè applicatos, quia demonſtrandi Arte utuntur; ita ſimiliter Methodus Lulliana ſapientes reddit quotquot debita applicatione valent eam aliqualiter intelligere, ùt patens eſt in omnibus veris Illuminati Magiſtri diſcipulis. Et, quia ipſe B. Raymundus in ſuis Libris, nedùm tradit uſum & Methodum Artis, verùm & ipſam Divinam Artem, hinc eſt, quòd ſimul & ſemel reddit homines verè ſapientes, & eorum elevat intellectum ad clarè percipiendam ſublimitatem ſcientię & ſapientiæ SS. Patrum, & Doctorum Eccl., & aliorum, quod eſt incomparabile Dei donum,

quod

quod omnes veri ſapientes poſſunt per lectionem experiri, & forſan meliùs, quàm ego, præſertim ſubtiles & devoti, quibus groſsities & tarditas meo ingenio quasì naturaliter indita non eſt comparabilis, & videbunt ex his, & aliis, quàm legitimè inferatur, quòd P. Renatus in ſuo judicio contra Lullianæ Artis Methodum miſerrimè, & pluſquàm hæreticus Baco, defecerit.

PUNCTUM IV.

48 AD QUARTUM, ſcilicèt, *quòd Lullianæ Artis methodus hucuſque non potuit reddere homines bonæ rationis*; tametsì omnis præcedens ſolutio ſuperſit, & manifeſtet, hoc dicterium contra omnem rationem eſſe prolatum; nihilominùs aliquid ſpecialius dicetur; & primò ex Authoritate Baudovini Domini de Montarſis, cujus ſupra laudabilis facta eſt mentio; hic enim Inſig. Lulliſta compoſuit Librum, cui Tit.: *Tractatus de Ratione* impreſſ. Pariſiis anno 1668., quem ſapientiſſ. Salzinger legit, & in laudem ipſius ait: *Tractatus de* „ *Ratione*, in quo videtur ſua „ origo, quid ſit in Deo, in „ Arte & Natura, & quomo„ modò per ipſius medium „ poſsit inveniri veritas, fieri „ progreſſus & applicatio„ nes, & reditus ad princi„ pia cognitionis ſecundùm „ ordinem naturæ & ſecun„ dùm methodum Scientiæ „ generalis: ubi quoque vi„ dentur aliquæ obſervatio„ nes quoad fundamenta & „ & applicationes hujus Scien„ tiæ generalis, & quænam „ ſit utilitas, quæ poſsit ſpe„ rari à Tractatu Clavis Se„ cret. Naturæ compoſitæ per „ B. Martyrem Raymundum „ Lullum &c. Videantur plura notatu digna extracta à dicto Libro in Teſtim. T. 1. f. 48.

49 Item D. Nicolaus de Hauteville Presb. & Doctor Pariſien. compoſuit *Artem bene diſcurrendi*, vel Methodum facilem ad inveniendum, formandum, ſtabiliendum, & multiplicandum ſolidum diſcurſum in Cathedra & in Pulpito. edit. Pariſiis anno 1666. *Author* etiam *Electorii* in frontiſpicio hujus inſignis Libri ait: „ Hæc Figura eſt „ initium partis, per quam „ Homo rationalis diſponi po„ terit ad intelligendum ardua

&

„ & ſubtilitates intrinſecas Ar-
„ tis Raymundi. Ex quibus
hæc efformatur ratio, quam
alii, an ſit bona judicabunt:
ſi Lulliſtæ mediante Lullianæ
Artis Methodo, potuerunt ef-
formare & componere inte-
gros Libros & Tractatus de
Ratione, ubi videretur *ſua*
origo, quid ſit in Deo, in Arte
& Natura &c. De Arte bene
diſcurrendi, & multiplicandi
ſolidum diſcurſum &c. Et ad
diſponendum Hominem ratio-
nalem ad intelligendum ardua,
&c., quæ omnia non poſſunt
aliunde niſi ex bonæ rationis
arbore provenire, ût omni
bonæ rationi per ſe patet: er-
go impoſsibile eſt, quòd per
Lullianæ Artis Methodum non
fuerint facti homines bonæ
rationis: ergo ex fructibus
eorum cognoſcetis eos, quia
arbor mala non poteſt bonos
fructus facere. Videantur om-
nia Doctoris Ivonis ſcriptâ,
& aliorum B. Raymundi Diſ-
cipulorum, in quibus clariſ-
ſimè apparet vel impoſsibili-
tas aſſerti P. Renati, vel poſ-
ſibilitas colligendi de ſpinis
uvas, & de tribulis ficus.

50 Videant igitur omnes
rationales, an ſint bonæ ſe-
quentes Lulliſtarum rationes:
Alphonſus de Proaza in Lec-
tura ſuper Art. Invent. ait: „
„ Quicumque Illuminati Doc-
„ toris Libros non carpendi,
„ ſed intelligendi gratiâ lec-
„ turus accedis, paucula hæc
„ prænotes cognitu forſan non
„ indigna, iterùm atque ite-
„ rùm rogo: bonæ inprimis
„ conſcientiæ ſis, quia Deus
„ benedictus primum cognoſ-
„ cibile, ita eſt bonum libe-
„ rum, ut in Animam male-
„ volam non ſinat ſapientiam
„ (maximè infuſam) ſubintra-
„ re: deinde in principio illius,
„ quod edoceri cupis, effice,
„ ut potentias Animæ ratio-
„ nalis habeas in neutram par-
„ tem obſtinatè decumbentes,
„ ſed liberas ad inquirendum;
„ nam fruſtrà dubii veritatem
„ inveſtigat, qui ad alteram
„ partem inclinatus accedit.
„ Et Carolus Bovillus de Doc-
„ trina B. Raymundi ait: „
„ Verè enim vivificantem Doc-
„ trinam ejus dogmata cen-
„ ſuerim, quorum facio alios
„ judices, nè ſolus ſenſui meo
„ inniti videar.... Etenim præ-
„ clara Spiritûs S. Scientia,
„ (quam nos gratiæ donum
„ ſeu Scientiam infuſam ap-
„ pellamus) ea momento in
„ hominibus ſupplet, perficit,
„ operatur, quæ per hominum
„ doctrinam nullo aut labore,

aut

„ aut tempore complentur. Ex quibus rationibus ſequens eruitur ratio,

51 Bonam ſcilicèt conſcientiam bonę rationis eſſe initium, ût patet in Sanctis, qui ſemper bona utuntur ratione in eorum Libris manifeſtatâ, & è converſo in dæmonibus, & in malis hominibus, qui mala & falſa ratione utuntur, quia eos eorum præſumptio & ſuperbia fallit; nam, quod Deus revelat humilibus, ab illis abſcondit. Et talis mala & falſa ratio clarè in eorum operibus manifeſtatur, quia admirabilis Dei Providentia ſolet dęmoni unam veram prę-miſſàm manifeſtare, & illi aliã abſcondere, quam ipſe dæmon falsò ſupplens, malam inde conſequentiam infert; v. g. Deus manifeſtavit diabolo, quòd Bma. V. Maria conceptum filium peperit; ſed abſcondit illi, unde, & quomodò conceperat; ideoque ipſe diabolus ſic fuit ſuam per ſuperbiam ratiocinatus: ſi iſta mulier eſſet Virgo & Mater hominis Dei, nullatenùs ſe purificationis legi ſubjeciſſet; at ego video, quòd ſic fecit ſicut mulieres non puræ: ergo iſta nec virgo, nec mater Dei eſt. Similiter de Chriſto antequàm eum noſſet rationabatur, ipſum cogitans in carne cum magna pompa, apparatu, & ſtrepitu eſſe venturum, ſicut infelices adhuc expectant Judæi, & ipſum in maxima paupertate & humilitate deſpectum videns, falsò inferebat: ergo iſte non eſt Meſſias in lege promiſſus. Sic ſolet diabolus ſæpe ſæpius ſe ipſum decipere. Similiter infeliciſsimus facit ſuperbus veras putans laudes, quæ de ipſo adulatoriè dicuntur, & debita judicans obſequia, quæ ipſi à falſis ambitioſis præſtantur: unde malam & falſam formatrationem ſic, vel ſic: Ego ſum magnus in ſapientia, quam habeo, & ita ab aliis reputatus; ſed non poſſum hoc capere verbum: ergo impoſsibile eſt, quòd alii, qui mihi videntur ſtulti, vel non habent ſequitum, ſicut ego, illud capiant: ergo omnes contrarium dicentes non ſunt homines bonæ rationis.

52 Deinde, bona ratio, qua Deus ſemper operatur, juſtè petit in malevolam Animam non introire veram & humilem ſapientiam, quæ ædificat. Prætereà, prima Methodi Lullianæ Regula, eſt, quòd dubii veritatem inquirens, ad al-

alteram partem non inclinetur, donec facta fuerit debita inquiſitio, quæ ſola Regula obſervata non poteſt hominum non meliorare rationem, ſicut & aliæ ipſius Artis Regulæ, ût patet ſupra. Et tandem non eſt mala ratio non velle ſoli ſibi fidere, ſed alios ſui ſenſûs judices vocare; ſed omnes veri Lulliſtę Methodo Lullianæ Artis inſtructi dictis rationibus procedunt: ergo alii judicent, an dicta Methodus potuerit hucuſque homines reddere bonæ rationis. Nec ex ultima Authoritate malè inferatur, Artem & Doctrinam Lullianam ſolùm poſſe per infuſionem haberi; nam, ab illo, qui ſcientiam habet infuſam, poſſunt alii cum ſtudio ipſam acquirere, quam ſcientiam acquiſitam, niſi adſit impedimentum, ſolet Deus cum ſua infuſione perficere & clarificare; nam ſcientia per ſtudium acquiſita eſt corpus, & ſcientia à Deo infuſa eſt ſpiritus ipſam vivificās.

53 Unde clarè videtur, duas columnas herculeas noſtrum Antiluliſtam ſuſtentantes, à vertice uſque ad baſſim tam rationis, quàm Authoritatis jaculis corruiſſe, & ſic ipſe jam cogitur pedes gradi ſuper terram; quare pedites ambo ſimul per planum Authoritatis ſolum gradiamur, quasì hucuſque nil rationis equitatu perluſtratum eſſet; & quæro: numquid Cancellarii Baconis & Rmi. P. Renati Authoritas eſt major, & gravior totius Pariſienſîs Univerſitatis? Neutiquam: indubiè reſpondebunt omnes Viri bonæ rationis. Sed tota Pariſienſis Univerſitas Lullianam Artem ût bonam utilem & neceſſariam approbavit: ergo contraria Baconis, & Renati Authoritas nil valet. Ex undecim ergo Approbationibus authenticis Majoricæ aſſervatis, ſola Pariſien. Univerſitatis, quę eſt tenoris ſequentis, videatur.

UNIVERSIS PRÆSENTES LITTERAS inſpecturis, Officialis Curiæ Pariſienſis in Domino ſalutem.

NOVERINT univerſi, quòd in præſentia Magiſtri Joannis de Salinas, & Michaelis de Junquerio noſtro-

trorum Clericorum Juratorum, quibus in iis, & majoribus fidem indubiam adhibemus, & quibus quoad hæc commiſimus, tenore præſentium, vices noſtras, propter hoc perſonaliter conſtituti, Magiſter Martinus in Medicina Magiſter, Joannes Scotus in Artibus Magiſter, Raymundus de Biterve in Medicina Baccalarius, Frater Clemens Prior Servorum Sanctæ Mariæ Pariſiensis, Frater Amaſius ejuſdem loci, Magiſter Petrus Burgundus in Artibus Magiſter, Magiſter Ægidius Magiſter in Artibus, de Valle Ponte, Matthæus Guydonis Baccalarius in Artibus, Gaufridus de Meldis, Joannes Scotus, Petrus de Pariſiis, Bertrandus de Frigia, Lambertus de Normania, Laurentius de Hiſpania, Guillelmus de Scotia, Henricus de Burgundia, Joannes de Normania Baccalarius in Artibus, ac Magiſter, Ægidius & plures alii, uſque ad numerum quadraginta in dictis Scientiis experti, *aſſeruerunt* per eorum juramenta non vi, dolo, metu vel fraude ad hoc inducti, ſed ſua ſpontanea voluntate ad requiſitionem Magiſtri *Raymundi Lullii Catalani* de Majoricis, quod ipſi à dicto Magiſtro Raymundo Lullio *audiverunt* per aliqua tempora *Artem ſeu Scientiam*, quam dicitur feciſſe, ſeu adinveniſſe idem Magiſter Raymundus, quæ quidem Ars ſeu Scientia ſic incipit: *Deus cum tua ſumma Perfectione* incipit *Ars generalis ultima. Ratio, quare fecimus iſtam Artem Brevem, eſt, ut Ars Magna faciliùs ſciatur; nam ſcitâ iſta Arte, prædicta & etiam aliæ Artes de facili poterunt addiſci*; & ſic terminatur: *ad honorem & laudem Dei & publicæ utilitatis finivit Raymundus hunc Librum Piſis in Monaſterio Sancti Dominici, in menſe Januario, anno* 1307. *Incarnationis Domini noſtri JeſuChriſti. Aſſeruerunt* etiam dicti Magiſtri, & omnes alii, ût prædicitur, per eorum juramenta, coràm præfatis Juratis noſtris, quòd dicta *Ars ſeu Scientia erat bona, utilis & neceſſaria*, prout ipſi perpendere poterant, ſeu etiam judicare, & quòd in eâ nihil erat *contra Fidem Catholicam*, ſeu etiam dictæ Fidei repugnans, multa autem ad *ſuſtentationem dictæ Fidei*, & pro ipſa facientia, in dicta Scientia ſeu Arte poterant inveniri. Præmiſ-

missa autem facta & acta ac etiam rectificata ab ipsis Magistris & Baccalariis, ût præfatum est, coram præfatis Clericis Juratis nostris fuerunt, in domo, quam ad præsens in habitat idem *Magister Raymundus Lullius, in vico Bucariæ Parisiensis, ultra parvum Pontem versùs Sequanam*, prout ipsi jurati nostri nobis retulerunt oraculo vivę vocis.

Ad quorum relationem sigillum prædictæ Parisiensis Curiæ duximus Litteris præsentibus apponendum, in testimonium præmissorum. Datum Anno Domini 1309. die Martis post Octavas festi Purificationis Beatæ Virginis MARIÆ Gloriosæ.

DE JUNQUERIO.

ATTESTATIO.

„COPIÆ hujusmodi in his „duobus papyri foliis „præsentis computati contentæ, fuerunt fideliter sumptæ à Libro nuncupato Apologia Lullianæ Doctrinæ adversùs Nicolai Eymerici Calumnias, ad S. D. N. Sixtum „Divina Providentia Papam „Quintum, & Philippum Secundum Hispaniarum & Novi Orbis Monarcham, Authore Antonio Belver primario Cathedratico, Pœnitentiario, & Canonico Majoricensi, recondito & reservato in Archivo Universitatis Civitatis & Regni „Majoricarum, in Ærario sub „clave Magistri jurati Notarii, & cum suo Originali verè ac ût decet comprobatæ, „per me *Joannem Mainotz* „publicum Notarium deMandato Magnificorum Domi„norum Juratorum Regentium dictum Archivum. Qua „de re ut supradictis Copiis „licèt alienâ manu scriptis „fides indubia hîc & ubique „ab omnibus attribuatur, hîc „me subscripsi.

„Ego dictus *Joannes Mainotz* publicus Notarius, & „appono sigillum dicti Archivi die 22. mensis Octobris „Anno 1660,

54 Videant igitur ingenui Veritatis & boni communis amatores quanta facilitate & inconsideratione depingantur chartæ calumniis contra honorem

rem omni jure debitum tali & tantæ Veritati, & toti litterarum & terrarum orbi tam proficuæ & neceſſariæ; & quod lacrymis ſanguineis eſſet deplorandum, eſt videre & conſiderare, quid eſt, quod deſpicitur, à quibus, & qualibus fulcimentis, & qua audacia & temeritate, cùm ipſi calumniatores poſſint ſingulis momentis de oppoſito cum magno rubore convinci. At, non poſſumus ſatis laudare & mirari Divinam Providentiam, quæ prævidens (vivente adhuc B. Doctore & Martyre) contrarietatem inimicorũ boni communis, ſe ſolùm & ſua quærentium, poſt tot ſæcula futuram; talem jam adhibuit præcautionem, nè tantum Divinæ Liberalitatis Donum humano generi collatum penitùs interiret, ſed in univerſalem Fidelium ſalutem uſque in ſæculum non deleretur. Unde quantâ poſſum humilitate omnes veri & boni amatores exhortor, ut in neutram partium inclinati, imò nec mihi credentes, dignentur fide dignas ſcrutari ſcripturas, & ipſos B. Doctoris Libros libero animo perluſtrare, ubi, ſi prædicta tam neceſſariâ diſpoſitione procedant, abs dubio invenient, quam ipſorum Anima tam fortiter deſiderat veritatem.

CAPUT III.

QUOD R. P. M. FEIJOO CONSILIUM bonum non dederit.

1 PRoſequitur Feijoana Epiſtola erud. n. 6. ſic: *Nè igitur cogitet ampliùs V. Reverentia de Arte Raymundi Lulli, ſed tantùm de ſtudere ſicut ſtudent cæteri omnes in Religione, quæ habet, & habuit multos homines doctiſsimos, qui tales facti ſunt per viam currilem*, h. e., communem, *& quin recurrant ad aliquod medium extraordinarium ad facilitandum progreſſus in ſcientiis.* Hæc eſt littera textûs.

2 Ad quod poteſt multipliciter reſponderi, & quamvis ex omnibus ſupradictis clarè videatur, dictum Conſilium non eſſe bonum; nihi-

ſóminùs ſic primò demonſtratur: Conſilium procedens ex falſis Authoritatibus non eſt verum; ſed conſilium noſtri Antilulliſtæ procedit ex falſis Authoritatibus, ût demonſtratum manet: ergo verum non eſt; & conſequenter nec bonum. Tum, quia dare conſilium alicui, ut relinquat medium bonum, utile & neceſſarium ad valde bonum finem, qualis eſt Scientiarum augmentum, numquam potuit eſſe bonum; ſed Ars Lulliana eſt tale medium ad talem finem, ût teſtatur Pariſien. Univerſitatis authenticum Teſtimonium: ergo contrarium conſilium nec verum nec rectum nec bonum eſt. Secundò reſpondetur argumento ad hominem dicendo: *Medice cura te ipſum.* Nùm omnes Viri Religioſi in Religione incedunt per viam criticam? Certiſsimum eſt, quòd non; quare ergo & tu ita incedis unum dicens, & aliud faciens? Nùm vis ſingularis eſſe in hac via? Dignetur ergo meminiſſe dicti Domini noſtri Jeſu Chriſti: *Nolite judicare, & non judicabimini. Eâdem menſurâ, qua menſi fueritis remetietur vobis.* Lucę 6. v. 37. & 38.

3 Quare nunc non erit hic incongruum, *menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperefflluentem* dare *in ſinum* noſtri Antilulliſtæ ex alio Antilulliſta valde faventi prædicto conſilio, & ideo vocavi in hoc ſenſu menſuram bonam &c., ut quiſque abundanter ſuam ſumat portionem, prout ſibi magis placuerit. Ex alio, inquam, Antilulliſta Anonymo B. Raymundi amico, ût aſſerit, ſed acerbo Lulliſtarum inimico, ût ipſe luce clariùs manifeſtat. Hic enim quamdam formavit Quæſtionem cum pluribus objectionibus, quam ſuis adhibuit & manifeſtavit amicis, quorum ſuffragio potuit ad me pervenire, ut reſpondens ſimiliter ipſi retribuerem, prout ſequitur.

JUSTA DEFENSIO VERITATIS CONTRA falſitatem & injurioſam Calumniam.

ADM. R. Pater: ſuppono, quòd V. Ra. cum bona intentione voluerit inferre graviſsimam calumniam Lullianæ Scientiæ, &, quòd cogitans, ſe magnum obſequium præſ-

præſtare Deo, voluit (moraliter) interficere Lulliſtas. Sed, nè aliqui innocentes propter hoc aliquod patiantur ſcandalum, determinavi, cum quantâ poſsim reverentia, defendere veritatem & ſolutionem dare V. Ræ., ut poſsit ipſam cognoſcere veritatem, & cum Lulliſtis humiliter ſentire. Et, ut clariùs procedam, priùs objectionem ponam, & Quæſtionem fideliter, ipſam in 5. partes dividendo, ſicut jam eſt diviſa à V. Ra., & quamlibet dividam partem in puncta, & poſteà latinè ſolutionem dabo, (nam objectiones ſunt in alia lingua) cùm ſit mihi facilius ſic.

QUÆSTIO, ET OBJECTIO PRIMA.

DUbitatur, utrùm ſit conveniens & proficuum, in iſto loco N. Doctrinam Lullianam doceri? Reſpondetur negativè. Primò, quia volentes docere iſtam Scientiam collocant unam Maximam, quam homines prudentes judicant eſſe unum magnum errorem. Maxima eſt, quòd ad diſcendum iſtam Scientiam, meliores ſunt ignorantes, quã Docti, &, quod, ſi Docti volunt in illam intrare, obliturі ſunt notitias, quas habent. Iſta Maxima eſt unus magnus error. Primò, quia idem eſt ac dicere, quòd magis capaces ſunt homines ignorantes ad intrandum in iſtam Scientiam, quàm capaces fuerunt Doctores Eccleſiæ S. Auguſtinus, &c. taliter quòd lux, quam Dominus illis communicavit, faciebat illos incapaces, vel impeditos ad intrandum ad lucem Scientiæ Lullianæ; &, ſi iſti Doctores non fuerunt impediti, quomodò erunt impediti cęteri Docti, & Theologi, qui ceperunt lucem à ſupradictis Doctoribus?

RESPONSIO.

AD 1. reſpondetur, Maximam eſſe veriſsimam, quia, cùm Lulliana Scientia ſit eadem, quam S. Spiritus dedit Patriarchis, & Prophetis, & Chriſtus Apoſtolis, & Apoſtoli SS. Patribus, & SS. Patres Doctoribus Eccleſ., & iſti nobis, ût patet omni legenti & conſideranti oculo non livido ſcripta illorum & Libros noſtri B. Doctoris

ris Raymundi ; videtur , iſtam eſſe Sanctorum Scientiam, quam Pater luminum abſcondit à ſapientibus & prudentibus hujus mundi , ût teſtatur Chriſtus in Evangelio. Iſti ſapientes ſunt , quos dicunt Lulliſtæ , eſſe minùs aptos ad diſcendum dictam Scientiam; & ratio eſt , quia dicti ſapientes ſunt contrariis habitibus pleni , quos cum magna debent exuere difficultate ; & ignari non ; & ſic iſti ſunt minùs impediti ad veram Doctrinam , quam habuit S. Auguſtinus , & alii Eccl. Doctores. Et , quia veritas non opponitur veritati ; ideo dicti Doctores , & omnes alii , qui veram habent Doctrinam, fuere , & ſunt magis capaces , quàm non habentes , ad diſcendum Lullianam Scientiam. Sed illi , qui ſunt pleni ſapientiâ hujus mundi, quam S. Jacobus vocat *terrenam animalem & diabolicam* ; Jacob. c. 3.. v. 15. , quam etiam explicat S. Gregorius Papa dicens : „ Sapientia hujus mundi „ eſt cor machinationibus te„ gere , ſenſum verbis vela„ re , quæ vera ſunt falſa oſ„ tendere , quæ falſa ſunt ve„ ra demonſtrare ; Lib. 10. Mor. c. 16. in c. 12. Job. illi, inquam , ſunt magis incapaces , quàm ignari ; quia ſapientia , quæ demonſtrat falſum , eſſe verum , & verum eſſe falſum in *pro* & in *contra* prout vult ſapiens , eſt totaliter contraria Scientiæ Lullianę , in qua non poteſt demonſtrari, eſſe verum id, quod eſt falſum , nec , eſſe falſum id , quod eſt verum ; ſed res per ipſam ſicuti ſunt , & non aliter demonſtrantur.

Et ſic vera eſt Maxima Lulliſtarum docere volentium (ſi ita eſt , quòd libenter & naturali appetitu hoc velint; jurare enim poſſum , quòd , ablata charitatis obligatione, tantùm Magiſterium appeto , quantùm V. Ra. Diſcipulatum) licèt dicti ſapientes ipſam errorem reputent maximum. Præterquam quod omninò falſum eſt , aliquem verum Lulliſtam abſolutè dictam Maximam protuliſſe ; quia omnes veri Lulliſtæ inter ſapientes & ſapientes , & inter ſapientes, & ignaros optimè diſcernere norunt ; & dato , quòd aliquis cujuſcumque Scholæ , aliquid ignoranter & indiſcretè proferat , quis non videt, quàm abſurdè aliis ejuſdem Scholæ indiſcriminatim attribuatur?

II. OBJECTIO.

AUthores, qui didicerunt Scientiam Lullianam, priùs fuerunt docti in una & in multis Facultatibus ſecundùm Doctrinam communem, & hoc non legitur de nemine (de aliquo) quod eſſet ignarus omnium Facultatum, (Artium) ût colligi poteſt ex Authoribus citatis in 1. Tomo Operum B. Raymundi: ergo falſa eſt dicta Maxima.

RESPONSIO.

AD 2. dico idem, quod ſupra, de Authoribus, qui Lullianam Scientiam didicere; nam, ſi veram habebant Doctrinam, hęc ipſos juvabat, &, ſi falſam, ipſos impediebat: de quo poſſem expertos adhibere teſtes, qui ad Lullianam Scholam accedentes non potuerunt primam portam intrare, & incipere eſſe Diſcipuli, donec humiliati, & omnibus quę poſsidebant impedimentis renunciantes, ſuam non erubuerunt ſtultitiam fateri; & ſic, quanta eſt difficultas ſapienti in mundanâ ſapientiâ, qui jam magnam obtinuit famam, ſequitum & applauſum, in humiliare ſe, & confiteri, illam ſapientiam, quam homines ſubjecti & timidi in ipſo mirabantur, craſſiſsimam eſſe ignorantiam; tantum habet impedimentum ad diſcendum Lullianam Doctrinam; & in hoc ſenſu eſt vera Maxima Lulliſtarum. Hoc idem in omni accideret Schola, ad quam quis contrariis conceptibus jam præventus accederet, quos certos & infallibiles reputans exuere nollet; ſicut mihi ſcio eveniſſe, donec dubitavi ad ingrediendum Regulam *Utrùm*, quę eſt prima Artis Lullianę. Aliquid ſimile ſcio, Majoricæ, & alibi eveniſſe, ût audivi Magiſtro in Arte cytarizandi perito duplum ſtipendii petenti à Diſcipulo, qui jam aliunde didicerat, quia, ajebat ipſe Magiſter, duplo plùs ſe debere in hujuſmodi Diſcipulis, qui non bene didicerant, quàm in nil adhuc Scientibus, laborare.

III. *OBJECTIO.*

B. RAYMUNDUS in uno Tractatu Tomi 4. directo ſeu relato ad ſtudioſos Univerſitatis Pariſien. ſupplicat Doctoribus Pariſien., ut faciant judicium, vel cenſuram de ſuis Concluſionibus, & Argumentis, ut ita ſe poſſet prævenire meliùs, ut iret ad diſputandum cum Saracenis; quòd non feciſſet B. Raymundus, (vel conſuluiſſet ignaros) ſi Scientia illorum Doctorum, eos impediſſet ad intrandum in ſcientiam Lullianam.

RESPONSIO.

AD 3. dico, me non dubitare, quin Doctores illi eſſent veri ſapientes, & quòd B. Raymundus eſſet verè humilis, & propter hoc ipſos conſulebat, non ſolùm, ut ſe ad diſputationem cum Infidelibus expediret; ſed, ut approbationem haberet, & Authoritatem ipſorum, quam poſſet allegare apud ipſos Infideles irridentes noſtram S. Catholicam Fidem; quia audiunt ab ipſis Catholicis ignaris, quòd noſtra Fides eſt improbabilis, quod eſt plorandum, & pudendum, ût ipſe B. Raymundus ait in Prol. Lib. de Probatione Articulorum Fidei.

IV. *OBJECTIO.*

SCientiæ, quæ communiter docentur in Eccleſia, vel ſunt lux vera, vel non? Si ſunt lux vera, ſic arguo: Sed ſic eſt, quòd una lux vera non opponitur alteri luci veræ, imò una adjuvat alteram, vel lux minor diſponit ad majorem: ergo homines docti non debent obliviſci notitias, quas habent, ad intelligendum Scientiam Lulllanã. Si admittis ſecundam partem, hoc eſt, quòd Scientiæ, quæ communiter docentur in Eccleſia, non ſunt lux vera; ſic arguo: ergo Eccleſia Catholica (ſine Scientia Lulliana) non habet lucem, nisì tenebras, & Authores, & Doctores, qui ſunt Columnæ Eccleſiæ, non illuminant illam, ſed ipſam ob-

obtenebrant; & tandem Pontifices, Concilia & Congregationes, qui & quæ ad definiendum in omni materia non utuntur B. Raymundo Lullio, ſed aliis Authoribus, & Doctoribus hujus S. Eccleſię, omnes ſupradicti ibunt errantes, & ſic Eccleſia S. à planta pedis uſque ad verticem capitis erit plena erroribus, minùs in illis paucis, qui intellexerint Scientiam Lullianam. Videant quas conſequentias hæreticas & abominabiles. Si reſpondes, quòd in iſtis Authoribus, & Doctoribus Eccl. eſt pars lucis, & pars tenebrarum propter opiniones, quas habent inter ſe oppoſitas, & quòd Eccleſia in ſuis Definitionibus accipit de illis lucem, & non tenebras: ergo jam concedis, quòd homines Docti habent veram lucem (ſinè Scientia Lulliana) circa omnia Myſteria, & in omnibus materiis, tam Fidei, quàm morum, quæ, & quas definivit, vel declaravit S. Eccleſia: ergo habentes nos iſtas doctrinas de Matre noſtra Eccleſia, non indigemus ſimpliciter Scientiâ Lulliana; imò Scientia Lulliana eſſet paucæ proficuitatis, ſi deficerent nobis ſupradictæ notitiæ infallibiles.

RESPONSIO.

AD 4. reſpondeo, quòd Scientia, quam Pater Luminum dat communiter, & particulariter noſtræ S. Matri Eccleſiæ, eſt undequaque lux vera eadem, quam dedit SS. Patribus, Doctoribus Eccleſiæ, B. Raymundo, V. M. Mariæ de Agreda, & aliis ſervis ſuis; & ſic Pontifices Summi, Concilia, & Congregationes, qui & quæ accipiunt ipſam à SS. Patribus, & Doctoribus Eccl. qui ſunt veræ ipſius Columnæ, ad definiendum & determinandum in omni materia, ambulant in vero lumine, & omnes illi, qui hanc hauriunt lucem, & juxta eam ambulant, tendunt per vias rectas. At, eſt alia ſapientia, ût dictum eſt, contraria præcedenti, & communis illis ſapientibus, qui diligunt plùs tenebras, quàm lucem, & qui ſuum quærunt honorem, & non Dei, & placere hominibus, & magnum habere ſequitum, & iiti Eccleſiam obtenebrant ducentes poſt ſe tamquam cæci & Duces cæcorum infinitum numerum ſtultorum.

Audiatur iterùm Vir Religioſiſsimus Joannes Armandus Doctor Sorbonicus & reformator Abbatię Drappenſis, qui loquens de iſtis ſapientibus ait: „ Non poſſum „ dicere id, quod à me deſi„ derari oſtenditur, quòd eos „ credam eſſe utiles Eccleſiæ; „ ſum enim omninò perſua„ ſus, quòd multa mala ei„ dem intulerint, & plurimi „ ipſorum per ſubtiles Meta„ phyſicas, falſaſque ratioci„ nationes, & per inventiones „ purè humanas, probabiles „ fecerint multas opiniones „ contrarias puritati morum, „ & veritatibus Evangelicis. Videatur tota Authoritas ſupra, quæ valde facit ad rem. Unde dico, quòd, cùm Scientia Lulliana, præter illud commune, quod habet cum S. Scripturâ, SS. Patribus, & Eccl. Doctoribus, & conſequenter cum Conciliis, ût ſuprà demonſtratum eſt, aliquid habeat ſpeciale, ſcilicet, quòd Divinitùs & artificioſè ſinè tergiverſabilitate oſtendit dividere lucem à tenebris, & plura alia inæſtimabilia bona, quæ quando mundus erit magis dignus videbuntur, ſcilicèt quando maligni prædictorum mundanorum ſapientum conatus erunt repreſsi; ideo eſt valde neceſſaria, & cum illa Luliſtæ non poſſunt præmiſſas ponere, nec maximas, ex quibus poſsint ſequi hæreticæ & abominabiles conſequentiæ, quas V. Ra. ex ſua falſa ſuppoſitione & imaginatione, ût patet deducit; ſed, qui luci oculos claudens ipſos ita impiè impetit, poteſt in hoc incidere præcipitium. Inde etiam infertur, quòd, licèt Doctrina Lulliana non ſit ſimpliciter neceſſaria in quantùm Lulliana, ſed ſolùm in quantùm Dei, ſicut aliæ Doctrinæ in quantùm tales particulariter non erant ſimpliciter neceſſariæ ante Chriſti adventum, quando Spiritus S. SS. Patriarchas, & Prophetas per aliud Magiſterium docebat; tamen eſt ſimpliciter neceſſaria ad finem à Deo in illius infuſione intentum; & ſic temerarium & ſcandaloſum eſt aſſerere, non eſſe utile, quòd in hoc loco, & ubique addiſcatur; & diabolicum eſt, hoc totis viribus impedire. Quis enim erit adeò cæcus, qui non videat, Deum ſemper lucem ſua in S. Eccleſia augere? & quis adeò incredulus, qui non credat, Deum idem uſque in finem

ſæ-

ſæculi facturum ? ergo omninò temerarium eſt ſe opponere huic luci ab Eccleſia illuceſcere permiſſæ, ab Univerſitatibus, & tot, ac tantis Authoritatibus, & Rationibus demonſtratæ, & approbatæ, hoc certè eſt, tanto ponderi, imò & judicio ipſius Eccleſiæ, opponentem, ſe præponere.

II. PARS, ET I. IPSIUS OBJECTIO.

VOLENTES enim docere Scientiam Lullianam collocant aliam Maximam, & eſt, quòd, cùm in Authoribus Catholicis ſint tot opiniones, eſt in illis valde pauca Scientia, & Doctrina Lulliana aufert omne dubium, & opinionem, & eſt Scientia Univerſalis, qua evidenter poſſunt cognoſci omnes res. Contra iſtam Maximam arguo ſic: primò in rebus definitis vel declaratis ab Eccleſia, non eſt dubium, nec opinio, ſed omnia ſunt veritates infallibiles. Secundò in rebus non definitis, vel declaratis ab Eccleſia, neceſſe eſt eſſe dubia, & opiniones, & hoc propter multas cauſas. Primò, quia Eccleſia gubernata per Spiritum S. procedit quotidie illuminans filios ſuos, condemnans errores, & declarans veritates ſecundùm circumſtantias, & oportunitatem temporis, vel, ut meliùs dicatur, ſecundùm modum, quem habet prædefinitum Divina Providentia, ût viſum eſt & expertum à principio Eccleſiæ Cathol. uſque ad diem præſentem : at Lulliſtæ volunt ſe anteponere Eccleſiæ, vel Spiritui S., qui eam gubernat; quoniam uno ictu intentant, aut vellent declarare omnes veritates, & excludere omne dubium, & opinionem. Intelligant iſti, quòd ipſis non dictum eſt, ſed Capiti Eccleſiæ : *Quodcumque ligaveris, & paſce oves meas, & confirma fratres tuos.* Si eſſet tanta Fides iſtarum ovium, quanta curioſitas ſciendi, recognoſcerent meliùs ſuum Paſtorem, expectantes quòd ipſe paſceret eas, & non ſe intromitterent in prata, quæ Paſtor non cognoſcit. Iſte eſt morbus, quem hauriunt de noſtris primis parentibus, qui habentes omnes arbores paradiſi ad alendum ſe, non quievit eorum appetitus donec guſtarent de fructu arboris Scientiæ ipſis prohibito. Innumeræ ſunt arbores fructiferæ, quas habemus

conceſſas in paradiſo Eccleſiæ, in quibus poſſumus ordinatè ſatiare noſtros appetitus.

RESPONSIO.

AD 1. reſpondetur, ſecundam Maximam veram eſſe in ſano ſenſu intellectam, ût jam explicatum eſt; nam cum Lulliana Scientia poſſunt omnes cognoſci veritates, quæ ſub humanam mortalium Scientiam cadunt, non verò illa, quę ſunt Divinæ propria Scientiæ; quia nullus Lulliſtarum adhuc dixit, cum Arte poſſe futura cognoſci contingentia, nec alia impertinentia, qualia ſunt numerus lapidum, qui ſunt in littore maris, cogitationes & actiones liberæ hominum, quamvis externæ, &c. Item, ad hoc, quod dicit V. Ra., ſcilicèt, neceſſe eſſe ut ſint dubia & opiniones, & propter hoc malè faciunt Lulliſtæ volentes ipſa expellere. Retorqueo argumentum: Neceſſe eſt ut veniant ſcandala: ergo malè faciunt procurantes ipſa impedire & exterminare? Et neceſſe eſt, eſſe peccatores, & Infideles, ut boni Chriſtiani per ipſos exerceantur, & Concionatores eant ad prædicandum, & Martyrium patiantur: ergo malè faciet peccatorum, & Infidelium converſionem procurans; quia ſic Operarii Apoſtolici jam ad laborandum non haberent? Sed omnes iſtæ conſequentiæ ſunt abſurdiſsimæ: ergo abſurdiſsimum etiam eſt dicere, quòd Lulliſtæ malefaciant procurantes dubia falſas opiniones & errores removere; nam inde ſequeretur, quòd, ut bene agerent, hoc omittere deberent, ut Eccleſia ad laborandum haberet. Et ſi Lulliſtæ hoc deberent omittere propter dictam cauſam; alii filii & Miniſtri Eccleſiæ idem omittere propter eamdem cauſam deberent; & ſic multa meſsis deberet perire, manentibus Operariis, ſalvâ conſcientiâ, otioſis: unde videtur, quot & quanta abſurda in iſta objectione involvantur.

Si enim famulus de ſua otioſitate & omiſsione requiſitus, reſponderet, ſe non operari, ut Dominus habeat magis ad laborandum, vel, ut ipſe faciat totum: nonnè eſſet egregia excuſatio? Præterquàm quod valde laudabile & meritorium eſt aliis Eccle-

cleſiæ Operariis in extirpatione dubiorum falſarum opinionum & errorum laborare, & valde gratum Eccleſiæ, quia ad hoc ordinati ſunt; imò omnibus Chriſtianis valde laudabile eſt procurare, hoc fieri per illos, per quos fieri poteſt. Quare ergo in ſolis Lulliſtis hoc erit reprehenſibile? Ipſi optimè norunt diſcernere inter poteſtatem, & poteſtatem, & inter juriſdictionem reſervatam, & non reſervatam; & ideo ſemper & quando res ad eorum juriſdictionem non pertinet, ût Filii ſubditi & fideles S. Matris Eccleſiæ, ipſam rem illius ſupremo judicio ſubdunt, & hoc ſpecialiter à ſuo Magiſtro B. Raymundo didicere. Falſum etiam omninò eſt, Lulliſtas velle in uno ictu omnia dubia, & falſas opiniones exterminare; quia ſciunt, hoc impoſsibile eſſe; ſed hoc non obſtante: procurare ex omnibus viribus, Dei honorem toto in mundo promoveri, & totum mundum ſalvari, hoc non eſt peccatum, nec ſe Spiritui S., & Eccleſiæ anteponere; quia, ſi ita eſſet, valde malè feciſſent Apoſtoli, & ipſorum Succeſſores, ſcilicet SS. Patres &c., & noſtri SS. Patriarchę Dominicus, & Franciſcus, B. Raymundus, & omnes alii, qui diù noctùque ad hunc finem laborabant.

Item Lulliſtę bene ſciunt, Capiti Eccleſiæ dictum eſſe: *Quodcumque ligaveris*, &: *Paſce oves meas*, & : *Confirma fratres tuos*; ſed quia ipſi ſunt Filii fideliſsimi, & totaliter ſubditi, & obedientes ipſi ſummo Capiti Eccleſiæ, ideo procurant ordinationem ipſius juxta finem inſtitutionis noſtræ Apoſtolicę Religionis adimplere. Et retorqueo argumentum: ſi Capiti Eccleſiæ dictum eſt: *Quodcumque*, &c. : quare V. Ra. in tribunali Confeſsionis ſacramentalis ligat, & abſolvit? Et quare in Cathedra Prædicationis, Chriſti oves paſcit, & confirmat fratres ſuos? quod rectè fieri nequit ſinè dubiorum, falſarum opinionum, & errorum exterminio. Numquid propterea V. Ra. eſt Caput Eccleſię? Jam videtur, quòd non; at non eſt parùm dolendum, quòd voluerit ſe aliorum caput conſtituere, ita ut ſuæ falſæ, & inconſequentis opinionis caudâ multitudinem traxerit errantium ſtellarum.

Di-

Dicit etiam V. Ra., Lulliſtas eſſe oves paſcentes in pratis à ſummo Paſtore incognitis, quod eſt valde ridiculum, nè lamentabile dicam; nam antequàm hoc diceret, aliquid legiſſe debebat, nè tantam ignorantiam in Curia Romana, famoſiſsimâ de re temerariè ſupponeret; quis enim credet adhuc notitiam & famam Lullianæ Univerſitatis in Curiam Romanam non perveniſſe? Videatur Breve Urbani VIII., ût ſupra, obligans omnes Majoricenſis Collegii de Sapientia Alumnos ad intrandum quotidiæ Lullianæ pratum Doctrinæ, ut Artis lectione paſcantur; quin etiam Generales Conſtitutiones factę Romæ & Authoritate Apoſtolica confirmatæ, in quibus Provinciæ præcipitur Majoricenſi, ut Lullianę Doctrinæ publica habeat ſtudia, & eam ſicut S. Bonaventurę, & S. Doctoris Scoti defendat, ût ſupra, nec non ſeptem S.R.Eccleſiæ Cardinales ipſam Doctrinam ſummis laudibus extollentes, & triumphi, quos de adverſariis ipſa Doctrina apud ſummos Pontifices reportavit, ût ſupra, & alia plurima ſupra poſita, & in 1. Tomo videnda.

Quæ, cùm ita ſint, ût Authenticis ex teſtimoniis patet; in ſolo cogitare erubeſco, V. Ram ita miſerè & infeliciter in tam ſtultam puerilitatem prorupiſſe, & in re tanti ponderis & momenti: unde dico, illud, quod V. Rę. videtur vana curioſitas in Lulliſtis, utilitatem & neceſsitatem eſſe, & illud, quod ipſi defectus à primis parentibus derivatus videtur, gratiam & donum optimum eſſe, quod habent à Patre Luminum, qui eis edere dedit defructu arboris ſcientię, quę, ſi eſſet prohibita, ût V. Ra. dicit, concedens alibi, ipſam ſcientiam eſſe B. Raymundo à Deo datam, hinc ſequeretur, Deum ſcientiam prohibitam B. Raymundo dediſſe, & B. Raymundum, ipſam nobis in totidem Libris, quotidem ſcripſit propinaſſe, quod dictum non modica nec levis blaſphemia eſſe videtur. Quare bene & ordinatè poſſumus Lulliſtæ noſtrum in iſta Scientiarum Arbore ſatiare appetitum, ſicut in aliis, quas Divinus Agricola in Eccleſiæ Paradiſo plantavit. Imò hoc unicum vellem ab inimicis Lullianæ Doctrinæ, ut poſthabitis Libris inanium florum, & ineptiarum abundan-

dantibus ; quorum Authores D. Auguſtinus in Lib. de Utilit. cred. c. 12. ſic laudat : „ „ Cæteros autem cujuſque „ modi artibus inertiiſque af- „ fecti ſint , quolibet victu „ probandi ſive improbandi , „ ſtultorum in numero depu- „ taverim ; his , inquam, poſt- „ habitis , dignarentur ſibi familiarem reddere S. Scripturam , & Libros SS. Patrum , qui pulvere & vermibus fœdati diù in ſcriniis jacent ; nam juxta ſenſum SS. Patrum ſunt intelligenda verba Scripturæ, ût docet Concilium Tridentinum ; quo debitè obſervato , & cum ipſa Lulliana Doctrinâ collato , non dubito , quòd eſſemus boni amici , & Deum pariter laudaremus.

II. *OBJECTIO.*

NEceſſe eſt , Eccleſiam de duabus oppoſitis opinionibus non definire unam, & alteram damnare , propter rationem, quam dedit quidam interrogatus , quare Eccleſia non definierat de Fide Myſterium Conceptionis Bmæ V. MARIÆ ? ad quod reſpondit: quòd ſi Eccleſia definiſſet hoc punctum , major pars alicujus Familiæ fuiſſent hæretici , eò quòd ſint tam radicati & paſſione affecti in contraria opinione. Tum etiam , quia opiniones contrariæ circa mores, aliæ ſunt rigidæ , aliæ ſuaves, & ſic adaptantur conſcientiis, quæ diſtinguuntur ſicut facies; ſicut uni complexioni convenit cibus fortis , & alteri cibus levis, vel ſuavis.

RESPONSIO.

AD 2. dico , quòd , ſi eſſet neceſſe , Eccleſiam de duabus oppoſitis opinionibus vel potiùs ſententiis non definire unam , & alteram damnare , propter dictum reſponſum ; Eccleſia feciſſet contra iſtam neceſſitatem definiendo, quòd Spiritus S. procedit à Filio contra Grecos , & ſic de aliis Myſteriis Fidei contra plures hæreticos , quod aſſerere eſt maximum abſurdum , ex quo ſequeretur , quòd ſemper & quando eſt magna pars veritati oppoſita , Eccleſia eſſet neceſſitata ad non definiendum illam veritatem; quo, quid abſurdius ? Quinetiam judicare talem pertinaciam de Familia tam magna, tam ſancta, & tam Catholica , eſt omninò im-

impium & temerarium ; & ſic talis ratio , & reſponſio nullatenùs eſt approbabilis , ſed totaliter reprehenſibilis , quia omninò temeraria.

Audiant igitur omnes Antilulliſtæ, quid ipſe B. Raymundus dicat in Lib. de *Benedicta tu* Majoricæ impreſſ. anno 1739. f. 12. , ubi poſt varias probationes Immaculatæ Deiparæ Conceptionis ait : „ At, Domina mea , ignoſce „ mihi , quòd ſi Eccleſia mi- „ litans declararet contrarium „ hujus , in quo intelligo me „ laudaſſe te, ego credo, quod „ illa credit , ût filius ejus , & „ de hoc , & de omni , quod „ dicetur in laudem tui , & Fi- „ lii tui Jeſu , non hoc mihi „ malè accipias , Regina mea, „ quia obligatus ſum ad cre- „ dendum , quod ipſa Eccle- „ ſia habet & credit. Hæc B. Raymundus loquens de Myſterio , quod eſt pupilla oculi ſui : unde , ſi noſter Catholiciſsimus Magiſter in hoc Myſterio ſemper ſtetiſſet pro definitione Eccleſiæ , quamvis definiret in *contra* ; quomodò audebit quis temerariè adhuc ſuſpicari , quòd , ſi Eccleſia definiret in *pro* , Religio tam Catholica & honoris Deiparę amantiſsima , non ſtaret alacerrimè pro ipſa Definitione? In hoc meipſum reprehendo, quia ût filius , licèt indignus, omnium SS. Patriarcharum non ex totis meis viribus laboro , ut omnes Filii , & Fratres ſtemus ſimul laborantes per omnem modum pro gloria Reginæ Angelorum , & Dominę noſtræ , cui omni jure ſumus obligati , & adſtricti.

Ad hoc , quod dicit V. Ra. de opinionibus contrariis circa mores, quòd ſcilicèt diſtinctis accomodantur conſcientiis , rigoroſę ſicut cibus fortis ſtomacho robuſto , & ſuaves ſicut cibus levis ſtomacho debili ; dico , non valere paritatem ; ſed ut valeat debet dici ſic : ita accomodantur opiniones contrariæ conſcientiis diſtinctis , sicut venenum , & theriaca diversis ſtomachis ; quia falſa opinio eſt conſcientię venenum, & vera eſt ipsi theriaca ; & sicut venenum numquam poteſt hominis ſtomacho , sive robuſto , sive debili accomodari , sic falſa opinio numquam poteſt ulli conſcientiæ prodeſſe. Nam , quid hucuſque profuit Grecis dicta falſa opinio? &, quid hæreticis aliæ falſę opiniones? Proportionatè intelligatur de opinionibus fal-

falſis circa mores, quas ſi utiles eſſent & proficuæ Eccleſia non damnaret.

III. OBJECTIO.

QUI cum Lulliana Scientia conantur excludere omne dubium, & ignorantiam ab hominibus ſpecialiter doctis in Scientia circa mores, intentant excludere de talibus hominibus omne peccatum, etiam veniale; quia omnis peccans ignorans, cùm ſit ignorantia effectus & cauſa peccati; atquì Concilium Tridentinum damnat, quòd poſsit aliquis homo ſinè ſpecialiſsima gratia Dei, evitare omnia peccata venialia; ſicut de B. V. Maria hoc confitetur noſtra S. M. Eccleſia: ergo dant nimium Lulliſtæ ſuæ Scientiæ, ſi ita eſt, quòd eam poſsideant.

RESPONSIO.

AD 3. dico, me multùm gaudere, quòd omnes à ſe & ab aliis, nedùm omnia peccata mortalia; verùm omnia venialia expellere procurarent, & cum toto hoc nil contra Concilium Tridentinum attentarent; quia, ſi ſic eſſet, plurimi Sancti, & meliùs, omnes contra ipſum Concilium feciſſent. Nullus enim Sanctorum eſt, qui dixerit, vel potuerit licitè dicere, nos non debere ſive in nobis, sive in aliis omnia peccata, etiam venialia evitare, in quantùm ſit poſsibile cum gratia Dei, ſinè qua nil poteſt fieri. Certum quidem eſt, quòd ſi aliquis vellet eſſe ita perfectus, & à culpa immunis ſicut Bma V. Maria, eſſet valde ſtupidus, quia maximum præſumeret impoſsibile. Unde ingenuè fateor, quòd talem objectionem legens, vix potui contineri à riſu. Et ad hoc, quod dicit V. Ra. ſi eſt, quòd Lulliſtæ dictam ſcientiam habeamus, dico, me minimum eſſe Lulliſtarum, & ſolùm dictæ ſcientiæ partem valde exiguam poſsidere, & hanc mihi ad diſſolvendas iſtas objectiones, quas V. Ra. putat arduas, abundanter ſupereſſe; hinc ergo conſideret, quid poſſem ſi eſſem perfectus in Arte Magiſter?

III. PARS, ET I. EJUS OBJECTIO.

VELLE enim cognoſcere, vel demonſtrare evidenter Myſteria S. Fidei, quæ modo convenientiori, & opportuniori nobis declarat noſtra M. Eccleſia, ut illa credamus, & cum iſta S. Fide ſalvemur; hoc dico ego, quòd habet magìs de præſumptione, ſive vitioſa curioſitate, quàm de neceſsitate & opportunitate, ſecundum illa verba ſapientis: *Altiora tê nè quæſieris.* Et illa Apoſtoli: *Fratres non plùs ſapere, quàm oportet ſapere.* Et illa alia: *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus ut confundat ſapientes.* Item: *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Item: *Non veni in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, ſed in oſtentione ſpiritûs & virtutis.*

RESPONSIO.

AD I. dico, quòd, ſi ex modo, quem habet Eccleſia proponendi Myſteria Fidei credenda, & ex dictis Authoritatibus, ſequitur præſumptio & vitioſa curioſitas in Lulliſtis, quia ipſa intelligere Myſteria & demonſtrare conantur; etiam ſequitur in Sanctis Auguſtino, Anſelmo, & aliis, qui ita nos docuerunt, & etiam in illis, qui quærunt Deum, & quæ ſurſùm ſunt, quia altiora sê quærunt. Quare dico, quòd mihi hanc ſolvat objectionem, & ego ſuam ſolvam, quia hoc ſufficit, ut me à labore quærendi Expoſitiones dictarum Authoritatum excuſem, quo non obſtante, ad omnia in ſecundæ objectionis ſolutione diffusè reſpondebo.

II. OBJECTIO.

UTinam eſſet in me plùs ſpiritûs, & virtutis, quàm ſcientiæ! eſſet enim utilius, nedùm mihi, verùm etiam aliis proximis; nam ideò dicebat Thomas à Kempis: *Opto magis ſentire compunctionem, quam ſcire ejus definitionem.* Et Chriſtus cum 8. Beatitudinibus, quibus beati-

tificat pauperes ſpiritu, mites, lugentes &c., non beatificavit Sapientes. Et, cùm ipſe eſſet infinita Sàpientia, non dixit diſcite à me magnas Scientias, ſed ſolùm dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Denique ipſe dicit: *Ego ſum via. Ego ſum oſtium. Qui non intrat per oſtium, fur eſt & latro.* Et ipſe non docuit nos concionari rationibus, quæ demonſtrarent ſcientificè vel evidenter Myſteria Fidei, ſed ſolùm ponderationibus humilibus, parabolis, & textibus Scripturæ. Et, quod ille æſtimavit & laudavit in ſuis audientibus, non fuit videre, vel ſcire Myſteria, ſed ſolùm credere illa cum viva Fide. *Fides tua te ſalvam fecit. O mulier magna eſt Fides tua. Beati, qui non viderunt & crediderunt &c.* Et de Maria Sanctiſsima, cùm ſit Mater Sapientiæ, dicitur: *Beata, quæ credidiſti.* Videant igitur, ſi eſt neceſsitas nec opportunitas conſumendi tempus in re, quam nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec Eccleſia docuit nos; imò potiùs contrarium: & ita infero, eſſe præſumptionem, vel ſaltem curioſitatem vitioſam & periculoſam; nisi ſit, quod Deus noſter Dominus vellet ſpecialiter illuminare aliquem hominem, ſicut B. Raymundum; quia tunc non eſſet Scientia acquiſita, ſed infuſa, ût gratia gratis data. Et adhuc iſta gratia non datur tam univerſalis, ſicut imaginantur Lulliſtæ ſuam Scientiam. Quia unus S. Paulus, qui fuerat raptus ad tertium cœlum, & poſtquàm habuerat admirabiles revelationes, dicebat: *Ex parte cognoſcimus* (ideſt per revelationem) *& ex parte prophetamus* (ideſt credimus) *cùm autem venerit, quod perfectum eſt* (ideſt gloria) *evacuabitur, quod ex parte eſt* (ideſt Fides.) Et in alia parte non potens intrare ad cognoſcendum judicia Dei, exclamat: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei! Quis enim novit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius ejus fuit?* Cui poſſet reſponderi: Quod tu ignoras, hoc novit, & poteſt noſſe perfectus Lulliſta; ſi eſſet verum, quòd dicunt, & promittunt Lulliſtæ. Imitentur ergo iſti Apoſtolum, & credant ipſis neceſſarium eſſe, quod dicit: *Captivantes intellectum in obſequium Fidei.*

Et in alia parte S. Petrus de ipſa Fide dicit: *Cui benefacitis attendentes tamquam lu-*

ternæ lucenti in caliginoſo loco donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. Ita quòd, cùm vidiſſet S. Petrus Chriſtum glorioſum in Thabor proclamatum pro Filio unigenito ſui æterni Patris, hoc non obſtanti, appretiat magìs Fidem, & refert ſe ad Doctrinam Prophetarum dicens: *ſed habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes &c.* Et, ſi S. Petrus oblitus fuit viſionem claram, ut amplecteretur Fidem, quare non relinquunt paſsionati Scientiam Lullianam, ut amplectantur Fidem? De Fide ſcriptum eſt: *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Interrogo: quale ædificium facient volentes ædificare ſuper aliam petram? In die Judicii videbitur.

RESPONSIO.

AD 2. dico, quòd Lulliſtę non quærunt ſcientiam ſinèſpiritu & virtute habere, ſed totum quærunt, ut valeant magìs ſibi, & aliis prodeſſe, & volunt compunctionis ſcire definitionem, & etiam illam ſentire, quando deficiunt, quia non ſunt impeccabiles, & volunt Deum ſcire, ut eum ament, & intelligere, ut bene in omnibus agant, in quantùm poſſint; quod meo videri, non eſt peccatum reprehenſione dignum. Quod V.Ra. cum tanta textuum de Fide congerie ſuadet, nec in minimo Lullianam labefactat Scientiam, ſed ipſam mirabiliter exaltat, cùm propterea B. Raymundus, & ejus Diſcipuli pro ſe allegare ſoleant textum Iſaiæ: *Niſi credideritis non intelligetis.* At, in ſuis conſequentiis debebat advertere, ſe nedùm Lulliſtas reprehendere, verùm SS. Doctores, ût ſupra, omnes Theologos Scholaſticos, ſtudia, & Univerſitates, quæ omnia deberent de medio tolli, juxta ſenſum falſum V. Ræ., ut omnes S. Theologiæ Scholaſticæ Profeſſores crederent ſicut ruſtici. Unde quæro: quanto tempore vera Fides in Catholiciſmo duraret, ſi veritatis Scientia deficeret, & *malum ingnorantiæ populum præcipitans Chriſtianum ad innumerabilia mala tam culpæ, quàm pœnæ,* ût dicit S. Bernardinus Sen. in orbem graſſaretur?

Quod

Quod uſque ad quartam partem proſequitur nil penitùs facit ad rem, ſed totum ad hoc reducitur, quòd vilipenditur Scientia, ut Fides exaltetur (meliùs dicam, ut otium & ignorantia pulchro Eidei pallio pallietur.) Quid diceret V. R., ſi ego probarem, quòd Scientia plùs valet & eſt major & melior, quàm Fides? Audiamus ergo: Illud donum Dei valet plùs & eſt majus & melius, quod manet in gloria, & illud eſt minus, quod evacuatur; ſed Scientia manet in gloria, & Fides evacuatur: ergo &c. Scientia etiam eſt ſimilitudo Dei, cùm Deus ſit ſciens, & Fides non, quia Deus non eſt credens; ſed illud Dei donum, quod eſt ſimilitudo ipſius, eſt perfectius illo, quod eſt diſſimilitudo ipſius Dei: ergo &c. Et propterea dixit Apoſtolus: *Major horum eſt Charitas*, quia Deus Charitas eſt, & non Fides; ſed etiam Deus eſt Scientia: ergo &c. Et tenet in Scientia & Fide naturalibus, & ſupernaturalibus; nam ſicut ſe habet Fides naturalis ad Scientiam naturalem, ita Fides ſupernaturalis ad Scientiam ſupernaturalem; ſed Fides naturalis eſt minor Scientiâ naturali, quia ipſâ Fides eſt medium, & Scientia naturalis eſt finis illius: ergo pariter eſt in Fide & Scientia ſupernaturalibus, quod ſignificatur per textum Iſaiæ citatum.

Tum etiam: ſi intellectus poſſet ignorantiam deſtruere ſine ſcientiâ, & falſitati reſiſtere ſinè veritate, & eſſe otioſus ſinè peccato: &, ſi voluntas poſſet plùs Deum amare cum Fide & ignorantiâ, quàm cum Fide & Scientiâ; ego eſſem mentis & dictaminis V. Ræ.; ſed cùm totum ſit contrarium, non poſſum ſinè culpâ ipſi conſentire. Quis enim negabit, quòd B. V. Maria fuit ſapientiſsima, & etiam Apoſtoli, & omnes, quibus Deus dedit Scientiam ſanctorum? Sed iſta Scientia vel ſapientia B. Virginem non impedivit, nec Apoſtolos, &c., imò ipſos juvit, ut Fidem in altiori & ſublimiori gradu, quàm ignorantes haberent: ergo tota objectio nil facit ad rem. Sed, hoc non obſtante, ad terrorem puerorum auferendum, cum bona veniâ, & verorum ſapientum patientiâ, diffusè ad omnia reſpondebitur. Primò ad Chriſti prædicationem contra nos objectam; dico, quod ſicut Chriſ-

Christus cum humilibus ponderationibus, parabolis, & similitudinibus prædicabat; sic etiã docet B. Raymundus fidelissimus Discipulus & imitator ipsius prædicare, & differentiam facit inter prædicare, & disputare, & inter prædicare Fidelibus, & prædicare Infidelibus, docens prædicare sive concionari cum Doctrinâ positiva, & cum Doctrinâ probativa disputare.

Si V. Ra. Christi Doctrinam, & Apostolorum bene perpendisset, etiam scientificas rationes, & efficacissimè probantes invenisset, ût patet in Evangelio Joan. 8. *Qui ex Deo est verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Nùm ista ratio non est efficaciter probativa? Solùm videtur deesse modus syllogizandi Aristotelicus, sic dicendo v. g.: Qui ex Deo est verba Dei audit, & qui ex Deo non est verba Dei non audit; nam ista contraria infallibiliter videtur in alia; sed vos Dei verba non auditis: ergo ex Deo non estis. Et è converso: qui ex Deo non est, verba Dei non audit; sed vos non estis ex Deo: ergo verba Dei non auditis. Item: *Non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere.* Item: *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Quis istarum rationum probativam non videt efficaciam? nam omnis intellectus perspicax naturaliter cognoscit, quòd sicut de natura Bonitatis est facere bonum, sic de natura malitiæ est facere malum, & videt per experientiam contrarium non posse esse; quia, si Bonitas posset habere naturam faciendi malum, & malitia faciendi bonum, dictum Christi esset falsum, & qui illud audiebant potuissent replicare, illius inefficaciam ostendentes, quod fuit impossibile: ex qua ratione infertur: sicut scientia convenit cum Bonitate, ita ignorantia, cum malitiâ: ergo, sicut scientia nil mali potest facere, quia est bona, ita ignorantia nil boni potest facere, quia est mala: &, sicut Scientia potest magnum causare bonum, ita ignorantia, magnum malum. Etiam dixit Christus: *Qui non colligit mecum dispergit, &, qui non est mecum contra me est*: unde, cùm quælibet ratio Christi Domini nostri sit verarum minera fœcunda rationum, quas

nos

nos docet demonſtrare Ars Lulliana ad oculum, cùm ipſa, ût ſuperiùs dixi, sit *Evangelii Demonſtratio*; volo aliquam sic colligere & demonſtrare: Qui viam Dei in veritate docet, colligit cum Chriſto: unde infallibiliter ſequitur, quòd, qui viam Dei in falsitate docet, diſpergit, & eſt Antichriſtus; ſed qui aſſerit & ſuadet, falſas opiniones conſcientiis prodeſſe & accomodari, viam Dei in falsitate docet: ergo diſpergit gregem Chriſti, & non eſt cum Chriſto, ſed Antichriſtus.

Minor, in qua videtur sita difficultas, eſt clara; nam ex duabus opinionibus circa mores oppositis, altera neceſſariò eſt falſa, quia affirmat hoc idem, quod altera negat, quod propriè eſt contradictoriè opponi; cùm altera dicat: hoc licet, & huic opposita de eodem, & ſecundùm idem, dicat: hoc non licet. Ponatur exemplum ad viam falſæ tergiverſationis præcludendam: una opinio affirmat, v. g. quòd recitans totum Divinum officium totius diei ſemper diſtractus voluntariè diſtractione internâ, non peccat mortaliter, ſed adimplet; & opposita opinio totum hoc idem negat; & alia opinio affirmat, quòd laborans opere prohibito in die feſto per duas horas, peccat mortaliter, & huic opposita hoc ipſum negat, & similiter eſt in omnibus aliis contradictoriè oppositis, nam de his loquor dicens, alteram neceſſario eſſe falſam. Quo bene notato, sic per Lullianæ Artis Principia ad oculum declaratur: Deus æqualiter eſt Bonitas & Veritas; ſed quia Deus Bonitas eſt, nemo poteſt per viam malitiæ ad ipſum ire: ergo, quia Deus Veritas eſt, nemo poteſt ad ipſum per viam falſitatis pervenire. Et ideo, qui laborat ad cognoſcendum veritatem, quærit vitam æternam, & qui manet otioſus negligens veritatem, tendit ad mortem æternam. Quid igitur de illis, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent? Et ratio omnium eſt, quia Chriſtus dicit: *Ego ſum via, veritas & vita.*

Etiam D. Petrus in ſua Epiſtola Can. admonet sic: *Eſtote parati ad ſatisfactionem ſemper omni poſcenti Rationem de iis, quæ in vobis ſunt fide & ſpe.* Quid igitur, si aliquis talem rationem poſcenti, diceret: quærere rationes de Fide-

Fide eſt præſumptio vana, imò & vitioſa curioſitas, ût aſſerit V. Ra., nonnè iſta eſſet egregia ratio & reſponſio? Num ita obtemperaret monitioni D. Petri? Et S. Paulus ad Rom. 13.: *Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo ordinatæ ſunt. Itaque, qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Quid quęſo deeſt huic rationi, ut ſit ſcientifica? Aliæ plurimę Demonſtrationes poſſent ex S. Pagina adduci, ſi eſſet neceſſe, ût bene obſervavit ſapientiſsimus Salzinger dicens in Præcurſore, id ſe patefacturum: *Quando Logicam Chriſti & Sanctorum, Deo gratiam largiente, in lucem dabimus adducendo demonſtrationes & argumenta ex Epiſtolis D. Pauli petita &c.*

Nunc ad Authoritatem D. Pauli, quę videtur majorem habere vim reſpondetur, ſcilicèt: *O altitudo divitiarum, &c.*, & dico, quòd Ser. Dr. D. Bonaventura in Proœm. Libri Sent. Magiſtrum Sent. laudans in eo, in quo V. Ra. Lulliſtas vituperat, ſcilicèt, quia voluit altiſsima, & profundiſsima Dei Myſteria ſcrutari, ſic ait: „ Verè judicia „ incomprehenſibilia, quia „ profunda ... hæc profunditas „ innuitur in Job: Forſitan „ veſtigia Dei comprehendes, „ & uſque ad perfectum Om„ nipotentem reperies? Excel„ ſior cœlo eſt, & quid facies? „ profundior inferno, & unde „ agnoſces? quasì dicat ex te „ non potes: ideo conſulit „ Apoſtolus ad Epheſ. 3. In „ charitate radicati, & fun„ dati, ut poſsitis compre„ hendere &c. Et 1. Corin. 2. *Spiritus omnia perſcrutatur, etiam profunda Dei.* Item debet V. Ra. ſcire, quòd Chriſtus beatitudines numerans, etiam illis ſapientes adnumeravit; at, illos ſolùm, qui mundum habent intellectum à falſis opinionibus; quia iſti ſunt beati; & ſic dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, ubi dicit noſter Lyranus: *Hìc ordinatur homo reſpectu Dei. Et primò quantùm ad intellectum ſpeculando.* En ſapientia & intelligentia ſpeculativa Dei. Et Card. Hugo ſic: *Beati mundo corde &c. Hæc virtus in duobus conſiſtit, ſcilicèt in munditiâ intellectûs, & in munditia affectûs. Munditia intellectûs eſt puritas à falſitate opinionis.* En qualiter ſapientes ſint Beati per veram ſapien-

pientiam liberam à falsis opinionibus : unde nemo potest eos à numero beatorum, quos numerat Christus excludere, ex certa Scientiâ, sed solùm ex falsa opinione. Item Christus S. Petrum laudavit, & Beatum dixit, postquam ipse responderat : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, & S. Petrus hoc per Patris cœlestis revelationem sciebat, ût asseruit ipse Christus dicens : *Caro & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus* ; & in præmium talis Scientificę Confessionis statim adjunxit : *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* En Ecclesiæ fundamentum in Scientia & clara cognitione S. Petri promissum & designatum; unde quæro : quid faceret Ecclesię Prælatus cum sola Fide, & sinè Scientia ? Quomodò regeret cum æquitate nesciens, quæ sunt Cęsaris, quæ sunt Dei, & quid unicuique debeatur? Quare dico, Lullistas esse ita bonos Fidei, & Scientiæ amicos, quod unam deprimere ad exaltandum aliam nolint ; sed volunt dignè & juste Scientiam exaltare ad majorem Fidei exaltationem ; & V. Ra. Scientiam deprimens, Eidem deprimit Scientiæ celsitudine exaltandam.

Dicere etiam, S. Petrum plùs Fidem, quàm claram Dei visionem æstimasse, falsissimum est ; quia, cum clara Dei visio sit melior, quàm Fides, fuisset imprudens & injustus diligendo plus id, quod minus est, & è converso ; etiam falsissimum est, S. Petrum claram fuisse visionem oblitum, ut Fidem amplecteretur ; quia claræ visionis memoria ipsius Fidem exaltabat, ût patet ex supradictis. Et, si S. Petrus potuisset semper in clara Christi glorioſi visione manere, illam numquam reliquisset, ût ipse satis manifestavit dicens : *Domine bonum est nos hìc esse* ; & illa visio non erat, nisi gloriosæ Humanitatis ; quid, si fuisset etiam Divinitatis ? Et sic Lullistæ non indigent Lullianam relinquere Scientiam, ut Fidem amplectantur, quam jam habent, exaltant, & defendunt per ipsam Scientiam ; sed diabolus indiget, quòd Scientia perdatur, ut Fides defensionem non habeat, & paulatim per prava dogmata & falsas opiniones corruat & pereat. Dignetur V. Ra. legere B. Raymundi Libros *Disputat. Fidei & Intellectûs*

in 4. Tomo, & De *Convenientia Fidei & Intellectûs in eodem objecto* ; & horrebit videns, cui ſpiritui ſerviat in tam ſcandaloſa perſuaſione ; nam ſcientia Lulliana Fidem auget, quia S. Scripturæ auget intelligentiam ; & ideo Ser. Dr. D. Bonaventura T. 1. Opuſc. Ser. 18. f. 36. ait : *Quantò plùs intelligitur in Scripturâ, tantò augetur Fides.* Et ideo Lulliſtæ cum Fide & Scientia, & cum Scientia, & Fide fundatum habent ſuum ædificium in ſummo angulari Lapide Chriſto Jeſu, à quo firmitas Scientiæ Lullianæ proceſsit, ût demonſtrant effectus, & ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, quos imitatus fuit B. Raymundus, & in Columnis Eccleſiæ, ſcilicèt SS. ipſius Doctoribus, ût ſupra eſt demonſtratum, cui Eccleſiæ ipſi Lulliſtæ imitantes ſingulariter in hoc ſuum B. Magiſtrum humillimè ſe & omnia ſua ſubdunt ût Columnæ inconfringibili veritatis ; & juſtitiam, non contra Perſonas, ſed contra calumnias, ignorantiam, & falſitatem expoſcunt.

IV. PARS, ET EJUS I. OBJECTIO.

FAcilitas, quam exagerant Lulliſtæ in acquiſitione ſcientiæ, eſt merum figmentum : quia ſicut principia Lullianæ Scientiæ ſunt univerſaliſsima, ſic litteræ alphabeti, de quibus componuntur omnes linguæ, ſunt notæ univerſaliſsimæ : ergo ſicut, licèt cum magna facilitate poſsint ſciri litteræ alphabeti, nihilominùs eſt merum figmentum inferre hinc, quòd magna facilitate poſſunt ſciri linguæ ; ſic etiam, licèt cum magna facilitate poſsint ſciri principia Scientiæ Lullianę ; nihilominùs pura fictio eſt inferre, quòd cum illis principiis magna facilitate poſſunt ſciri Artes, vel Scientiæ. Et, ſi iſta facilitas non eſſet ficta ; quare B. Raymundus conſumpſiſſet totam vitam in acquiſitione hujus Scientiæ, poſtquàm fuit illuminatus ? Quare poſt illuminationem iviſſet ſtudere cum aliis ad adquirendum aliquas ſcientias particulares, ût narratur in primo Tomo ? Hoc non poſſum intelligere, niſi dicamus Diſci-

cipulos adhuc tyrones esse supra Magistrum suum.

RESPONSIO.

AD 1. dico, facilitatem Lullianam Artem & Scientiam addiscendi nullatenùs esse fictam; nisi dicatur, B. Raymundum fuisse mentitum, dum loqueretur de tempore ad hoc requisito, quod palàm efferere V. Ra. valde timebit; & etiam alios Authores expertos & respectu dignissimos, qui de hoc dant testimonium fuisse mentitos, quos V. Ra. debebat priùs legere & intelligere, ut contra omnes leges verę moralitatis & Charitatis ipsos fictores asserere vereretur. Videatur, quid de hoc dicat ipse B. Raymundus in Arte brevi, & R. P. Lucas de S. Isidoro Carmelita Disc. f. 17. 1. T. sed, nè videar eludendo velle difficultatem effugere, quę videtur magna, cùm revera nihil sit; audiatur ipse Il. Doctor in Arte Gen. Ultimâ p. 13. ubi ait: *Si habueris bonum intellectum fundatum in Logica & in Naturalibus, & diligentiam, poteris ipsam scire duobus mensibus, uno mense pro theorica, & alio mense pro practica.* Quid facilius? Si ergo hoc dictum ex ore B. Raymundi prolatum est verissimum, ût V. Ra. concedet; quare idem dictum per os Lullistarum purum erit figmentum? Audiat nunc per os meum facilitatem addiscendi alias Artes & Scientias mediante Arte & Scientia Universali: memini, me supra exemplum de hoc dedisse in Bonitate universali, quę est unum ex Lullianæ Artis Principiis sic: *Bonitas est ens, ratione cujus bonum agit bonum*; contrahatur ista Definitio ad omnes Bonitates particulares, & eâdem facilitate definientur sic: Bonitas Dei est ens, ratione cujus bonum Divinum agit bonum Divinum; Bonitas Angeli est ens, ratione cujus bonum Angelicum agit bonum Angelicum; Bonitas hominis est ens, ratione cujus bonum humanum agit bonum humanum; & sic de omnibus aliis. Etiam ostendi, qualiter O, as, at, &c. Sit verbum universale primæ conjugationis, cujus conjugatione scitâ, eâdem facilitate conjugatur amo, amas, amat &c., & quodcumque aliud particulare hujus conju-

gationis : faciat ergo ſimiliter in aliis modis ſciendi univerſalibus , & in aliis partibus , & videbit , ſicut nunc ad oculum demonſtrata eſt hæc facilitas , quam etiam ſupra in 10. Quæſtionibus demonſtravi.

At , quia nonnulli in hoc puncto æquivocari ſolent , eoquòd non bene advertant , quid ſit aliquem eſſe fundatum in *Logica* , *& Naturalibus* , quod debet rectè intelligi de Logica & Philoſophia Lullianis , de quibus ipſi forſan nil ſciunt ; & ita aliqui putaverunt , quòd , cùm Lulliana Ars ſit univerſalis , ut aliquis ipſam addiſcat , debet priùs ſcire omnes Artes & Scientias particulares ; alii è converſo putavere , quòd , ſcitâ Arte , debet quis de novo laborare in particularibus Scientiis addiſcendis , ſicut laborant in hoc , qui de Arte nil ſciunt , quod utrumque falſum eſt. Unde facilitas ſtat in hoc , quòd , ſcitâ Arte univerſali , debent termini Artium particularium , & Conditiones ipſorum terminorum regulari & diſponi juxta Regulam & diſpoſitionem terminorum & Conditionum univerſalium , & ex ipſis ſic regulatis fiant Demonſtrationes particulares in qualibet Arte & Scientia juxta Demonſtrationes univerſales , quod , Deo dante , forſan exemplificabitur ad longum in 2. Parte hujus Libri , & etiam magis patebit ex reſponſione ad objectam paritatem de difficultate linguarum. Dico itaque , allegatam linguarum difficultatem nil omninò valere , quia , ſi linguæ eſſent ordinatæ juxta ordinem naturæ procedentes de primis principiis per media directa ad ſuos debitos fines , eſſet eadem facilitas , quę in Arte Lulliana ; ſed , quia linguæ ſunt corruptæ , confuſæ & inordinatæ , & non procedunt ſecundùm amabilem ſive volibilem rationem , ſed ſecundùm irrationalem voluntatem , ut ſupra demonſtratum eſt in Grammatica latina ; ideo eſt dicta difficultas. At in Scientia Lulliana non eſt ſic ; quia procedit cum debito ordine Principiorum , Conditionum & mediorum ad finem , qui ordo convenit cum facilitate , ſicut diſordo , cum difficultate ; & ſic paritas nil valet. Valeret quidem , ſi parificaretur ſic : ſicut ſciens litteras alphabeti , & ipſas combinando facere ſillabas , & de his debito ordine combinatis integra formare verba ; ſcit perfectè & facillimè omnes cu-

cujuſcumque linguę legere Libros, in quibus idem ordo obſervatur; ſic pariter Principia ſciens Lulliana, quæ ſunt litteræ naturales & rationales, & ipſa debito ordine combinare faciendo ſillabas, quæ ſunt Cõditiones, & ex his debitè combinatis formare integra verba, quæ ſunt integræ Demonſtrationes; ſcit perfectè & facillimè demonſtrare veritatem in omni Arte & Scientia particulari, dummodò idem ordo obſervetur. Imò & faciliùs, quia in alphabeto Lulliano quælibet littera facit ſillabam cum qualibet, quia quodlibet Principium habet neceſſariam & indefectibilem connexionem cum quolibet; & in alphabeto artificiali litterarum vulgarium non eſt ſic, quia p. non facit ſillabam cum q., nec cum pluribus aliis, & hoc non obſtante, ex ipſis modo poſsibili combinatis oritur prædicta facilitas legendi; quid igitur de facilitate demonſtrandi in Arte Lulliana ex omnimoda combinatione?

Ad hoc, quod dicit V.Ra., B. Raymundum ſcilicèt in tota ſua vita ad acquirendum iſtam Scientiam laboraſſe; dico, non eſſe ita, quia B. Raymundus laborabat in faciendo Opera & Artefacta Artis & Scientiæ jam multò anteà per infuſionem receptæ, & non acquiſitæ, nisì utramque confundere velimus; nam V. Ra. concedit, quòd B. Raymundus habuit Scientiam univerſalem à Deo infuſam; quomodò ergo nunc vult, quòd ipſe laboraverit totâ vitâ ad acquirendam Scientiam, quam jam à multis luſtris habebat infuſam? Quare ſinceriùs & clariùs dico, quòd B. Raymundus Scientiam habuit à Deo infuſam, & poſteà in practica ipſius perrexit experientiam acquirens, & proficiens Sapientiâ & ętate; ſicut peritus Artifex, ex quo Artem ſciat, non ſequitur, ipſum ſtatim omnia artefacta experta habere, ſed debet poſt ſpeculativam in practica laborare, & hoc ab omnibus Mechanicis ſcitur. Quare dico, quòd licèt B. Raymundus linguam latinam, & alias didicerit, & cum aliqua difficultate propter prædictos linguarum defectus, quia Ars non eſt ad loquendum, nisì cum perfectione; tamen nemo, nisì Divinus Magiſter docuit ipſum Artem & Scientiam univerſalem, ût ipſe fatetur sic: *Docuit me Supremus Artifex, & ſenſi in me fontem infuſæ Sapientiæ.* Et sic objectio nil valere videtur.

II.OB-

II. *OBJECTIO.*

ET, ut practicè videatur fictio hujus falſitatis, non eſt, niſi proponere iſtis talibus unam quæſtionem practicam pauliſper difficilem, quam B. Raymundus reſolvat in quarto, vel in alio Tomo, & ipſi illam non viderint, & combinatâ poſteà reſolutione illorum cum B. Raymundi, videbitur dolus. Circa facilitatem prædicandi, h. e., concionandi cum hac Arte, quam exagerant, non eſt neceſſe, niſi dare illis unum aſſumptum, h. e., thema prædicabile pauliſper difficile, vel extraneum, (rarum) & componant unam concionem de repente, vel brevi tempore cum ſolis Libris B. Raymundi, cum Biblia, &, ſi velint aliquos SS. Patres. Experientia manifeſtabit dolum.

RESPONSIO.

AD 2. dico, quòd ſecundùm Artem Lullianam quælibet quæſtio poteſt ſolvi millenis modis; & ſic, ſi aliqua quæſtio alicui Lulliſtæ proponatur, quæ jam eſt à B. Raymundo ſoluta, ferè eſſet miraculum, quòd utraque ſolutio coincideret cum eiſdem terminis, modis, formâ & figurâ, &, ſi non eſſet ſic, quis deberet judicare, an dicta ſolutio bene ſecundum Artem procedat? Cæcus non judicat de coloribus, & ſic, licèt album combinet cum nigro, non patebit ei, an ſit concordantia, vel contrarietas; quinetiam, ſi quæſtio propoſita ſolveretur à B. Raymundo per Bonitatem, ego illam ſolverem per Magnitudinem, & alius per Æternitatem, &c. & alius illam ſolveret per Differentiam, vel per Concordantiam, vel per Contrarietatem, vel per primam Regulam, vel per ſecundam, &c. vel per primum Modū ſolvendi Artis Invent., &c., & Magiſter in Arte illam ſolveret per quemcumque terminum, quod eſt arcanum & ſecretum valde terribile à B. Raymundo practicatum præſertim in Lib. Mirand. Demonſtrationum. Sed, quid inde? Sequeturnè, talem ſolutionem non eſſe veram, & ſecundùm Artem? Neutiquam. Sed inde oſtenditur, V. Ram. neſcire iſtos modos, & ex iſta neſ-

neſcientia judicare dolum & falſitatem, id quod veritas & ſinceritas eſt. Idem dico de facilitate prædicandi; nam, qui Artem ignorat non poteſt ſinè temeritate ipſius opera judicare. Et de utroque plurimæ habentur experientiæ factæ coràm teſtibus ocularibus, ſcilicèt de ſolutione quæſtionis, & de Prædicatione, itaut, ſi eſſet operæ pretium, & ſi V. Ra. vellet quærere, qui præmium daret condignum, plures dictum præmium dignè conſecuturos exhiberem.

III. OBJECTIO.

ITEM: uſque hodie, omnes Lulliſtæ, quos tractavi, non ſciverunt mihi explicare Myſterium SS. Trinitatis cum Principiis B. Raymundi, ſecundùm illos tres terminos, quibus utitur ad explicandum tres Divinas Perſonas: *Bonificativum*, *Bonificabile*, & *Bonificare*, &c. Nam, ſi Spiritus S. eſt *Bonificare*; cùm Bonificare ſit actio, cum qua Bonificativum bonificat Bonificabile; ſicut amare eſt operatio, qua amativum amat amabile; & idem dicatur de intelligere, producere, &c. Inde ſequitur (prout ſonant termini) quòd Spiritus S. eſt actio, qua Pater producit Filium; & ſic Spiritus S. non procedit à Filio, ſed è converſo: quod hæreſis eſt, non quę poſsit tribui B. Raymundo, ſed difficultas evitandi eam arguit magnam difficultatem Scientiæ Lullianæ. Et ita captivent hi ſuos intellectus (ita captivares tu tuam ignorantiam & invidiam Scientiæ & Charitati) modo, quo proponit ipſis hoc Myſterium noſtra Mater Eccleſia, & non periclitabuntur cadere in errores.

RESPONSIO.

AD 3. directè reſpondere nolebam, ut V. Ra. in ſuo dubio contabeſceret, quia explicationem & intelligentiam alicujus Myſterii quęrens, debet cum humilitate quærere; & Lulliſtæ hoc optimè norunt, & ideo malunt ſtultitiam ſimulare & tacere, quàm ſermonem effundere, ubi non eſt auditus diſpoſitus, & Sanctum dare canibus, & proji-

ce-

cere margaritas ante porcos. At, cùm ſupra jam ſit ſolutum hoc dubium, breviter & directè reſpondebo: & ſic, ſive V. Ra. capiat, ſive non capiat (ut verbis utar D. Auguſtini) dico, V. Ram., non potuiſſe Lulliſtas intelligere, & ſuum defectum, quem poſſidet in ſe ipſo, injuſtè illis attribuit, quia bene poteſt eſſe, quòd aliquis ſciat aliquid explicare, & alius non poſsit intelligere propter aliquod impedimentum; & ſic, ſi V. Ra. veræ Philoſophiæ apicem poſsidet unicum, clarè ſe videbit captam in laqueo, quo capere Lulliſtas volebat. Dignetur ergo ſcire, aliud eſſe *actum*, & aliud *actionem*, ſicut aliud eſt cauſa, & aliud eſt effectus ſecundùm veram Philoſophiam, &, cùm actio ſit causa actûs, & actus ſit effectus illius, ideo actus & actio non debent confundi; ſed, ablatâ confuſione, cauſalitate, & dependentia, debent perfectè & diſtinctim in Deo intelligi: unde dico, quòd Bonitas eſt pulcherrima Divinę Trinitatis imago; nam, ſicut in Divina Trinitate eſt Pater, qui eſt infinita Actio à nullo procedens, & Filius, qui eſt infinita Paſsio ſolùm ab infinita Actione procedens, & Spiritus S., qui eſt Actus procedens ab utraque; & iſti tres ſunt una ſola Eſſentia una ſola Deitas; ſic in *Bonitate* eſt *Bonificativum*, quod eſt actio à nullo procedens, & *Bonificabile*, quod eſt paſsio procedens à ſolo *Bonificativo*, & *Bonificare*, quod eſt actus procedens ab utroque, & iſta tria ſunt una ſola eſſentia una ſola *Bonitas*. Item: ſicut Bonificativum eſt potentia, & *bile* eſt objectum, & *are* eſt actus, qui oritur ab utroque, quia ab objecto & potentia paritur notitia, taliter, quod objectum non paritur à notitia, ſed notitia ab objecto ſecundùm veram Philoſophiam; ita in Divina Trinitate Pater eſt infinita potentia, Filius eſt infinitum objectum, & Spiritus S. eſt infinitus actus ſive notitia orta ſive procedens ab utroque, taliter, quod, ſicut objectum non paritur à notitia, ſed è converſo, ita Filius non procedit à Spiritu S., ſed è converſo. Quid ultra? Ubi eſt illud hæreticos ſuæ fidei imaginationis ſpectrum?

Dicet V. Ra., hinc adhuc alias oriri difficultates, quod non ignorant Lulliſtæ; ſed

ſed prima oppoſita ût invincibilis, jam, Deo dante, manet ſufficienter ſoluta; & ſic pro aliis difficultatibns ſolvendis conſilium do V. Rę., ût priùs veram diſcat Philoſophiam, quę eſt veræ Theologiæ imago, & poſtea humiliter quærat, & charitativè, & patienter dabitur ipſi poſsibilis explicatio; quia eſt impoſſibile totum in hoc altiſsimo & profundiſsimo Myſterio explicari; & ideo, ego & omnes alii Lulliſtæ V. Ræ. conſilium non ſpernentes, noſtrum captivabimus intellectum confitentes, iſtud Myſterium, nedùm à viatoribus, verùm à Beatis incomprehenſibile eſſe. At, conſilium dare, ut non inveſtigetur hoc Myſterium modo Scholaſtico propter periculum errandi contra Eccleſiam, hoc eſt arguere de temeritate SS. Eccleſiæ Doctores ſupra citatos & omnes Theologos Scholaſticos, quod nedùm eſt periculum errandi, verùm & ipſe error noviſsimus & pejor prioribus, ût per ſe patet.

V. PARS, ET EJUS I. OBJECTIO.

LULLISTÆ aſtruunt iſtam Maximam, vel Generale Principium ſuæ Scholæ, hoc eſt, omnia Attributa Dei eſſe æqualia in Virtute, & operatione. Quòd ſint æqualia in Virtute abſoluta, vel quantùm ad entitatém, jam dicunt hoc omnes Theologi; (multùm legiſſe debebas, ut hoc ſcires) at, quòd ſint æqualia in Virtute reſpectiva, vel quantùm ad terminos creatos, vel creabiles, quos reſpiciunt; hoc negant cæteri omnes Theologi, & ſpecialiter, quod ſint æqualia in operatione. Et ita ex Maxima Lulliana inferuntur multi errores, & abſurda, quæ non vidi (nec videbis cum tuis lividis perſpiciliis) ſciri evitari à Lulliſtis. Primò infertur: quòd, ſi Intellectus Dei, & ejus Omnipotentia ſunt æquales in Virtute reſpectiva: ergo Deus poteſt facere vel producere totum, quod intelligit; atqui Deus intelligit mendacium, peccatum, errorem, dolum, &c.: ergo Deus poteſt facere vel producere iſta omnia, quod dicere hæreticum eſt.

RESPONSIO.

AD 1. dico, Lullianam Maximam esse verissimam, quia omnia Dei Attributa sunt infinitè æqualia in omni Perfectione tam absolutâ, quàm relativâ sive respectiva, & sic etiam in Virtute respectivâ, quæ etiam est Dei Attributum. Ingenuè autem fateor, me ignorare, quid circa hoc dicant omnes Theologi, quia illos nec legi, nec potui legere, non enim fuit necesse, Deum in me hoc miraculum fecisse; hoc non obstante, cùm scientia magis conveniat cum scire, quid debeat verè dici, quàm cum scire, quid dicatur; respondeo ad V. Rę. dictum: *In Virtute respectiva, vel quantùm ad terminos creatos & creabiles, quos respiciunt, negant cæteri omnes esse æqualia, & specialiter in operatione*; & dico, quòd, si virtus respectiva Dei est idem, quod termini creati, etiam dicunt Lullistæ, terminos creatos esse inæquales; & sic, si istam admitterent suppositionem, deberent dicere, Virtutem Dei respectivam, etiam esse inæqualem; sed, cùm in hoc contradictio sit manifesta: scilicèt, quòd termini creati essent Deus, & non essent Deus; in primis non essent Deus, ût omnes pueri sciunt, quia Deus non est creatus; deinde essent Deus, quia essent Virtus respectiva Dei, quæ Deus est: ergo cùm hoc sit impossibile, non potest dici, respectivam Dei Virtutem esse terminos creatos; sed, talem Dei Virtutem ipsum esse Deum, & terminos creatos, ipsius Virtutis esse effectus. Et sic dicunt Lullistæ, Virtutem respectivam Attributorum Dei, & ipsa Attributa, non solùm esse æqualia, sed esse ipsam Æqualitatem, & æqualiter ex se & propter se ad suos effectus influere, ita ut de illa influentia æquali, qui potest capere capiat, ut inæqualitas ex parte recipientis, & non ex parte dantis se habeat.

Hoc patet in virtute ignis, quæ æqualiter lignis viridi, & sicco applicata inæqualiter ab illis recipitur, cùm siccum statim calefiat & ignificetur, viride autem, nequaquam, patet etiam in sole æqualiter suam virtutem, lucem, & influentiam in omnia sub-

ſublunaria emittenti, quorum alia generantur, & alia corrumpuntur, alia illuminantur, ût dyaphana, & alia non, ût opaca, quin ex iſta inæqualitate poſsit argui inæqualitas in virtute reſpectiva ſolis, nec in ſua Bonitate, nec in ſua Magnitudine, nec in aliis ſolaribus attributis; & ratio eſt, quia ſol nil de ſua ſolari eſſentiâ in ſublunaria influit, & ſic ſemper immutatus in ſua manet æqualitate; altiùs diſcurratur in Divinis Attributis in ſua operatione ad extra & Virtute reſpectivâ, modo quo poteſt dici talis, quę æternaliter æqualia & invariabilia manent, quamvìs omnes termini creati inæqualificentur, mutentur, & totaliter deficiant; & ratio eſt, quia Divina Attributa in terminis creatis nil de ſuo Eſſe, & Eſſentia attributali producunt.

Quantúm ad errores, & abſurda, quæ non vidit V. Ra. à Lulliſtis evitari, dico, quòd fleat ſuper ſe, & ſuos purificando oculos & ſimplificando fortaſſe videbit, & videndo, ſuam priſtinam mirabitur cæcitatem, & Lulliſtas per omnimodam Æqualitatem in Divinis Attributis aſſertam tam in Eſſe, quàm in Operari, tam ad intra, quàm ad extra, ipſa defendere Attributa ab omnibus erroribus & abſurdis, quæ V. Ra. ipſis Attributis affigere per ſuam falſam imaginationem prætendit. Quare dico, quòd, cùm Intellectus & Omnipotentia Dei ſint æquales in Virtute reſpectiva, (ſic loquendo) Deus poteſt facere, quidquid intelligit, & hoc eſt veriſsimum, & non poteſt aliter eſſe; quia intelligere Dei ad extra eſt facere; ſed debet intelligi ſicuti eſt; nam intelligere duos habet actus, ſcilicèt affirmare, & negare, ſicut velle etiam duos habet, ſcilicet amare & odire: affirmare eſt circa eſſe, & negare eſt circa non eſſe; ſicut amare eſt circa bonum, quod eſt eſſe, & odire eſt circa malum, quod eſt non eſſe: unde dico, Omnipotentiam Dei omne illud facere, quod Divinus Intellectus intelligit affirmando, & nil facere de omni eo, quod ipſe Divinus Intellectus negando intelligit, ſicut nil facit de eo, quod Dei Voluntas odit; &, cùm Divinus Intellectus mendacium, peccatum & cætera mala moralia negando intelligat; ideo Divina Omni-

potentia nil de iſtis facere poteſt; & ſic Intellectus Poteſtas & Voluntas Dei æqualiſsimè circa malum morale ſe habent, in quo Intellectus Dei nil intelligit, Poteſtas nil poteſt, h. e., poſsificat, & Voluntas nil vult. Videat V.Ra., quid ſit odium Dei, & an ſit realiter in ipſo, vel ſolùm per noſtrum debilem modum intelligendi; & pariter de Divini Intellectûs negatione diſcurrat; adhuc clariùs, ſicut malum morale nullam recipit influentiam à Divina Voluntate, nec à Divina Poteſtate, ita æqualiter, nec à Divino Intellectu. Quid clarius & facilius Chariſsime? Multa alia eſſent dicenda; ſed ſum contentus, quod ſufficit ad ſolutionem tam magnæ & inſolubilis objectionis dixiſſe.

II. *OBJECTIO.*

SEcundò infertur, quòd Deus ſolùm poteſt cognoſcere illud, quod poteſt facere, vel producere; ſed Deus non poteſt facere vel producere omnes operationes poſsibiles creaturarum; quia iſtę in cœlo, & in inferno ſucceſsivè duraturæ ſunt in æternum ſinè fine, vel quin poſſit eſſe ultima operatio; quia, ſi poſſet aſsignari ultima operatio, jam gloria & pœna æterna non eſſet ſinè fine, quod hæreſis eſt dicere: ergo nec Deus poteſt intelligere omnes operationes poſsibiles creaturarum, quod etiam eſt error manifeſtus.

RESPONSIO.

AD 2. dico, Deum ſolũ poſſe illud cognoſcere, quod poteſt facere, ſicut jam dictum & explicatum eſt, nec plùs, nec minùs; quia impoſsibile omninò eſt terminum creabilem, influxum à Divino Intellectu recipere, quin pariter illud à Divina Poteſtate & Voluntate, & cæteris Dei Attributis recipiat, ut, ſicut à Divino Intellectu recipit intelligibilitatem, ita pariter recipiat poſsibilitatem à Divina Poteſtate, & amabilitatem à Divina Voluntate; ſicut è converſo, impoſsibile omninò eſt, Intellectum Dei Judę ſalvationum intelligere, quam Divina Poteſtas non poſsificat, nec Divina Voluntas vult; & ideo, conceſſa majori, negatur mi-

minor, quia ſinè Deo nil poteſt facere creatura, & ſic Deus omnes operationes poſſibiles omnium creaturarum operatur, ſicut ipſas intelligit & vult, quin inde ſequatur, tales operationes eſſe infinitas & æternas, quia ſolus Deus eſt infinitus & æternus; & licèt tales operationes ſint finitæ & non æternæ, erunt æviternales in cœlo, & in inferno, h.e., durabunt ſemper in termino, quia Dei Æternitas illas conſervabit intelligendo & operando æternaliter. Quis ſapiens & intelliget hæc? ille, qui æviternitatem per figuram non menſurat; nam æviternitas non habet unam partem poſt aliam ſicut tempus, vel potiùs, figura ejus; & ille, qui falsâ non utitur imaginatione ad cognoſcendum illud, quod nullatenùs eſt imaginabile: quare V. Ræ. dicó, quòd in æviternitate, quæ eſt duratio ſinè motu, per quam res æviternatæ ultimo in termino durant, non eſt præteritum, nec futurum, nec primum, ſecundum &c., nec illa ſucceſsio, quam V. Ra. imaginatur; quia in æviternitate omnia manent ſemper præſentia in eodem ſtatu ſinè mutatione, alteratione, & amiſsione, quas videmus, & in iſtis rebus temporalibus & corruptibilibus imaginamur; & ſic ſuam falſam exuat imaginationem, & æviternitatis conditiones intelligat, & melius capiet verbum hoc.

III. OBJECTIO.

TErtiò, ſi Voluntas & Omnipotentia Dei ſunt æquales in Operatione, ſequitur, quòd Deus ſolùm vult, quod facit: ergo Deus non vult ſalvationem omnium hominum, quia non ſalvat omnes; quod eſt unus error contra illam ſententiam D. Pauli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.*

RESPONSIO.

AD 3. Dico, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, ſed non velle omnes homines ſalvos facere, quia ſi hoc vellet, in defectibiliter faceret; nam omne id, quod Deus vult per ſe ſolum facere infallibiliter fit; ſed multa vult Deus per cauſam ſecundam liberam fieri, quæ non

non fiunt, quia ipſa cauſa libera deficit in faciendo; v. g.: Deus vult omnes homines *ad agnitionem veritatis venire*, & V. Ra. pro viribus & poſſe ſuadet illis, ut cum bona Fide maneant in ignorantia Veritatis, & Lulliſtæ cum IL. Doctore, & D. Auguſtino, & S. Anſelmo, & aliis, ſuadent contrarium, ut ſcilicèt Veritatem, quam firmiter credunt, agnoſcere ſtudeant; nunc quæro: quis horum facit magis voluntatem Dei? Dico itaque, quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri immutabiliter quantùm eſt ex ſe, ſed mutabiliter ex parte hominum, & hoc ſic: quando Deus hominem creat, Voluntas Dei dat ipſi homini voluntarem, ut velit ſalvari, & Poteſtas Dei dat ipſi poteſtatem, ut poſsit ſalvari; ſed, quia Juſtitia Dei petit, quòd homo liberè, & non coactè ſalvetur, ideo Divina Libertas dat ipſi libertatem, ut liberè velit, & æqualiter liberè poſsit ſalvari; & ideo ſemper & quando homo operatur ſecundùm naturam ipſius voluntatis, & poteſtatis, quas habet à Deo cum cæteris donis, manet in via ſalvationis; ſed quando peccat mortaliter contra naturam ejuſdem voluntatis & poteſtatis, & contra alia dona, liberè exit à via ſalvationis; & ſic ipſe homo immutat in ſe ipſo illam influentiam Voluntatis Poteſtatis &c. Dei, quæ influentia in ſe eſt immutabilis; & inde provenit, quòd licèt Deus vellit omnes homines ſalvos fieri, tamen multos non ſalvat, nec vult ſalvare; ſcriptum eſt enim: *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſinè te*; hoc eſt, quia homo debet efficaciter & liberè hoc velle, ut verificetur de quocumque damnato, quòd potuit ſalvari, & noluit. Unde ſequitur, quòd, ſicut Voluntas Dei vult, ſic æqualiter facit ſua Omnipotentia, & quantum vult Voluntas, tantum facit Omnipotentia; ſcriptum enim eſt de Deo: *Omnia quæcumque voluit fecit*; & ſic omne quòd vult Divina Voluntas, æqualiter poſsificat Divina Poteſtas, ſive poſsibilitat, & ſolùm non poteſt, ſive non poſsificat Divina Poteſtas id, quod Dei Voluntas non vult.

Tota ratio confirmatur ab univerſali Sydono Affricana 25. ab Aurelio congregata, ubi lecta fuit Confeſsio Leporii, & ſubſcripta ab Au-

re-

relio, Auguſtino, Florentio, & Secundo, ut ipſa Confeſſio Synodo tribueretur univerſali, & pro dogmatica Epiſcoporum Definitione haberetur; in qua Confeſsione ſic habetur: *Credo planè Deum hoc unum non poſſe, quod non vult. Si naſci voluit, quod Deus voluit, certiſsimè credo, quia potuit.* Et adhuc clarius S. Maria Magd. de Pazzis Lib. de Divin. Intell. Deo loquens f. 273. n. 2. ſic ait: *Si velles quemlibet ſalvare poſſes; velle autem non vis, nec poſſe, quoad effectum, nisi nos velimus.* Ubi notetur ly *quoad affectum*, qui ſolus eſt mutabilis, ût ſupra explicatum eſt, de neceſſitate, & impoſsibilitate creaturarum, quæ non intrant in Deum, ut ejus Poteſtatem impediant, vel expediant, ac ſi Divina Poteſtas eſſet in ſola potentiâ, & per creatam neceſsitatem, & poſsibilitatem teduceretur ad actum, & è converſo impediretur exire in actum per creaturarum impoſsibilitatem, quod minimè poteſt eſſe ita, quia Divina Poteſtas, ſicut omnia Dei Attributa eſt æternaliter ſinè novitatis additione actualis, quando producit ad extra, cùm totus Deus ſit actus puriſsimus; & ſic prædicta magna difficultas manet ſoluta, ſalvâ omnimodâ Divinorum Attributorum Æqualitate.

IV. OBJECTIO.

SI Intellectus Voluntas & Omnipotentia Dei ſunt æquales in Operatione, ſequitur, quòd Deus vult, & facit totum hoc, quod intelligit; ſed ſic eſt, quòd Deus non ſolùm intelligit præſentia, præterita, & futura, ſed etiam omnia poſsibilia, quę numquam exiſtent: ergo Deus vult & facit omnia poſsibilia, quæ numquam exiſtent; quod eſt error contradictionis. (certè eſt error contradictionis tuę ſuppoſitionis.) Nisi ſit, quòd dicant Lulliſtæ, quòd Deus non poteſt facere plùs, quàm fecit, facit, & faciet; at hoc eſt negare Omnipotentiam Dei.

RESPONSIO.

AD 4. dico, iſtam eſſe objectionem valde terribilem pueris neſcientibus poſsibilitatem ſalvationis Judæ ex-

extitiſſe ; quando Judas adhuc poterat ſalvari, licèt actualitas talis ſalvationis numquam extiterit, nec ſit aliquando extitura ; & ſic ipſa ſuppoſitio objectionis eſt error contradictionis, quia ſupponit eſſe, quod eſt nil, & non eſſe, quod eſt, ſive non exiſtere, quod exiſtit, &, cùm omne poſsibile, quando eſt poſsibile, ſit aliquid poſsibile exiſtens ; ideo poſsibilia numquam extitura contradictionem implicant. Pro clariori intelligentia vera docet Philoſophia, quòd ens reale poſsibile tripliciter exiſtit, ſcilicèt potentialiter in materia, ſive in genere, de quo fit ; habitualiter in formâ, ſive in ſpecie, de qua ſpecificatur ; & actualiter, ſive in individuo, quod eſt ipſum ens actuale de ſua propria materiâ & formâ procedens ; & quidquid non exiſtit in aliquo ex his tribus, in ſe nil eſt ; & conſequenter adhuc poſsibilitatem non habet nec aliqualiter in ſe exiſtit, licèt Deus Poteſtatem habeat talem poſsibilitatem ex nihilo producendi ; v. g. : Antichriſtus nunc jam exiſtit potentialiter, quia materia, ſive genus, de quo fiet jam actualiter eſt, & quando iſta materia erit habita & ſpecificata in ſuis parentibus, tunc erit, ſive exiſtet habitualiter, & quando ſuum eſſe erit genitum tunc actualiter erit ; ſed antequam hæc omnia exiſterent, Antichriſtus nil erat, quia Deus adhuc illius poſsibilitatem ſuis in principiis non fecerat, licèt Deus, cùm eſſet ſolus ante omnem creatam poſsibilitatem, æternalem haberet Poteſtatem ipſam poſsibilitatem ex nihilo producendi. Sic exiſtunt poſsibilia, quæ per generationem fiunt, ſed quæ fiunt à Deo immediatè ex nihilo, ſimul & ſemel poſsibiliter & actualiter exiſtunt.

Quibus perſpectis, dico, quòd, cùm Intellectus Voluntas & Omnipotentia Dei ſint in operatione æquales, Deus vult & facit quidquid affirmativè intelligit, nec plùs nec minùs : unde ſequitur, quòd omnia præterita, præſentia & futura æqualem dependentiam habuerunt, habent, & habebunt ab Intellectu Poteſtate & Voluntate Dei ; ſed poſsibilia, quæ numquam extiterunt, nec exiſtunt, nec exiſtent, nullam dependentiam nec influentiam habent à Deo, quia nil non indiget Deo, ut ſit

nil

nil, & cùm talia poſsibilia reverà ſint nil, ut explicatum eſt, ideo Deus illa non intelligit, nec vult, nec poteſt; nam, quidquid Deus intelligit vult & poteſt, neceſſe eſt aliquid eſſe; & ſic quamvis Omnipotentia talia non faciat poſsibilia, per hoc non tollitur, quia impoſsibile eſt; quòd patiatur defectum per non facere nil: unde videtur, prædictam terribilem objectionem eſſe nil, vel ſi placet, unum ex poſsibilibus non exiſtentibus, & quæ numquam extiterunt, nec exiſtent.

V. OBJECTIO.

SI eſt neceſſe, quòd Voluntas & Intellectus Dei ſint æquales in Operatione, ſequitur, quòd Deus non poteſt deſinere ſive omittere velle, & facere totum, quod intelligit: ergo Deus non habet libertatem contingentiæ, vel indifferentiæ ad extra, hoc eſt, non poteſt velle, vel non velle, nec poteſt facere, vel non facere illud, quod intelligit ad extra; atqui hoc eſt unus error aliquorum antiquorum Philoſophorum, quem condemnat S. Scriptura, & S. Eccleſia, quia tales Philoſophi dicebant, quòd prima Cauſa non erat libera, ſed neceſſaria in omnibus ſuis operationibus: ergo &c.

RESPONSIO.

AD 5. poſteà reſponſurus, priùs neceſſariam Æqualitatem Divinorum Attributorum in ſua Operatione ad extra ſic demonſtrativè oſtendam: ſi Divina Poteſtas plùs poſſet, & Divinus Intellectus plus intelligeret ad extra, quàm Divina Voluntas vult; ſequeretur, quòd Divina Voluntas eſſet minor in volendo, & quantùm plùs Poteſtas haberet depoſſe, & Intellectus de intelligere, tantùm Voluntas de defectu ſive carentiâ volendi haberet. Et, ſi Poteſtas plùs poſſet, & Voluntas plùs vellet, quàm Dei Intellectus intelligit, ſequeretur, quòd Intellectus Dei eſſet minor in intelligendo, & quantùm plùs Poteſtas haberet de poſſe, & Voluntas de velle, tantum Intellectus Dei de ignorare haberet. Et, ſi Voluntas Dei plùs vellet, &

Intellectus plùs intelligeret, quàm Poteſtas poteſt, ſequeretur, quod Poteſtas Dei eſſet minor in poſſendo, & quantum plus haberet Voluntas de velle, & Intellectus de intelligere, tantum Poteſtas de non poſſe, ſive de impotentia haberet; ſed hæc omnia ſunt impoſsibilia: ergo neceſſarium eſt, Poteſtatem Intellectum & Voluntatem Dei eſſe omnino æquales in operando ad extra. Nunc ad objectionem dico, quòd in Deo non eſt libertas contingentiæ, quia ipſe eſt Ens ſummè & infinitè neceſſarium, infinitè ab omni diſtans contingentia; & cùm etiam ſit Ens ſummè & infinitè liberum infinitè diſtans ab omni coactione; quia Divina Neceſsitas eſt ipſa Divina Libertas; ideo, licèt Deus neceſſariò velit & faciat omne illud, quod affirmativè intelligit ad extra; aliter ſequeretur manifeſta contradictio, quia, quod Intellectus Dei intelligit affirmando eſt hoc ipſo aliquid habens eſſe per ipſum Intellectum Dei; ſed impoſsibile eſt, quod ſit tale eſſe, ſi Dei Voluntas illud nolit, & Dei Poteſtas ipſum non poſsificet: ergo quidquid Dei Intellectus affirmando intelligit, ejus Voluntas vult, & Poteſtas neceſſariò poſsificat; & tamen hoc totum vult, & liberè facit. Sicut, licèt Pater, & Filius non poſſint S. Spiritum non ſpirare, tamen liberrimè ipſum ſpirant; & totum hoc nullam habet concernentiam cum errore dictorum Philoſophorum tollentium Libertatem à Deo, imò totaliter dicto errori opponitur.

CONCLUSIO OBJECTIONUM.

VIdeant ergo Lulliſtæ, quomodò incidant in graviſsimas difficultates cupientes vitare communes, & quòd ſic non deſtruant dubia & opiniones, imò ſe ponunt in periculo graviſsimorum errorum. Et ita, nè Scrutando de profundo Dei eant in profundum inferni, (*da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam*, quia per hanc viam non itur ad infernum) captivent ût boni Catholici (& meliores, quàm tu in via Fidei & Veritatis) ſuos intellectus in obſequium Fidei. Amen.

CON-

CONCLUSIO RESPONSIONUM.

VIdeat ergo V. Ra., quomodò illa altitudo & difficultatum elatio, quam inſuperabilem imaginabatur, jam ſit depreſſa, & qualiter illa dubiorum gravitas jam ſit reſoluta in vapores, & redacta in nihil; &, ſi oculari ſimplicitate id inſpicere non dedignatur, lucidum totum rei judicatę corpus videbit, & totam tenebroſitatem apparentem ex obſcura ignorantia & falſa imaginatione provenire. Quare ipſum Charitativè admoneo, ut tandem magis viriliter agat, & non ita pueriliter, & ante ſimplicem apprehenſionem nolit facere judicium, & quod pejus eſt, præjudicium pluribus forſan innocentibus, quod eſt non parum timendum. Scio equidem plures tum Catholicos, tum hęreticos perſecutos fuiſſe gratis, & Lullianam Doctrinam, & Lulliſtas impugnaſſe; quia diabolus procurat ſemper per ſua inſtrumenta perficere, quod per ſe ſolum contra illam, & illos, poſſe fieri, non ſperat; ſed illi inimici, etsi non Religioſi, uſi ſunt ſuâ inimicitiâ magis modeſtè, & minùs irreligiosè, magis honeſtè, & minùs indecenter, & magis prudenter, (ſi fas eſt dicere) & minùs impudenter, quare, ſi ipſi maledixerunt nobis, poſſumus utique ſuſtinere; tu vero! &c. Ubi quæſo eſt humilitas, fidelitas & Charitas tam debitæ noſtræ Profeſsioni? Ego quidem ex corde ipſi parco, & Deum rogo, ut omnibus parcat, ne debeamus nos Lulliſtæ *de profundo Dei ire in profundum inferni*, &, ut V. Ra. iram Dei, & B. Raymundi ultionem non debeat experiri; ſed de tenebris miſeriæ mediante veritatis lumine ad æterni luminis veritatem aſcendat. Amen.

Omnia Correctioni S. R. Eccleſię, ût juſtum & debitum eſt, ſubjicio.

4 Ecce duos terribiles Judices tamquam duos gladios hìc, quos ſatis judico: unum contra Lullianam Artem expreſsè, illam intendens radicitùs amputare, ût omnino vanam & inutilem, & alterum contra Artiſtas, illos interimere conans ût errantes & ſeductores; ſed hujus Judicis Anonymi eſt admirabilis inconſequentia, quia Lullium

Beatum ſupponens & cœlitùs illuminatum, & ejus Artem à Deo datam, hinc tamen infert ſectatores illius, eſſe ſeductores, & graviſsimis erroribus obnoxios, & conſequenter non convenire, talem Artem alicubì doceri; quo, quid abſurdius? Si enim Ars eſt *bona*, *utilis & neceſſaria*, ex eo præcisè, quòd ſit data à Deo, qui abhorret malum, inutile, & ſuperfluum: unde poteſt Lulliſtis tanta nequitia, & dolus provenire? Hoc certè non poteſt provenire ab Arte, quia Arbor bona non poteſt malos fructus facere juxta infallibile teſtimonium Chriſti; &, ſi ita eſt, quare non erit conveniens, iſtam Arborem ubique plantari, ſi non poteſt nisì bonos facere fructus? Et, ſi iſta Ars ſemper bonum Opus operata eſt, ût prædicat bonitas ipſius Operis Lulliani; ut quid ipſi eſt tam moleſtus alius Adverſarius, tamquam rei omnino vanæ & inutili? Et, ſi iſti duo Adverſarii diſcordant in uno, quare in alio conveniunt?

5 Hoc rectè obſervatum eſt in B. Raymundi, & ipſius divinæ Artis Adverſariis, quòd ſcilicèt omni vi crimen ipſis imponere conantes, ſolent convenire ſicut illi duo Preſbyteri Judices contra caſtam Suſannam *ſub ſchino*, & *ſub prino*. Daniel. c. 13. Timeant ergo, quòd Deus alicujus Danielis Spiritum exciter, qui eos rectiùs judicet, quia nil eſt occultum, quod non revelabitur, & metuant vindictam ab ipſomet B.Raymundo inſinuatam in Lib. Contempl. c. 366. Parte 4. §. 27. ubi ait: „ Hoc „ Opus, cùm non ſit meum nec „ à me in rebus, in quibus eſt „ bonum: unde benedictus ſis „ tu Domine Deus; quia, ſi ego „ & omnes, qui promovebunt „ hoc Opus ſumus adeò obli„ gati ad agendum tibi gratias „ pro ipſo, quanta erit indig„ natio, quam tu debes habere „ in illos, qui falſa intentione „ & falſis rationibus & *invidia* „ erunt contrarii huic Operi „ & bonis, quæ poſſunt eveni„ re per ipſum? Et §.28.: Mi„ ſericors Domine plene Miſe„ ricordiâ & pietate, à quo ve„ niunt omnes gratiæ & omne „ bonum! In quantum iſtud „ Opus eſt majus & melius & „ ego ſum homo vilis & miſer „ & pauper in omnibus bonis, „ in tantum ſum plùs obligatus „ ad agendum tibi gratias, & in „ tantum meliùs apparet ipſum „ eſſe plùs tuum, quàm meum

in

„ in bono, quod in eo eſt, & ſi „ forte in hoc Opere ſit aliquis „ error, videtur eſſe meus & „ non tuus; quia, ſi ego eſſem „ homo magnæ ſapientiæ & „ magnæ authoritatis, non ita „ bene & diſtinctè ſignificare„ tur bonum hujus Operis eſſe „ à Te, & malum ſi in eo eſt, eſ„ ſe à me, ſicut nunc quando „ ſum homo vilis & miſer pec„ cator culpabilis & ſinè ulla „ authoritate & honoratione: „ igitur, cùm tu Domine hoc „ ita volueris ordinare & de„ monſtrare, caveant ſibi mor„ ſores & reprehenſores veri„ tatis laudatores falſitatis nè „ veniant ad mordendum & re„ prehendendum iſtud Opus „ Contemplationis, quia, ſi „ hoc faciant erunt contra „ tuam Voluntatem & contra „ tuam ordinationem, per quam „ contrarietatem vadit homo „ ad perdurabilia tormenta.

Et §. 29.: „ Tuus ſervus „ totaliter confidit in tua Po„ teſtate & Sapientia & Vo„ luntate, quòd cuſtodiant & „ defendant iſtud Opus à ma„ lignis reprehenſoribus, & „ tu ex eo facias id, quod po„ teſt tua Poteſtas & ſcit tua Sa„ pientia eſſe ad gloriam & lau„ dem & honorationem & ho„ norem tuæ amoroſæ Volun„ tatis, quę amat honorationem „ & honorem tuæ Poteſtatis & „ Sapientiæ; ſed, quando ego „ Domine iſto modo Spei volo „ aſſecurari de hoc Opere, & „ mens intellectus intelligit, „ quòd mihi tantum valeat ſi„ ve promoveatur ſive non, „ tunc venit mea voluntas, quę „ ita vehementer amat tuam „ honorationem, quòd non poſ„ ſit eam ſatiare mea Spes nec „ meum bonum, quia fidelis „ amator adeò debet amare „ honorem ſui Amati, quòd „ non ei ſufficiat habere ſuum „ præmium pro magna volun„ tate, quam habet faciendi, „ quòd ſuus Amatus habeat „ honorationem & honorem.

Et §. 30.: „ Juſte Domine! „ ſenſualiter ſentimus & intel„ lectualiter intelligimus quòd, „ ſicut culter non eſt contem„ nendus propter ferrarium, „ qui eum fecit quouſque vi„ deatur ipſum non eſſe aptum „ ad ſcindendum, ita iſtud „ Opus non ſit contemnendum „ propter me quouſque videa„ tur malum & erratum: igitur, „ qui iſtud Opus volet contem„ nere & deſtruere, intelligat „ meam intentionem, quæ in „ eo non eſt dare damnum ali„ cui, imò eſt dare laudem tibi „ & exaltationem S. Eccleſiæ

„ Ro-

„ Romanæ; & aſpiciat bonita-
„tem Rubricarum (Titulorũ)&
„ attendat an probent id, quod
„ ſignificant; & quod in hoc
„ Libro eſt malum, ſi aliquid
„ eſt, auferat, & melioret id,
„ quod meliorari poteſt, &
„ relinquat id, quod eſt bonum,
„ & quod nullum damnum dat
&c. Hæc B. Raymundus. Quod ipſum, utpotè in tanta ratione & æquitate poſitum humillimè expoſtulo ab omnibus tam amicis, quàm inimicis, quod, ſi debitè obſervetur, non dubito, quin omnes in fine ſimus concordaturi; & cùm finis neceſſariò concordet cum medio & principio, & è converſo; concordantia ipſius finis demonſtrabit medii & principii neceſſariam concordantiam, ita ut, ſi in uno concordemus, etiam in aliis debeamus concordare. Et, ſi Concordiâ res parvæ creſcunt, ût patet in Generatione; inde infallibiliter ſequitur, quòd Contrarietate res magnæ decreſcunt, ût docet experientia in Jure, & Medicinâ; quantum igitur augmentum debet ſperari in omnibus Scientiis particularibus, ſi concordentur cum & in unica Univerſali Scientia Lulliana, à qua ſolâ poteſt particularibus incrementum provenire?

CAPUT IV.

DE DISCUSSIONE EJUSDEM AUTHORIS ſuper ſuam eruditam Epiſtolam.

§. 1. *de Littera textûs.*

LO que decìmos en la Carta antecedente del Arte Magna de Raymundo Lulio no obſta à que ſu Author merezca aplauſos por otros capitulos. Son muchos los Authores, que refieren, que padeciò Martyrio por la Feè haviendo ido à predicar à la Africa. Los de Mallorca le veneran como Santo. En quanto à la amplitud de Doctrina tiene varios panegyriſtas. Es cierto que eſcrivió muchos Libros ſobre diferentes materias. Fue Theologo, Philoſopho, Medico, y Chimiſta, ſiendo reputado comunmente por

por Reſtaurador de la Chimia, ò por mejor decir, Fundador de ella en Europa, haviendola aprẽdido con el commercio de los Arabes. Creo no ſe le puede negar haver ſido hombre de algo de eſpecial ingenio, aunque mas ſubtil, y traviesſo, que ſolido. Pero no convendrè con el dictamen de Lauſio (citado por Thomàs Pope Blount) que le llama hominem ſtultiſſimè ſubtilem. La pureza Theologica de ſu doctrina eſtà en controverſia. Nicolàs Eimerico en ſu Directorio de Inquiſidores, refiere, que el Papa Gregorio XI. haviendoſele delatado por el miſmo Eimerico mas de docientos errores hallados en veinte Libros de Raymundo Lulio eſcritos en lengua vulgar, por Bula expedida à 25. de Enero de 1376. condenó todos los articulos delatados como erroneos, y hereticos.

Niegan otros, que jamàs ſe haya expedido tal Bula, y defienden à Lulio como puro en la doctrina. Moreri nota muy bien, que algunos Authores, que abſolutamente le tratan de herege, pudieron equivocarſe con otro Raymundo Lulio llamado por renombre Neophito, el qual ſe convirtiò del Judaiſmo, que profeſſaba à la Religion Catholica; pero deſpues bolviò à judaizar, y añadiò à los errores del Judaiſmo otros muchos enormiſsimos. Y como quiera, aun quando nueſtro Raymundo huvieſſe caido en varios, y graves errores, nunca, ſin grave injuſticia, puede ſer tratado como herege, pues faltó la pertinacia. Porque entiendo, que los eſcritos de Raymundo Lulio, ya ſon mui raros, advierto, que quien quiſiere enterarſe de lo que es ſu Arte Magna, hallarà en Gaſſendo (T. 1. Philoſoph. Lib. 1. de Log. cap. 8.) una exacta analyſis de ella.

Latinè 1.: Quod diximus in Epiſtola antecedente de Arte Magnâ Raymundi Lullii non obeſt, ut illius Author mereatur applauſus per alia capitula. 2. Sunt multi Authores referentes ipſum paſſum fuiſſe Martyrium propter Fidem, cùm iviſſet ad prædicandum in Affrica. 3. Majoricenſes venerantur ipſum ût ſanctum. 4. Quantùm ad amplitudinem ſuæ Doctrinæ habet varios panegyriſtas. 5. Certum eſt, ipſum ſcripſiſſe plures Libros ſuper diverſas ma-

materias. 6. Fuit Theologus, Philoſophus, Medicus, & Chimiſta, cùm eſſet reputatus communiter Reſtaurator Chimiæ, vel, ut meliùs dicatur, Fundator illius in Europa, cùm illam didiciſſet cum commercio Arabum. 7. Credo, non poſſe ipſi negari fuiſſe hominem alicujus rei, ſpecialis ingenii, quamvis magis ſubtilis, & tranſverſi ſive tortuoſi, quàm ſolidi. 8. At, non conveniam cum dictamine Lauſii (citati per Thomam Pope Blount) appellantis ipſum, hominem ſtultiſsimè ſubtilem. 9. Puritas Theologica Doctrinæ ejus eſt in controverſia. 10. Nicolaus Eimericus in ſuo Directorio Inquiſitorum refert, Papam Gregorium XI., cùm ipſi delati eſſent per ipſum Eimericum pluſquàm ducenti errores inventi in viginti Libris Raymundi Lulli ſcriptis in lingua vulgari, per Bullam expeditam 25. Januari 1376., condemnaſſe omnes Articulos delatos ût erroneos & hæreticos. 11. Negant alii umquam fuiſſe expeditam talem Bullam, & defendunt Lullum ût purum in Doctrina.

12 Morerius bene notat aliquos Authores ipſum abſolutè tractantes ût hæreticum, potuiſſe ipſum æquivocare cum alio Raymundo Lullio cognominato Neophito, qui ex Judaiſmo, quem profitebatur, fuit converſus in Catholicam Religionem; ſed poſteà redivit ad judaizandum, & addidit erroribus judaiſmi alios plures enormiſsimos. 13. Et quomodocumque ſit, quamvis noſter Raymundus cecidiſſet in varios & graves errores, numquam, ſinè gravi injuſtitia, poteſt tractari ſicut hæreticus, quoniam defuit pertinacia. 14. Quia *intelligo*, quòd ſcripta Raymundi Lullii jam ſunt rariſsima, adverto, quòd, qui voluerit integriùs certificari de illius Arte Magna, inveniet in Gaſſendo (T. 1. Philoſ. Lib. 1. de Log. cap. 8.) quamdam exactam analyſim illius. Hæc eſt littera textûs.

DISCUSSIONIS DISCUSSIO.

ETSI omnia, quę in hac Diſcuſsione continentur, in ſupradictis jam ſint ſufficienter diſcuſſa; adhuc tamen neceſſe eſt, ipſam Diſcuſsionem tantiſper diſcutere, ut

ut aliqua diſcuſsiùs appareant, & ut pro aliis laude dignis, in quibus noſter Rmus Feijoò, ſe humaniorem oſtendit erga ſuum Raymundum, & noſtrum Illuminatum Doctorem, debitæ tanto Viro gratię, à Lulliſtis jure merito exſolvantur. Quòd clariùs fiet per paragraphos numerali ordini, ût ſequetur reſpondentes.

§. I.

AD 1., ſcilicet, quòd dicta in Feijoana Epiſtola de Arte Magna B. Raymundi, non obſint ut ipſe per alia capita mereatur applauſus; dicitur, quòd, ſi verum ſit, dictam Artem eſſe omninò vanam & inutilem, ipſius Author ex nullo capite verum meretur applauſum; nam ipſe B. Raymundus in moribus, vitâ & Doctrinâ fuit proſecutus conformiter ad ſuam Artem; ex quo ipſam habuit; &, cùm vita, mores & Doctrina omninò conformes Arti vanæ & inutili, ſint ejuſdem indolis & qualitatis; ideo talis Artifex ex nullo capite verum meretur applauſum, ſi verum ſit Feijoanæ Epiſtolæ de Arte Magna aſſertum. Nam, qui vivit, & docet ſecundùm Doctrinam vanam & inutilem, non meretur, nisi vanos & inutiles applauſus: unde, ſi de iſtis noſter Antilulliſta intelligat, ipſi conſentio, præ-dictâ falsâ ſuppoſitione ſuppoſitâ; quin etiam: ſi ipſa Ars eſſet omninò vana & inutilis, B. Raymundus fuiſſet magnus hypocrita fingens magno artificio ſanctitatem, quæ non eſſet, nisi ex radice vanitatis; ſed talis hypocriſis ex nullo capite verum meretur applauſum: ergo, ſi Diſcuſsio intendat intelligi de vero applauſu, non caret omni hypocriſi. At, cùm dicta Ars ſit bona, utilis & neceſſaria, ût demonſtratum eſt, & etiam ſit divina, ût omnia ejus opera demonſtrant; ideo B. Artifex, qui in omnibus dictæ Arti ſe conformavit, ût clariſsimè patet ex Actis authenticis vitæ illius, & ex omnibus Libris ſecundùm ipſam Artem elaboratis; ideo ex omnibus his capitibus veros bonos utiles & debitos omni jure meretur applauſus.

§. II.

AD 2., ſcilicèt, quòd plures Authores referunt, ipſum B. Raymundum paſſum fuiſſe Martyrium propter Fidem, dum ipſam prædicaret in Affrica; dicitur, hoc veriſſimum eſſe, & à nemine, quòd ſciam, dubitatum, quia conſtat ex authenticis & indubiis teſtimoniis, ex quibus hoc unum audiatur fideliter in latinum de vetuſtiſsimo Originali Lemovicenſi translatum, üt ſequitur: „ Tranſumptum „ inventum in parte corroſum „ prę multa vetuſtate, tam „ propter vermes, quàm propter multam orbationem litterarum, ût ſequitur. Mirabilis res de Illuminato „ Magiſtro Raymundo Lullio. „ In fine anni 1314. transfretavit Bugiam, & in anno „ 1315. fuit dictus Magiſter „ Raymundus lapidatus Bugiæ, & in navim Genuenſium receptus, qua navigante in mari Cabreriæ, „ dedit animam ſuam Deo in „ die Glorioſorum Petri, & „ Pauli Apoſtolorum 29. Junii, & propter plura manifeſta & magna miracula, quę „ faciebat, non fuit ejus corpus ſepultum in ſepulchro „ ſuorum parentum... cùm æſtimaretur, quòd citiùs canonizaretur, commendatum fuit „ Fratribus Minoribus intra „ ligneam arcam, & conditum „ in Sacriſtia, juxta latus ejus „ fuit collocatum ſeparatim „ corpus Filii Regis Portugaliæ in alia arca, qui veniebat „ ex ſancto Sepulchro (ex Jeroſolimis) & mortuus eſt hic „ Majoricæ, & poſteà tranſacto tempore accidit in dicta „ Sacriſtia incendium ita magnum, ut nil incombuſtum „ potuerit reſervari, adhuc lapides & parietes fuere calcinati, & calices, Crux, & „ cætera vaſa argentea fuere „ liquefacta, & ſolùm manſit „ intacta ab incendio arca, „ in qua erat corpus Glorioſi „ Magiſti Raymundi; & propter hoc miraculum fuit elaborata urna lapidea, in qua „ fuit collocatum corpus in „ Eccleſia ſicut erat involutum „ & ſanguine conſperſum. Frater Joannes Girard Scriptor „ præſentis Memorialis, &c. „ Et ut prędicto Translato ſic, „ ût prædicitur à dicto Libro „ in dicto Scrinio Monaſterii „ recondito per me Georgium „ Sitges Notarium & Scribam Ma-

„ Majorem Regiæ Audientiæ „ Regni Majoricarum, juſſu „ extracto admodùm Magnifi- „ ci Regentis Cancellariam, „ & pro executione proviſio- „ nis in pede ſupplicationis „ per Magnificum & Reveren- „ dum Antonium Bellver Ca- „ nonicum, & Cathedraticum „ Scientiæ Raymundi Lulli „ Doctoris Illuminati, cum „ expreſſo conſenſu, ſcitu „ & voluntate ſuperioris dicti „ Monaſterii; Fides ubique lo- „ corum impendatur, hìc me „ ſubſcribo, & meum, quo „ utor in claudendis Inſtru- „ mentis appono, ût infra, ſig- „ num cum ſigilli Regii im- „ preſsione. Die 9. menſis De- „ cembris 1580. Georgius Sit- „ ges Not. & Scriba Major „ Regiæ Audientiæ prædictus.

„ Copia hujuſmodi in his „ duobus papiri foliis com- „ prehenſo contenta, & con- „ tinuata, fuit ſumpta à ſuo „ Originali reſervato & cuſto- „ dito in Regia Audientia, & „ cum eodem, ût decet, com- „ probata per me Joannem „ Antonium Forſimañya au- „ thoritate Regia Not. publi- „ cum & Civem Majoricarum „ Scribam Majorem, & Se- „ cretarium Regiæ Audientiæ, „ utque dictæ Copiæ, licèt „ manu aliena, mihi tamen „ fideli, ſcriptæ, fides ubique „ adhibeatur, fuit hìc appo- „ ſitum ſigillum Regium, ût „ ecce die 27. Februarii 1606. „ Sigillum.

„ Copia hujuſmodi in „ his duobus papiri foliis con- „ tenta, ſumpta & extracta „ fuit à quodam Libro Lit- „ terarum Regiarum ab an- „ no 1601. uſque ad 1610. „ fol. 372. recondito & cuſ- „ todito in Regio Majorica- „ rum Archivo per me Fran- „ ciſcum Palou P. S. C. Ma- „ jeſtate Regium & Patrimo- „ nialem Archivarium, utque „ Copiæ prædictæ, licèt alie- „ nâ manu ſcriptæ, prout ta- „ men per me comprobatæ, „ & fides indubia locorum „ tribuatur; Ego dictus Pa- „ lou hìc me ſubſcripſi, ſi- „ gillumque dicti Regii Ar- „ chivi appono, ût infra, „ die videlicet 23. Julii 1699. „ Franciſcus Palou Regius & „ Patrimonialis Archivarius „ prędictus.

EPITAPHIUM SEPULCHRI MARMOREI B. RAY. Lul. Martyris.

RAYMUNDI LULLI, CUJUS PIA DOGMATA NULLI SUNT ODIOSA VIRO, JACET HIC IN MARMORE MIRO. &c.

POSTEA fuit facta translatio ſacri corporis in novum Sacellum, ût conſtat ex authentico teſtimonio extracto ab Archivo Civitatis Majoricarum, ût ſequitur: Memo„ ria. Die Sabbati, quæ nume„ rabatur 29. Junii 1448., „ quę erat dies feſti Sancto„ rum Petri, & Pauli, fuit „ perfectum novum Sacellum „ in Monaſterio Fratrum Mi„ norum Majoricæ, & in dic„ to Sacello fuit collocatum „ corpus Reverendi Magiſtri „ Raymundi Lullii cum mag„ no honore aſsiſtentibus Mag„ nifico Juriſconſulto Rodri„ go Falcò Majoricæ Genera„ li Locumtenente Domini „ Regis, & honorabilibus Ju„ ratis prȩſentis Regni cum „ magna gentis multitudine, „ qui magna devotione aſpi„ ciebant corpus dicti Mag. „ Raymundi Lulli, quod in„ tegrum fuit repertum in ur„ na, in qua erat, quo om„ nes fuerunt valde mirati, „ attendentes, quòd jam ef„ fluxerant centum triginta „ tres anni ab ipſius obitu. „ Contentum hujus ſcripturæ „ teſtatur cum juramento Do„ minus Franciſcus Montanèr „ in proceſſu anni 1612. fol. „ 351., ſe legiſſe in antiquiſ„ ſimo Librorum, quos Mag„ nifici Jurati habent in Ar„ chivo Domûs Juratiæ Ma„ joricenſis, qui Libri ſunt „ de admirabili Doctrinâ, altâ „ Scientiâ, & Arte Glorioſi „ Martyris Mag. Raymundi „ Lulli Doctoris Illuminatiſsi„ mi, de quo ego dictus teſ„ tis accepi Tranſumptum, „ quod penes me retineo. In ſupradicto proceſſu fol. 43. atteſtatur Dominus D. Hugo Nuñez Berard ſic: „ Fuit „ maximus concurſus venien„ tium ad videndum dictas „ Reliquias, (B. Raymundi) „ & omnes infirmi, qui per„ venerunt ad viſitandum & „ tangendum ipſas Reliquias „ curati fuere de ſuis infirmi„ tatibus &c. Videantur alia teſtimonia & Inſtrumenta apud Cuſtur. Diſſ. 1. cap. 3. de Solemnibus feſtis & miraculis B. Ray-

Raymundi. Quæ cum ita ſint eſt valde mirabile, aliquos hoc ſcientes, non fuiſſe locutos de hoc Chriſti Martyre cum majori Religione & reverentia; nam aſſerere ſinè perplexitate ipſius Artem eſſe vanam & inutilem ad finem propoſitum ab ipſo B. Martyre, quid aliud eſt, nisi aſſerere ipſum ſeductorem & mendacem? Et quis Chriſtianus non horrebit aliquid tale contra Martyrem proferre?

§. III.

AD 3., ſcilicèt; quòd Majoricenſes venerantur ipſum B. Raymundum ût ſanctum; dicitur; hoc ita eſſe, & cum magna ratione & obligatione, ût conſtat ex ſupradictis; imò omnes exteri Majoricam accedentes, quamvis aliunde malè & falsò informati, ſtatim ac certificantur aliqualiter de veritate, capiuntur ejus devotione & pietate, & ipſum ût Sanctum adhuc ferventiùs, quàm indigenæ venerantur. Idem faceret noſter Antilulliſta, ſi palparet & videret cultum B. Raymundo tribui ſolitum à Regni Proceribus, à Doctoribus & Magiſtris celeberrimis illius Lullianæ Univerſitatis, à toto Magiſtratu in illius ſpeciali & ſolemniſsimo feſto, congregato, à prænobilibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, & ab omni populo à tempore immemoriali. Dignatus eſſet R. P. Feijoò conſulere ſuum Magiſtrum Ilmum. & Rmum. Dominum D. Benedictum de Paſiellas &c. Epiſcopum digniſſimum Majoricarum Ordinis Benedictini, & omnes Perilluſtres Dominos Inquiſitores, tam modernos, quàm, qui hoc ſancto munere aliquando Majoricæ functi fuere, an venerentur B. Raymundum ût Sanctum, & reſponſione vidiſſet, iſtam venerationem non procedere ex cęcâ Majoricenſium paſsione, ſed ex clarâ & laudabili ratione, tam indigenis, quàm alienigenis communi. Totum confirmabitur exemplo R. P. Pacifici Capuccini Miſsionarii Apoſtolici, cujus ſupra laudabilis mentio facta eſt.

Iſte gitur in Relatione ſui itineris impreſſâ Pariſiis anno 1631. ait: „ Tandem „ Majoricam Inſulam & Ur„ bem ejuſdem nominis & „ Regni primariam acceſsi„ mus, appertinentem Regi „ Hiſpaniæ. Hic ſilentio præ„ terire nolo aliquid, quod ſtu-

„ ſtudiosè notavi, gratiſsimum
„ auditu procul dubio homi-
„ nibus Litteratis, & quibus
„ pietas cordi eſt; quia con-
„ cernit Perſonam Sanctam &
„ maximi nominis Virum: eſt
„ nempe Raymundus Lullus,
„ qui ſcripſit Artem facilè ad-
„ diſcendi omnes Scientias:
„ notate igitur, quid illis lo-
„ cis obſervaverim. Cùm enim
„ Officii Miſſæ causâ adiiſſem
„ Conventum Patrum Fran-
„ ciſcanorum, lecta fuit in il-
„ la Capella, quæ eſt ad la-
„ tus magni Altaris, quæ au-
„ ro ubique radiabat, & mag-
„ nas divitias monſtrabat.
„ maximè autem in admira-
„ tionem me rapuit Imago
„ quæpiam lignea in Superio-
„ ri Altaris parte diligentiſsi-
„ mè elaborata & coloribus
„ curiosè decorata, quę ve-
„ nerabilem ſenem promiſsâ
„ barbâ & habitu tertii Or-
„ dinis S. Franciſci amictum
„ repreſentabat, facie eleva-
„ tâ & in Crucifixum ex ſole
„ arbori incumbente collo-
„ quentem intentâ, pedibus
„ autem ſubſcriptum erat lit-
„ teris aureis BEATUS RAY-
„ MUNDUS LULLUS.

„ Turbabar primo intui-
„ tu, ſed ita mecum ratioci-
„ nabar, quòd Officium In-
„ quiſitionis in iſto loco intro-
„ ductum numquam conceſsi-
„ ſet in numerum Sanctorum
„ hominem cooptari hæreti-
„ cum; abſolutâ Miſſâ rela-
„ tum mihi fuit, Corpus &
„ Reliquias Raymundi penes
„ eos in marmoreo Sepulchro
„ conſervari, idque in eâdem
„ Capellâ monſtratum mihi
„ fuit, Officium autem legi
„ tamquàm de Martyre in
„ Barbaria Affricæ propter Fi-
„ dem Chriſtianam lapidato;
„ quod quidem ſingularem
„ conſolationem mihi attulit
„ in hac Urbe: idque tanto
„ magis, quando didici, vi-
„ gere ibi quamdam Facultа-
„ tem Theologicam, ût Pari-
„ ſiis eſt Sorbona, in qua Ray-
„ mundi Lulli ſcripta perle-
„ gerentur, ût in Gallia S. Tho-
„ mæ Opera, ejuſque Profeſ-
„ ſores Raymundinos & Lul-
„ liſtas ſeſe appellare. Sed non-
„ dum eo modo ſatis conten-
„ tus, optavi, ut videre illos
„ poſſem; quod, cùm Lector
„ illius Facultatis intelligeret,
„ prævenit votum meum ho-
„ norificâ omnium Doctorum
„ ipſius Collegii viſitatione,
„ qui ferè omnes Canonici
„ ſunt, & de Doctrina hujus
„ Sancti Viri mecum contule-
„ runt, dicentes inſuper, quòd
conſ-

„ conſtituerint quemdam Virum ex Ordine Franciſcanorum eruditione & Doctrinâ inſignem Romæ apud Papam pro defenſione hujus Sancti, *quem*, (ût dicunt) *contempſerunt aliqui, quia non intellexerunt ſua Verba, nec ſuam Artem, nec ſuas intentiones, &c.*

„ Inſuper mihi dixerunt, „ quòd, poſtquam longo tempore tamquam Eremita in „ Eremitorio ſolitariam duxit „ vitam extra Civitatem in „ medio cujuſdam planitiei, „ in qua reperitur multitudo „ arborum mirthæ, (lentiſci) „ Dominus noſter Jeſus Chriſtus illi quinquiès apparuerit Crucifixus ſuper quadam „ harum arborum, ubi pariter „ illi dictavit totam ſuam Scientiam, & quòd, quando „ addiſcebat linguam Arabicam cum intentione prędicandi Mauris, ſcribendo

§. IV.

AD 4., ſcilicèt, quòd B. Raymundus quantùm ad amplitudinem ſuæ Doctrinæ habet varios panegyriſtas; dicitur, hoc verum eſſe, ût ſupra tactum eſt, & omnes laudant Doctrinam ejus, unus ſic, & alius ſic, ſicut fieri ſolet in aliis feſtivis Concionibus, in quibus alii magìs prædicant ſe ipſos, quàm feſtivitatis Objectum, alii cum floribus & foliis paſcentes populum, ipſum fructu vacuum relinquunt; & tandem alii ſequentes finem Doctrinæ, quam laudant, prædicant cum magno Dei honore, B. Raymun-

„ quandoque de Characteribus Arabicis ſuper folia hujus Mirthæ, illa ſola Arbor „ perpetuò perque continuum „ Miraculum ferat omnia folia ſua cooperta hiſce characteribus, quod nulli ex „ omnibus alliis hujuſmodi „ generis arboribus, quæ ſunt „ in illa regione, proprium „ eſt: quibus ego necdum „ conquieſcere volui, quouſque etiam ipſemet meis oculis vidi, & decerpſi de illis „ faſciculum, quem mecum „ portavi: en hoc eſt, quod „ de his ſuperficialiter dicere „ poſſum, certificatus, quòd „ hoc modicum ſatisfaciet multis bonis mentibus, quę per „ quamdam malam impreſsionem habent eaſdem cogitationes contra hunc Sanctum, quas & ego habui, „ cui reſtituo honorem per „ præſens ſcriptum.

mundi, & audientium fructu. De his ultimis adhuc in memoria retineo ſapientiſsimum & verè Apoſtolicum Virum Rmum P. Mag. Marianum Rizòn Carmelitam, qui ab exterâ, quam ignoro, Provinciâ Majoricam venerat munere Directoris Exmi. Proregis jam ante triginta annos ibi gubernantis, quem Proregem in publicis Concionibus aſsiſtentem (ut ipſemet audivi) intrepidè de ſuis obligationibus, & de omiſsione circa aliquem manifeſtum abuſum admonere ſolebat. Iſte Apoſtolicus & ſapientiſsimus Magiſter concianatus eſt de Doctrina B. Raymundi per duas horas, minùs uno quadrante, & ſuper Textum *Scrutamini ſcripturas* multas veritates & excellentias de dicta Doctrina efficaciter demonſtravit, & qualiter decipi ſoleant veritatem indagare negligentes, &, quòd magis Concionem recommendat, eſt, quòd ex quatuor Univerſitatis Clauſtris ibi aſsiſtentibus, & ex maxima audientium multitudine, nullum audivi conquerentem, nec conqueſtum de longitudine Sermonis; ſed omnes mirabili beneplacito & attentione audire videbantur. Plures alios alienigenas S. Theologiæ Doctores ſapientiſsimos concionantes audivi cum magno omnium plauſu.

Sacræ etiam Societatis Jeſu Vir & Cathedrâ & Pulpito celebris, & virtute & zelo ſalutis Animarum celeberrimus R. P. Franciſcus Doms in quodam Sermone de B. Raymundo Lullo impreſſo 1688. Applaudit illius ſapientię comparando illam in toto ſuo diſcurſu cum illa S. Pauli Ap. ob rarum & peregrinum exemplum acquiſitionis illius; eòquòd à Deo illam receperit per infuſionem in inſtanti & ſinè ſtudio: ob extenſionem, eò quòd attigerit omne in ſua *Arte Magna* & aliis Operibus, quæ promerita ſunt Approbationes Regum, Inquiſitorum Generalium, Legatorum, & Commiſſariorum Apoſtolicorum, ac ipſius Concilii Tridentini: lucrando Fructum convincendi & convertendi multos Philoſophos & Infideles per viam Rationis naturalis: & denique, quia illuſtraverit, & dederit glorioſum Nomen ſuæ Patriæ, cognomento Inſulæ Raymundi.

Et R. P. Antonius Ferrando ejuſdem Soc. S. Theolog. Doct. & Cathedraticus in ea-

eadem Lulliana Univerſitate in Sermone impreſſo 1695. Celebrat ſublimitatem ſapientiæ Raymundi, propter Magiſtrum, qui illam illi infudit, propter Gradum Doctoris, qui illi collatus eſt, & propter ipſammet ignorantiam, quæ illum præceſſerat, comparando illam ſapientiam cum ſimilibus prærogativis Doctrinæ Pauli, & illuſtrando illam Elogiis, *quòd ſit bis certa, bis ſubtilis & multis vicibus munda & ſinè maculis*, extenſa ad totum intelligibile & prodigioſa; quia per ipſammet ignorantiam, in qua non modico tempore vixit Raymundus, non ſolùm fecit lucere & reſplendeſcere ſuam ſapientiam, ſed cum ſingularitate radiare Divinam.

Et tandem R. P. Joannes Baptiſta Roldàn ejuſdem Soc. Jeſu, cujus ſelecta Dona & Doctrina illi promeruere Officia Rectoris Collegii & Univerſitatis Gandiæ repetitis vicibus illius S. Pauli Valentiæ, Præpoſiti Domûs profeſſæ, & Viſitatoris Collegiorum Inſularum Provinciæ Aragoniæ in alio ſermone impreſſo 1699. Occaſione Feſti, quod Majoricæ habitum eſt in recompenſationem contemptûs exhibiti Imagini Raymundi, illum appellat & probat *quatuor vicibus Beatum*, h. e., *Beatum propter Cultum immemorialem, quo gaudet: Beatum, quia bis Filius regalatus & electus Mariæ: beatum, quia in ſapientia Cherub, quam illi communicavit Chriſtus; videtur ſecundum Verbum Verbi: & denique beatus, quia fuit elevatus Seraph in amore, ita ut ad ſuum ſublimem volatum alę ipſius Cherubini ſe retraxerint & recollegerint.* Sic panegyrizàt B. Raymundum, & ejus Doctrinam Viri Apoſtolici & ſapientiſsimi, & alii plurimi brevitatis ergò hic prætermiſsi.

§. V.

AD 5., Scilicet, quòd certum ſit B. Raymundum ſcripſiſſe plures Libros ſuper diverſas materias; dicitur, ita eſſe, quia, qui plurimos ſcripſit Libros de omni ſcibili, impoſsibile eſt, plures ſuper diverſas materias non ſcripſiſſe; & hæc certitudo Libris ex ipſis pateſcit; ſcripſit enim valde diffusè de omnibus Artibus Liberalibus, & etiam de mechanicis optimos Libros ſecundùm inconcuſſam & ſolidiſsimam methodum ſuæ Artis Magnæ & Univerſalis; ſcrip-

ſit de Philoſophia, Medicina, Jure & Theologia diffuſiſsimè, & de omni ſcibili in hac mortali vita in omni materia in pluſquam ter mille Libris, ita ut poſteris nil intactum reliquerit, & cum hoc abundantiſsimè ſatisfecit omnibus, quæ promittit *Titulus Artis Univerſalis* ad omnes ſcientias acquirendas. Quod, ſi dignatus fuiſſet videre noſter Antilulliſta in ſolis tribus primis Tomis magni Operis Lulliani, non declaraſſet ipſum B. Doctorem incurſum *novum Caſum Conſcientiæ peccati lethalis cum obligatione reſtituendi damna illata* propter Titulum Artis (ût ipſe putavit) promiſſa non adimplentem; imò, quicumque oculo non livido ſolum primum Tomum perluſtret, non poterit hujus adimpletionis certitudinem non videre. Videatur Librorum Lullianorum Catalogus in dicto primo Tomo circa principium.

Adhuc mirabilius eſt, ipſum Doctorem Illuminatum tot ſcripſiſſe Libros in continuo motu prędicationis ad Infideles, peregrinationum ad Summos Pontifices, quibus multos de ipſis Libris prędentavit ad promovendam & multiplicandam S. Catholicam Fidem in mundo, & ad Monarchas Europæ, ut ipſorum magnanimitatem ad Jeroſolimæ, & aliarum terrarum Infidelium recuperationem excitaret, ût videtur in Libro de *Fine*, & in aliis, & ad Concilia, & Capitula generalia, in quibus pro viribus inſtabat pro maximis Chriſtianiſmi negotiis promovendis; & propterea appellabatur Raymundus *radius mundi*, & *Procurator Infidelium*, quia ût radius Charitatis ignem ſpargens per orbem diſcurrebat, & omnibus modis majorem Dei honorem, & totius mundi ſalutem procurubat. Et licèt Bzovius anno 1312. dicat: „ Lullus ad Concilium „ Viennenſe accedens Clemen„ ti V. & Patribus propo„ ſuit ut ſtudia linguarum ubi„ que ſtatuerentur, & nihil à „ Pontifice, & Patribus ob„ tinere potuit. Huic aſſertio„ ni contradicit Jus Can. in „ Clementina 1. Lib. 5. de Magiſtris facta in Concilio Vienn. ſub ipſo Clemente V., ubi dicitur: „ Hoc ſacro approban„ te Concilio Scholas in ſubſ„ criptarum linguarum genti„ bus ubicumque Romanam „ Curiam reſidere contigerit, „ nec non in Pariſienſi, & „ Oxo-

„ Oxonien., Bononien., & Sal-
„ mantino Studiis providimus
„ erigendas, ſtatuentes, ut in
„ quolibet locorum ipſorum
„ teneantur Viri Catholici,
„ ſufficientem habentes He-
„ braicæ, Arabicæ, & Caldeæ
„ linguarum notitiam. Et Ni-
colaus de Pax in vita B. Ray-
mundi dicit: „ Urgente jam
„ ſenectute ultimâ Raymun-
„ dus ad generale Concilium
„ ſub Clemente V. Viennę ce-
„ lebratum anno 1311. per-
„ rexit, ibique decem ordi-
„ nari ſupplicavit, quæ poſteà
„ Vir Sanctus ad perpetuam
„ rei memoriam poſuit in Li-
„ bro de *Ente ſimpliciter & perfe, &c.*, ut Romæ, Pari-
„ ſiis, &c. Cœnobia fierent,
„ in quibus Viri, tum docti,
„ tum Martyrii ſtudio fortiſsi-
„ mi Infidelium linguas doce-
„ rent. Quod videtur comple-
„ tum in Clementina citata.

Et ipſe B. Raymundus in Lib. Deſolationis n. 14. ait: „ Quinquiès adivi Romanam „ Curiam meis ſumptibus, ad „ tria etiam Capitula genera-„ lia Prædicatorum, & ad to-„ tidem Minorum. Et in Lib. „ *Clericus & Phantaſt.*, & in „ Prolog. de *Fine* ait: „ Pro-„ curavi, quòd Dominus Pa-„ pa, & Domini Cardinales, „ & etiam alii Principes ſupra-„ dicti aliqua Monaſteria ædi-„ ficari, & conſtrui concede-„ rent, in quibus aliqui va-„ lentes homines litterati pro „ Chriſto deſiderantes mortem „ pati, diverſas linguas homi-„ num infidelium ediſcerent, „ & audirent, ut per conſe-„ quens per univerſum mun-„ dum irent Evangelium præ-„ dicatum. Ubi eſt maximè ad-vertendum, quòd poſteà dicit: *Sed ego de hoc nihil potui impetrare.* Quod eſt intelligendum reſpectivè ad poſtulata & deſiderata per ipſum, quæ erant tanti momenti, ut omnia, quæ obtinuit ipſi nil viderentur. Unde videtur, B. Raymundū in Librorum ſcriptione fuiſſe ita ſingularem, ut non fuerit inventus ſimilis illi, qui in continuo Evangelicæ prædicationis motu, & inceſſantis univerſalis boni procurationis, tot Librorum millia de omni ſcibili, & tanti momenti ad armandum & ditandum S. Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam ſcriberet, ut Catholici in nullo Paganorum Libris indigerent, quia dicti Libri ad omnia neceſſaria abundantiùs ſuperſunt.

§. VI.

AD 6., ſcilicèt, quòd B. Raymundus fuerit Theologus, Philoſophus, Medicus & Chimiſta, & reputatus Reſtaurator, vel Fundator Chimiæ in Europa, & quòd illam didicerit cum commercio Arabum; dicitur, verum eſſe ipſum fuiſſe Theologum &c.; nam, qui docuit omnes Artes & Sientias, neceſſariò debebat aliquas ſcire, ût ſunt Scientiæ ſupradictæ. At, ipſum fuiſſe Chimiæ Fundatorem in Europa, abſolutè non ita eſt; & ideo B. Raymundus talem non admittit honorem, quia multi ſapientes ipſo antiquiores iſtam Artem jam poſsidebant. Quod B. Raymundus per ſuam Artem Univerſalem à Deo acceptam eſt operatus, fuit ipſam Chimiam reformare & perficere, ſcribens de illa prout licuit, decuit & debuit; & ſic ipſe non fuit Fundator, ſed Reformator Chimiæ & ſublimator, de qua, licèt non ſatis, reſpectivè jam nimis dictum eſſe videtur. Quòd illam didicerit cum Arabum commercio, non eſt ita, quia conſtans eſt, ipſum Arabico non indiguiſſe Magiſterio, quia erat Spiritûs Sancti Diſcipulus, qui ipſum omnia docuerat. Et in hoc favore, quem tam gratis exhibet noſter Antilulliſta B. Raymundo, jam videtur quorsùm intendat; nam ipſe anteà, Chimiſtas, quos B. Albertus Magnus veneratione proſequitur, non dedignatus eſt Canallam, ſive progeniem caninam Saracenicam, & ſectatricem Alcorani appellare; & ideo, quid mirum, quod nunc libentiſsimè B. Raymundum inſtituat talium Magiſtrorum Diſcipulum?

Verum quidem eſt B. Raymundum habuiſſe commerciũ cum Arabibus, Saracenis, Judæis, & cum omni genere Infidelium, quia erat Procurator ſalvationis illorum, ad imitationem Chriſti, & Apoſtolorum, qui cum Publicanis & peccatoribus manducabant ad convertendum ipſos in viam ſalutis ęternæ. Similiter B. Raymundus inter infideles, multos habebat veros Diſcipulos ad S. Fidem converſos, quibus de Libris Sanctis in lingua Arabicâ ſcriptis providebat, (ût clariſsimè conſtat ex ſuis Libris, & ſuę vitæ Actis authenticis) ut in ipſius abſentia in S. Fide conſervarentur, & doctiores Saraceni alios inſtruerent; & ſic immediatè, mediatè & omni modo poſsibili Fidem

dem Catholicam multiplicabat; & hoc eſt admirabile B. Raymundi cum Arabibus, & aliis Infidelibus commercium. At, quòd ipſe Chimiam didicerit à ſectatoribus Alcorani eſt impoſsibile, quia nemo dat, quod non habet, &, cùm Alcoraniſtę non poſsint talem habere Scientiam, quia mundum cum illâ confunderent, nisi priùs Divina Providentia illos confunderet; ideo ipſe B. Raymundus, & veri ipſius Diſcipuli, Doctrinæ Filios admonent, ut ſint bonæ conſcientiæ, quia aliter lucem à Deo ad intelligendam & poſsidendam tam nobilem Scientiam non reciperent. Nam, ſi eſſet defectus in hominibus ſanctum dare canibus, & projicere margaritas ante porcos; quis Fidelium poteſt credere talem defectum in Divina Providentia eſſe poſsibilem?

Ad tollendum igitur aliquam æquivocationem circa Scientiam noſtri Il. Doctoris, & modi, quo ipſam habuit, in quo nonnulli aliquotiès impegerunt, eſt bene advertendum, quod ipſe Doctor docet in Lib. de Levitate, & Ponder. element. q. 17. ubi ait: „ Scientia eſt duobus modis, eſt enim Scientia infuſa, „ & eſt Scientia acquiſita; „ Scientia infuſa eſt illa, quæ „ influitur à Deo per gratiam; „ Scientia acquiſita eſt illa, „ quam homo habet per Doc„ torem: in medio iſtarum „ duarum Scientiarum eſt unus „ alius habitus Scientiæ, qui „ ſapit quamlibet prædicta„ rum ſcientiarum &c.: & „ iſta Scientia eſt neceſſaria, „ quia ſinè illa perderetur diſ„ tinctio, quam Medicus ha„ bere debet ſuper propoſi„ tiones, quas Medici antiqui „ in ſuis Libris poſuerunt; „ & humana ratio influen„ tiam non reciperet à Scien„ tia infuſa, & à Scientia ac„ quiſita; & talem perditio„ nem natura ſuſtinere non „ poſſet in humanâ ratione; „ ſi Medicus verum judicium „ facere non poſſet in con„ cordantia Scientiæ infuſæ & „ acquiſitæ ſecundùm bonam „ arbitrationem, de qua op„ portet Scientiam eſſe. Hæc „ Il. Dr., ſuper quæ Diſcipu„ lus ejus ſapientiſsimus Salzin„ ger: „ O mirabilem Sapien„ tiam & diſpoſitionem ſupre„ mi Doctoris! qui voluit „ ſuum Diſcipulum Raymun„ dum omni modo humana ra„ tione excogitabili perficere, „ nem-

„ nempe ſinè medio, & per „ medium; ut haberet perfec- „ tam & abſolutam Scientiam: „ quid igitur mirum, ſi illum „ poſt illuminationem miſit „ ad Arnaldum Medicum, ut „ illum inſtrueret in Medici- „ na, qui poſt illuminatio- „ nem intellectualem, & excæ- „ cationem ſenſualem miſit „ Apoſtolum Paulum ad Ana- „ niam, ut illum curaret à cæ- „ citate? En, quomodo B. Raymundus habuit Scientiam infuſam, acquiſitam & mediam, quæ eſt omnium maxima; nam, ſicut ſpiritus eſt nobilior corpore, ita Scientia infuſa eſt nobilior acquiſitâ, quia Scientia infuſa eſt ſpiritus informativus, & Scientia acquiſita eſt corpus per illam informatum; & ſicut homo eſt medium ſapiens naturam ſpiritûs ſive Animę, & corporis, quia ab utroque procedit, & eſt corpore & Animâ nobilior, quia totum eſt majus ſua parte, cùm finis illius ſit; ſic Scientia media eſt vinculum perfectionis, ſive medium ſapiens naturam ſcientiæ infuſæ, & acquiſitæ, quia ab utraque procedit, & eſt omnium nobiliſsima, quia ipſa eſt totum, & aliarum finis perfectionis exiſtit. Et, ſicut ſinè homine maximum vacuum in rerum natura daretur, quia vinculum omnium creaturarum deficeret, ſic ſinè ſcientia media maximum eſſet vacuum in natura Scientiarum; quia vinculum & finis perfectionis illarum deficeret. Et in hoc futilitas objectionum videtur inferentium B. Raymundum Artem & Scientiam univerſalem infuſam ad omnes Artes & Scientias particulares non habuiſſe, quia poſt illuminationem Grammaticam, Medicinam &c. didicit. Didicit quidem facilitate & perfectione, quæ ſupra dicta eſt.

Quod autem B. Raymundus Chimiam Medicinalem à Doctore præſtantiſsimo Arnaldo de Villanova didicerit, ex ipſius ore judicabitur; nam in dicto Lib. cap. 63. de *Circulatione ultima* ait: „ ſed iſ- „ ta fiunt per viam circulo- „ rum, quorum ignorantia „ plures magnates in Littera- „ tura fuerunt decepti in Ma- „ giſterio, credentes firmiter „ cum confidentia ſuæ Scien- „ tiæ intelligere dictorum for- „ mam & modum circulandi; „ ex quibus nos fuiſſe unum „ lethaliter vulneratum non „ intendimus celare, cum ſo- „ la præſumptione & temerita-

„ te alterius Scientiæ naturam „ firmiter credebamus intel- „ ligere, nec ullo modo in- „ tellexeramus, donec tempus „ adfuit in quo ſpiritus non „ immediate, ſed mediatè per „ Magiſtrum Arnaldum de „ Villanova ſua largitate im-

§. VII.

AD 7., ſcilicet, quòd noſter Antilulliſta credit non poſſe negari B. Raymundo fuiſſe hominem alicujus rei ſive entitatis, ſpecialis ingenii, quamvìs magìs ſubtilis & tranſverſi ſive tortuoſi, quàm ſolidi; dicitur, verum eſſe, primam partem non poſſe negari; quia omne ens aliquid eſt, & B. Raymundus fuit etiam valde nobilis & ex prænobilibus Parentibus, ût ex Actis authenticis vitæ illius pateſcit; & ſic Lulliſtæ non poſſumus bonæ fidei talìs aliquitatis aliquas reddere grates. At, qui B. Raymundum aliqualiter norunt, intelligunt & ſciunt ipſum fuiſſe Virum admirabilis & inimitabilis totalitatis; quia totum id, quod homines reddit magnos, ſcilicèt militaris Magnanimitas, Litteræ, & Virtutes, ipſum in tanta totalitate condecoravit, ut non fuerit inventus ſimilis illi, ſicut jam ſupra manet probatum. Inprimis ipſum militari Arti dicatum armorum exercitium ita ſpectabilem reddidit, ut Rex Jacobus II. ipſius magnanimitate, dexteritate & ſtrenuitate captatus ipſum Seneſcallum, ſive Præpoſitum & defenſorem Aulæ Regiæ conſtituerit; & hoc in tam brevi intervallo, quòd Raymundus miles tunc eſſet ętatis circiter viginti annorum; quid, ſi diutiùs perſeveraſſet, & non tam citò militiam terreſtrem in cœleſtem militiam comutaſſet?

„ menſâ reficienter in nobis „ inſpiravit. En qualiter B. Raymundus Chimiam acquiſitam à dicto Doctore habuit, & ideo multis ſuorum Librorum in locis, hoc humiliter confitetur, ipſum Arnaldum utì Magiſtrum honorans.

Deinde Litteræ, ût dictum eſt, ipſum in tanta totalitate magnum reddiderunt, ut jure merito in Sapiętię Triumvirato collocetur, de quo dicitur: Tres ſunt ſapientes, quos novit & miratus eſt mundus, Adam, Salomon, & Raymundus. Fuit tandem totaliter magnus in Virtutibus omnibus, in tanta heroicitate, quòd, ſi hæc deberet explicari, nimis longa

ef-

eſſet relatio; & ideo de ipſis virtutibus, extremis tantùm, ût dicitur, labiis aliquid in genere delibetur, ordinatim incipiendo à Fide.

DE FIDE.

S. Fidem in ſe B. Raymundus in tanta eminentia & vivacitate conſervavit, quòd propter eam omninò reſpuit quidquid carnis & oculorum concupiſcentia, & ſuperbia vitæ poſſunt appetere, & libenter quidquid poſſunt abhorrere ſuſtinuit, uti carceres, flagella, vulnera, lapides, gladios & omnis generis tormenta & opprobria uſque ad ſanguinis effuſionem, quo ipſius Fidei internam veritatem exteriùs ſigillavit. Et, ut ipſam multiplicaret in mundo, Librorum ſcripſit millia, ſpecialiter contra Averroem Librum Lamentationis duodecim Principiorum Philoſophiæ, Librum de Reprobatione errorum Averrois, Librum de Efficiente, & Effectu, &c., Librum Contradic. inter Raymundum, & Averroiſtam de 100. Syllogiſmis circa Myſt. Trinit.; Librum de Eodem argumento, Librum de exiſtentia, & Agentia Dei contra Averroem, Lib. Theol. & Philoſophiæ mixtæ contra Averroem, & plures alios Libros. Et in Lib. de Fine diſt. 1. part. 4. contra Schiſmaticos, Cap. 1. contra Grecos, Cap. 2. contra Jacobinos, Cap. 3. contra Neſtorinos, & contra omnis generis hæreticorum, & aliorum Infidelium plurimos alios ſcripſit Libros, quos eſſet nimis longum nominare. Videantur in Catalogo 1. T., & ex ipſis operibus etiam ſuæ Fidei heroicitas videatur.

DE SPE.

SPES, quam B. Raymundus ſemper in Deo repoſitam habuit, continuis adverſitatum turbinibus numquam potuit labefactari; ut à ſuis maximis conatibus reducendi mundum ad ſtatum perfectionis, ad quem Deus ipſum creavit deſiſteret, ût videre eſt in Lib. Deſolationis, ubi cum Deo loquens inter alia deſperationis motiva ait: *Potestnè eſſe Martyrium, quale ego ſuffero?* Et in Lib. de Amico & Amato Cantico 57. interrogatus Amicus, ſcilicet B. Raymundus: *Quis eſt Medicus tuus?* Reſpondit: *Confiden-*

dentia ; quam habeo in meo Amato, ſcilicèt Deo. Et Can. 97. : *Amatus ſeminabat in corde Amici deſideria, ſuſpiria, Virtutes, & amores : Amicus illa ſemina cum lacrymis & fletibus rigabat. Seminabat Amatus in corpore Amici labores, tribulationes, & languores ; Amicus ſuum corpus ſanabat cum ſpe, devotione, patientia, & conſolatione.* Et Can. 123. *Opinabatur Amicus ſequi ſuum Amatum, & tranſibat per quamdam viam, in qua magnus leo devorabat omnes vitiosè & ſinè devotione tranſeuntes ; & dicebat Amicus: qui non timet meum Amatum, omnia debet timere ; & illi, qui timet eum, fiducia & probitas cunctis in rebus conveniunt.* Et Can. 180. *Dicas amoris fatue, habes denarios?* Reſpondit : *Habeo amores & cogitationes, fletus & deſideria, tribulationes & languores, qui ſunt Regnis & Imperiis longè pretioſiores.* Et Can. 184. *Dic fatue amoris, quare excuſas Amorem cùm tribuit tuo corpori, & tuo cordi aſsiduum tormentum, aſsiduamque pœnam & tribulationem? Reſpondit ; quia multiplicat ſuam gratiam. & meam beatitudinem.* Videatur etiam firmitas ſuæ Spei in Lib. Maximo Contemplationis.

DE CHARITATE.

CHaritas, quæ eſt vinculum perfectionis, quia tamquam omnium virtutum Imperatrix & Regina illas habet ligatas & ſubditas ſuo Imperio, ex quo vivunt & Reguntur, ſicut genus eſt vinculum regula & vita ſpecierum, & ſpecies, individuorum, & quinta eſſentia, elementorum, Papa, omnium Clericorum, Rex, militum, & Dominus, ſervorum ; in tanta totalitate B. Raymundum ſibi ſubdidit & ligavit ab initio ſuæ converſionis, quæ à Divini Amoris ſublimitate incœpit, quòd ſemper in ipſo radiaverit inceſſanti & ſemper creſcenti deſiderio ponendi animam ſuam pro ſuo Amato. Illius Scripta hoc clariſsimè oſtendunt, quia nedùm legentis illuminant intellectum ; verùm intelligentis affectum in Deum inflammant.

Specialiter hæc Charitas videtur in Lib. citato de Amico &c. Can. 40. ubi ait : *Poſtquàm vidi Amatum in meis cogitationibus, non fuit abſens oculis meis corporalibus : nam omnia viſibilia meum mihi repræſentant Amatum.* Et Can.

275. *In* Aurora *ſpatiabatur Amicus, & intuitus eſt orientem Solem, & gaudio repletus incœpit cantare: In hunc modum egreſſus eſt meus* Amatus *de pudico* Auroræ *thalamo, in qua, qui maculam cogitat, tenebras cogitat in Sole.* Et Can. 313. *Amicus periclitabatur in magno mari amoris, & confidebat in auxilio ſui* Amati; & Amatus *dixit: Lacus Amoris eſt contrarius aliis lacubus, nam, qui venit ad profundum, ille ſalvatur, & qui emergit & exit, ille perit; oppoſitum autem eſt in aliis; & ideò* Amicus *navigabat liber ab illo timore.* Et Can. 319. *Amicus in anxietate poſitus inclamabat Veritatem ſui* Amati, & *dixit, amata Veritas, viſita contritionem mei cordis, & da aquam meis oculis, quia mea voluntas amat te, & quia tu es Summa Veritas, & peccatum eſt falſitas, adjuva meam voluntatem, ut vincat peccata, quæ ſunt contraria veritati.* Et Can. 322. *Amicus ambulabat per vias vegetationis, ſenſationis, imaginationis, intellectûs, & voluntatis, & quærebat ſuum* Amatum, *& in illis viis patiebatur multas difficultates, ut elevaret ſuum intellectum; ſed illud erat ei delectabile, quia ſuus* Amatus *vult, quòd ſui amatores perquirant ipſum in omnibus viis.*

Et Can. 324. *Amate, tu poſuiſti me inter meum malum, & tuum bonum; ideò oro te, pro tua parte ſit pietas, Miſericordia, Patientia, Clementia, venia, adjutorium & reſtauratio; & pro mea parte ſit contritio, perſeverantia, & memoria tuæ benedictæ Paſſionis, cum ſuſpiriis, lacrymis, gemitibus & fletibus.* Et Can. 326. *Amicus dixit: Amate, tu creaſti meum velle liberum ad te amandum, & ad honorandum tuos honores, ut tui amores poſſint multiplicari in mea voluntate; in iſta libertate tu incepiſti amare meam voluntatem: ergo in hoc periculo mundi recordare mei, qui de libera voluntate facio tibi ſervitutem.* Et Can. 329. *Amicus plorabat, & dicebat ſuo* Amato: *non fuiſti avarus & illiberalis in dando eſſe tuo* Amico, *& in recreando ipſum, & in deputando multas creaturas ad ſervitium ipſius: unde ergo proveniret, quòd tu Amate, qui es ſumma Liberalitas, eſſes avarus* Amico *in dando fletus, cogitationes, ſapientiam & amorem ad honorandum*

dum tuos valores ? Et Can. 303. *Amicus odoravit flores, & fuit memor divitum, avarorum, luxuriosorum, superborum, & ingratorum*; *Amicus gustavit dulcedines & intellexit amarituaines temporalium possessionum in exitu hujus vitæ*; *Amicus sensit gaudia, & intellexit brevem transitum eorum in hac vita*; *anhelavit ad temporalia, & intellexit ex concupiscentiis in futurum æterna tormenta*; *& ideò Amicus mox contempsit omnia vana gaudia.* Quàm durus est hic sermo mundanis! Hinc quædam persona valde illuminata à Deo & vivens in admirabili vitæ perfectione, interrogata, quare Lulliana Doctrina tantam persecutionem patiebatur in mundo? respondit: quia ipsa omnes pravas mundanorum, & hypocritarum passiones persequitur & demonstrat.

Et Can. 332. *Dic amens, quid est Amor*? *Amicus respondit*: *Amor est mors viventis, & vita morientis, est lætitia in die, & tristitia in nocte, voluptas in Patria, mœror in peregrinatione, est suspirans absentia, & gaudens sinè fine præsentia.* Et Can. 333. *Rursùs interrogarunt eum, an ambularet in die, vel in nocte*? *Respondit*: *meus amor est mihi amara dulcedo, & dulcis amaritudo, & meæ lacrymæ sunt testes, quòd dies mihi adhuc non sit ortus, sed (dulce est amori) festino ad Patriam, ubi nox non potest inveniri.* Et Can. 344. *Amicus recolebat sua peccata, & propter timorem gehennæ voluit plorare, & non potuit*; *petivit lacrymas ab amore, & sapientia respondit ei, quòd sæpiùs & fortiùs ploraret propter amorem sui Amati, quàm propter timorem pœnarum, quia magìs placent ei fletus propter amorem, quàm propter timorem.* Et Can. seq. *Amicus obedivit sapientiæ, & cum uno oculo ploravit plures & grossiores lacrymas propter amorem, & cum altero pauciores & minores propter timorem, ut faceret suo Amato majorem honorem per amorem, quàm per timorem, & fletus propter amorem dabat ei consolationem & quietem, fletus autem propter timorem dabat dolorem & tribulationem.* Et Can. 349. *Theologia, Philosophia, Medicina, & Jus obviaverunt Amico, qui interrogavit ab eis nuncium de suo Amato*; *Theologia inveniebat,*

Philoſophia inquirebat, Medicina conjiciebat, & Jus deliberabat; quæritur, quid unaquæque Dominarum indicabat de Amato?

Et Can. ſeq. *Amicus obviavit divinatorio Aſtrologo, & interrogavit, quid eſſet ſua Aſtrologia? qui dixit: eſt ſcientia ad ſciendum futura: Amicus reſpondit: falleris, non eſt ſcientia, ſed fallacia ſcientiæ, velamen necromantiæ, & pythomantiæ, pſeudoprophetia infamans Artificium ſummi Opificis, ſemper nuncia malorum, quam reprobat Providentia mei Amati, quæ largitur bona pro malis, quæ illa minatur.* Et Can. 356. *Amicus viſitavit varia loca, & invenit multos gaudentes, ridentes, cantantes, & viventes in omni ſolatio; quæſtio eſt orta, an in hoc mundo ſit magis ridendum, vel plorandum? Virtutes venerunt, ut eſſent Judices hujus quæſtionis; Fides dixit: eſt plorandum, quia plures ſunt Infideles, quàm Fideles; Spes dixit: eſt plorandum; quia pauciores ſperant in Deo, & plures ſperant in terrenis bonis; Charitas dixit: eſt plorandum, quia tam pauci ſunt amatores Dei, et proximi; cæteræ Virtutes ſequebantur, et omnes præcipiebant idem.* Et Can. ſeq. *Amicus ægrotavit, et cum conſilio ſui Amati fecit ſuum teſtamentum; culpas et peccata reliquit contritioni et pœnitentiæ, temporales delectationes vilipendio et contemptui, fletus et lacrymas ſuis oculis, ſuſpiria et amores ſuo cordi, et contemplationes pulchritudinum ſui Amati ſuo intellectui.*

Et Can. ſeq. *Amicus cogitabat de morte, et dicebat: Regina cœli, quando debebo mori, expande tuum ſinum, in quo reclinaſti meum dulciſſimum Amatum, et non timebo omnem inſultum hoſtilem.* Et Cant. ſeq. *Quantò anguſtiores ſunt viæ, per quas Amicus incedit ad ſuum Amatum, tantò ampliores ſunt amores; et quantò ſtrictiores ſunt amores, tantò ampliores ſunt viæ; et ideò, qui quærunt incedere per latas vias hujus mundi, illis contingit, quòd nil, vel parùm poſſint amare.* Et Can. 364. *Interrogaverunt Amicum, in quo eſſet major amor, in Amico, qui vivebat, vel in Amico, qui propter amorem emigrabat ex mundo? Amicus dixit, in Amico, qui emigrabat, nam amor non poteſt eſſe major in Amico, qui moritur propter amorem, et poteſt eſſe major in*

eo ; qui vivit propter amorem. Hanc majorem Charitatem & amorem practicavit B. Raymundus quærens illam in flammato desiderio & immensis laboribus, donec suam pro suo Divino Amato animam posuit.

DE ALIIS VIRTUTIBUS.

QUoniam nimis longum esset de cæteris virtutibus singillatim instituere sermonem ; satis sit nosse, B. Raymundum septem principales Virtutes, ad quas omnes aliæ reducuntur, Reginas vocitare, in quarum societate degebat, ambulabat & laborabat ; & ita istę septem mulieres Virum hunc totaliter apprehenderunt, ut nil ageret, nisi ex consilio & mandato ipsarum ; & ideò semper totis ex viribus laborabat, ut eas redderet omnibus gentibus charas, & de mundo opprobrium auferret ipsarum. Hoc ultimum suis in Libris videtur, & primum sequens declarat metaphora : Lib. citato Cant. 292. de se ait : *Construebat Amicus unam pulchram Civitatem, in qua habitaret suus Amatus : muri erant de Fortitudine, fundamenta de Humilitate, triclinium de temperantia, thalamus de Castitate, turres de Magnificentia, portæ erant de Fide, Spe, et Charitate : vici erant de Pietate, custodes de Justitia, universum idioma de Amore ; ut per hæc omnia transiret Amatus.* Ecce aliquitatem qualitercumque creditam B. Raymundo innegabilem, quæ, cùm necessariò connectat, imò & omnes includat aliquitates ; videbit inde noster Antilulliſta, qualiter bona fides juvet ad intelligendum ; cùm ipse ex bona aliquitatis fide necessariò ad totalitatis intelligentiam veniat.

Ad secundam partem, scilicèt, quòd B. Raymundus fuerit specialis ingenii ; dicitur, hoc ita esse ; quia ingenium Scientiâ speciali habituatum, speciale est, sicut ingenium habituatum Scientiâ generali est generale, & si induatur habitu Scientiæ univorsalis, & particularis, etiam est universale, & particulare ; & cùm B. Raymundi ingenium fuerit habituatum & ornatum omni habitu Scientię generalis, specialis, universalis, particularis, in-

infuſæ, acquiſitæ, & Scientiæ mediæ perfectione, neceſſe eſt, ipſum fuiſſe ingenii tantifariàm perfecti in omni habitu ſcientiali; ût patet ſupra, & Libri clariſsimè demonſtrant; & ſic omnes Lulliſtæ ſpeciales gratias agimus pro aſſerta ſpecialitate ingenii noſtri B. Magiſtri.

Ad tertiam partem, ſcilicèt, quòd B. Raymundi ingenium fuerit magis ſubtile, & tranſverſum, quàm ſolidum; negatur *ly magis*, & tranſverſalitatis ſuppoſitum, ſi hæc utì communiter aſſumitur, pro puerili & inconſiderata indirectione ſumatur; quia B. Raymundus, ex quo fuit à Deo illuminatus ſuo uſus eſt ingenio ordinatim & directè, & maturâ conſideratione ſemper ad ſupremum Finem, ad quem omnia principia, & intermedia rectiſsimè & debitâ dirigebat intentione, ût ejus ſcripta teſtantur & opera. Et, quòd ejus ingenium non fuerit minùs ſolidum, jam manet ſuperiùs demonſtratum, ubi fuit ſermo de Lullianæ methodi ſoliditate; & etiam taliter ejus ingenii ſoliditas eminuit, ut Titulum Doctoris Profundi ſit nactus, ût patet ex Antiphona ad Magnific., quæ Majoricæ recitatur ſic: *Raymundus pretioſæ laudis abundus, Doctor Profundus, regnat ſinè fine jucundus, & collaudabunt multi ſapientiam ejus, & uſque in ſæculum non delebitur nomen ejus.* Verſus. Ora pro nobis B. Raymunde. Ut digni efficiamur &c. Oratio. Oremus. *Deus, qui pro mundi hujus tenebris illuſtrandis B. Raymundum Martyrem tuum doctrina mirabili tuæ ſapientiæ illuſtraſti: præſta Eccleſiæ tuæ, ut ejus illuſtrata doctrinis propulſis erroribus, & tenebris vitiorum, per viam virtutum incedat, & ad te memorandum, intelligendum & amandum convaleſcat, & pro nobis ſit intelligentiæ, ſapientiæ, Scientiæ, atque eloquentiæ perpetuus interceſſor.* Per Dñm &c. Prædicta Antiphona, verſus & oratio à tempore immemoriali Majoricæ B. Raymundo recitatur, & eſt multis in Libris impreſſa, & Ordinariorum Authoritate reimprimitur quando novæ ipſius imagines imprimuntur, & Teſtes jurati in canonizationis proceſſu deponunt, ſe Breve Leonis X. ipſam concedentis legiſſe. Vid. Cuſturerium cap. 4. Diſſ. fol. 117.

§. VIII.

§. VIII.

AD 8.; ſcilicèt, quòd noſter Antilulliſta, ût ipſe dicit; non ſit conventurus cum dictamine Lauſii appellantis B. Raymundum ſtultiſſimè ſubtilem; dicitur, hanc inconvenientiam nobis perinde eſſe; verumtamen Lulliſtę debitas ei reddimus gratias, quia non vult convenire dicterio contradictionem implicanti; nam ſtultitia, & ſubtilitas opponuntur, quia ſtultitia eſt groſsities; & ſic, ſi B. Raymundus erat ſtultiſsimè ſubtilis, in ipſo maxima debebat eſſe groſsities, que non valet cum ſubtilitate cohabitare, & ſic fuiſſet ſubtilis, ût dicitur in dicterio, & non fuiſſet ſubtilis, quia groſsiſsimus: unde videtur Lauſius ſtultiſsimè locutus, dum ſubtiliſsimè loqui putaret. Si ipſe B. Raymundum vocaſſet ſubtiliſsimè ſtultum, rectè ſcopum attigiſſet; quia B. Raymundus, ût ipſius ſcripta & geſta demonſtrant, erat ſubtiliſsimus, & factus eſt ſtultus propter Chriſtum, & ideò in Lib. de Amico, & Amato, & in aliis paſsim fatuus amens & ſtultus Amoris vocitatur. At fatuitates & ſtultitię illius ſunt ita ſubtilitate & divinâ Sapientiâ plenæ; ût Deus per illas inflatam mundanorum ſapientiam confundat; nam nullus, quem ſciam, de ſubtilitate, quæ eſt quartus ſenſus ſpiritualis ſcripſit, & ita ſubtiliter & ſapienter uti B. Raymundus de ea ſcribit, ut modum ſubtiliandi adverſariorum intellectum, & diſcernendi ſubtilitatem ſenſualem ab intellectuali præclarè demonſtret.

Ponatur exemplum ex Maximo Lib. Contempl. cap. 216. n. 5. ubi ait: „ Qui vult „ dirigere intellectum ſui ad„ verſarii, Domine, opportet, „ quòd primò det ei cognitio„ nem de rebus generalibus, ut „ per eas poſsit eum ſubtilia„ re in rebus ſpecialibus, quia „ per hoc, quòd homo non „ reſiſtat ita ferventer & ani„ mosè in rebus generalibus „ & communibus, ſicut in „ ſpecialibus, habet diſputans „ concordantiam cum ſuo ad„ verſario priùs in rebus ge„ neralibus, quàm in ſpecia„ libus, & poſtquam hæc con„ cordantia ſit facta in rebus „ generalibus, poterit diſpu„ tans meliùs ſubtiliare intel„ lectum ſui adverſarii in ſpe„ cialitate rei, de qua eſt mo-

„ ta

„ ta quæſtio & diſputatio. Et „ n. 10. ait: „ O Domine Deus, „ qui ſelegis & elegis ad glo„ riam & benedictionem, quos „ vis! Qui vult acuere & ſub„ tiliare intellectum ſui adver„ ſarii, det ei demonſtratio„ nem & cognitionem de quin„ que generalitatibus, & de„ cem prædicamentis, quia iſ„ tæ res ſunt, in quibus homo „ poteſt intelligere & ſcire om„ nes res intra terminationem, „ ad quam cognitio hominis „ poteſt attingere & ſuffi„ cere.

Et n. 11. ait: „ Cum de„ monſtratione quinque po„ tentiarum animæ, & cum „ cognitione trium virtutum „ principalium animæ, & trium „ principiorum & duarum in„ tentionum & duorum mo„ tuum, poteſt homo, Domi„ ne, acuere & dirigere inge„ nium & intellectum ſui ad„ verſarii ad intelligendum & „ ſciendum res, quas ei vult „ demonſtrare & manifeſtare. Nota: *Quinque potentiæ ſunt Elementativa, Vegetativa, Senſitiva, Imaginativa, et Rationativa. Tres virtutes ſunt Memoria, Intellectus et Voluntas. Tria Principia ſunt Materia, Forma, et Conjunctio. Duæ Intentiones ſunt Prima et Secunda. Duo Motus ſunt Primus ſursùm, ſive ad bonum, et Secundus deorsùm, ſive ad malum.* Et n. 15. ait: „ Nam memo„ ria, Domine, memorando „ generat intelligentiam, & „ ex memoria & intelligentia „ exit voluntas; &, in quan„ tum memoria memorat, & „ intellectus intelligit, & vo„ luntas vult, in tantum eſt „ homo ſubtilis & intelligens: „ igitur, cùm hoc ita ſit, per „ concordantiam memoriæ & „ intellectûs & voluntatis fit „ homo ſubtilis & intelligens, „ & per diſcordantiam iſtarum „ virtutum fit ignarus & non „ habens ſubtilitatem.

Et n. 16.: „ Miſericors „ Domine ſuper omnes miſe„ ricordias, amate ſuper om„ nes amores! Qui vult ſubti„ liare ingenium ſui adverſa„ rii, ſi videat ſuum adverſa„ rium habere credentiam & „ fidem in actu, & intellectum „ in potentia, oportet, quòd „ faciat ipſum habere fidem „ in potentia, & intellectum „ in actu; quia, quando ho„ mo habet fidem in actu, eſt „ ſuus intellectus incarceratus „ & captus in actualitate fidei, „ & quando fides reducitur „ ad potentiam, intellectus exit „ à carcere: &, ſi homo re„ du-

„ ducat intellectum ſui adver-
„ ſarii ad actualitatem in qua-
„ tuor cauſis intellectualibus,
„ ſubtiliabit ipſum plùs quàm
„ ſi ducat eum ad actualitatem
„ in quatuor cauſis ſenſuali-
„ bus, quia propinquiores ſunt
„ naturæ intellectûs quatuor
„ cauſæ intellectuales, quàm
„ quatuor ſenſuales. Et n. 17.:
„ Quando homo, Domine,
„ invenit ſuum adverſarium
„ groſsi ingenii & non poteſt
„ facere, quòd ipſe intelligat
„ rationes ſubtiles, tunc ſig-
„ nificatur, quòd ingenium
„ ſui adverſarii ſit obtuſum in
„ ſubjugatione & ſervitute po-
„ tentiæ ſenſitivæ; &, ſi ipſe
„ velit in hoc caſu dirigere in-
„ genium ſui adverſarii ad ſub-
„ tilitatem, opportet quòd fa-
„ ciat illum liberum à poten-
„ tia ſenſitiva & ſubditum po-
„ tentiæ rationali, ut in ea ſit
„ intelligens & ſubtilis; quia,
„ ſicut potentia ſenſitiva ha-
„ bet naturam incraſſandi &
„ obtundendi ingenium homi-
„ nis, ita potentia rationalis
„ habet naturam & proprieta-
„ tem dirigendi & ſubtiliandi
„ ipſum. Et n. 19.: O Domine,
„ qui ploraſti in Cruce ut nos
„ lætificaremur in tua gloria!
„ Quando homo oſtendit & ſig-
„ nificat ſuo adverſario paucis
„ verbis multas rationes, tunc
„ faciliùs dirigit intellectum
„ ipſius, quàm quando multis
„ verbis oſtendit ei paucas ra-
„ tiones; quia natura eſt intel-
„ lectûs dirigi citiùs paucis ver-
„ bis ſignificantibus multas ra-
„ tiones, quàm multis & ſu-
„ perfluis verbis ſignificanti-
„ bus paucas rationes.

Et n. 21.: „ Quando ho-
„ mo, Domine, facit fallacias
„ & loquitur ſophiſmatibus &
„ verbis duplicibus ad occul-
„ tandum veritatem & ad oſ-
„ tendendum falſitatem, non
„ ſubtiliat ingenium ſui adver-
„ ſarii imò ipſum obtundit &
„ incraſſat; & propterea, qui
„ vult ſubtiliare ingenium ſui
„ adverſarii, caveat nè loqua-
„ tur ei verbis duplicibus & ſo-
„ phiſticis nèc verbis artificia-
„ tis contrariis veritati, quia
„ quidquid eſt contrarium ve-
„ ritati eſt impedimentum in-
„ tellectûs & ſubtilitatis. Et n.
„ 22.:„ O Domine, in quo non
„ eſt ulla corruptio nec ullus
„ defectus! Unus de meliori-
„ bus modis, quos homo poſ-
„ ſit habere in dirigendo intel-
„ lectum ſui adverſarii, eſt
„ quòd faciat ipſum imaginari
„ res intellectuales, & quan-
„ do intellectus imaginetur res
„ intellectuales, faciat quòd

„ illa imaginatio perveniat ad „ potentiam rationalem, & „ poſtquam ipſa pervenerit ad „ potentiam rationalem erit in„ tellectus in ſuo loco, in quo „ erit directus & potens intel„ ligere.

Et n. 23.: „ Quando in„ tellectus hominis, Domine, „ pervenerit ad potentiam ra„ tionalem, tunc debet ho„ mo eum elevare ad ſubti„ liandum ipſum in tua Bo„ nitate & Nobilitate; &, ſi „ per aliquod impedimentum „ non poſsit ipſum elevare „ ad tuam Bonitatem, opor„ tet quòd eum reducat ad „ imaginativam imaginando „ ſignificationes, quas crea„ turæ dant de tua Bonitate, „ & quando imaginativa re„ ceperit iſtas ſignificationes, „ transferat eam homo cum „ ſignificationibus ad poten„ tiam rationalem; quia, ſi „ ipſa cum ſignificationibus „ poſsit ad illam pervenire, „ tunc intellectus poterit eſſe „ ſubtilis in cognoſcendo & „ intelligendo tuam Bonita„ tem. Et n. 27.: „ Per om„ nes modos, per quos huma„ nus intellectus poteſt veni„ re de potentia in actum, „ Domine, debet homo ſa„ piens tentare ignorantem ut „ faciat eum intelligentem in „ rebus, quas non ſcit, quia „ quandoque intelligit homo „ unum contrarium per aliud, „ quandoque per res, quæ „ ſunt in actu intelligit res, „ quę ſunt in potentia, quan„ doque intelligit per formam „ naturalem & quandoque per „ accidentalem, quandoque „ meliùs intelligit per diver„ ſas comparationes, quàm per „ ſimiles, & quandoque meliùs „ per ſimiles, quàm per diver„ ſas: igitur, qui vult ſubti„ liare ingenium ſui adverſa„ rii, debet probare & tenta„ re intellectum ipſius in om„ nibus prędictis rebus. Et n. „ 28.: „ O Domine Deus, „ qui adeò me inamoraſti de „ cœleſtibus beatitudinibus; „ quòd me facias contemnere „ omnes terrenas felicitates! „ Quia homo eſt res fragilis „ & miſera, ideo ſuus intel„ lectus non eſt paratus ad in„ telligendum in omni loco nec „ in omni tempore, quoniam „ meliùs intelligit in uno loco, „ quàm in alio & in uno tem„ pore, quàm in alio; & prop„ tereà quando homo ſapiens „ vult inſtruere ſuum adverſa„ rium vel ſuum diſcipulum in „ aliqua re, ſi videat, ipſum „ non poſſe eam intelligere, „ de-

„ debet eum mutare de uno „ loco in alium vel de uno „ tempore in aliud.

Et n. 30.: „ Tibi, Domine Deus, ſit gloria & laus „ omni tempore, quia ſicut homines exiſtentes in altis „ montibus remotiùs vident, „ quàm exiſtentes in locis imis, „ ita homines habentes memoriam & intellectum & voluntatem in tua alta & excellenti Bonitate, ſunt multò ſubtiliores & ſapientiores, quàm habentes memoriam & intellectum & voluntatem in creaturis; & „ propterea, qui ſuum diſcipulum vel adverſarium velit „ facere ſapientem & intelligentem, oportet quòd faciat eum memorare & intelligere & velle altitudines & „ nobilitates tuæ excellentis „ glorioſæ Eſſentiæ Divinę. En non obſcurum ſapientiſsimæ Illuminati Doctoris ſubtilitatis veſtigium, in quo utì per ſpeculum poteſt videre noſter Antilulliſta, quàm optimè, & cum quanta ratione renuerit dicterioſo Lauſii dictamini convenire, & idipſum cum magna congratulatione ſperamus in aliis veritati Lullianæ adverſantibus facturum, ſi modicum dignetur ejuſdem B. Doctoris ſcripta rimari.

§. IX.

AD 9., ſcilicèt, quòd puritas Theologica Doctrinæ B. Raymundi ſit in controverſia; dicitur, eſſe quidem in controverſia. Sed, quid inde? Numquid propterea non eſt bona nec Catholica nec amplectenda? Neutiquam hoc ſequitur, quia, ſi ex controverſia ſequeretur, rem controverſam non eſſe bonam, nil boni eſſet in rebus bonis, nec res bonæ eſſent bonæ; nam res in mundo quantò meliores ſunt, tantò majorem controverſiam et contradictionem patiuntur, ût docet experientia, & viſum fuit in Doctrina Chriſti Domini omnium Doctrinarum optima & Catholicè puriſsima, cui ubique contradicebatur, ût patet ex Actibus Apoſtolicis; numquid rectè intuliſſent Infideles ex hoc antecedenti: *Nos audivimus, quòd huic ſectę* (ſic vocabant Doctrinam Chriſti) *ubique contradicitur*: ergo debemus fugere ab ea? Abſit, diceret Vir prudens & veritatis amator, quia quòd res ſit controverſa jam eſt ſignum bonitatis vel malitiæ, veritatis vel falſitatis in ipſa re poſsibilis; &, ſicut eſſet pericu-

riculum & temeritas in cæca illius electione, ſic pariter in deſpectu; & ideo priùs debet perpendi & examinari cum æquitate, quinam ſint contradictores, & defenſores, & qua ratione & motivo ſit controverſia, & potiùs, quid res ipſa ſit; nam ſi controverſia & contradictio ſufficeret ad aliquid ſpernendum, paſsìm liceret res optimas ſpernere, quo quid abſurdius?

Dignetur noſter Antilulliſta Deum rogare, ut det ipſi ſpiritum aggrediendi aliquam optimam reformationem, in quacumque re bona, & experietur, qualiter res optimè maximè contradicantur. Et eſt maximè miſerandum, & lacrymis ſanguineis deplorandum, quòd plurimi Viri optimæ intentionis & famæ, ſoleant in hunc laqueum incidere, inferentes ſinè dubio & reflexione malitiam ex putatitia alicujus rei novitate, ſicut accidebat Phariſeis in Doctrina Chriſti dicentibus: *Quenam Doctrina hęc nova*? cùm eſſet antiquiſsima, & eadem, quam Spiritus S. per Prophetas docuerat. Quid igitur mirum, quòd idem accidat Doctrinæ Lullianæ, quæ ante quatuor ſæcula jam practicabatur in mundo? cùm ſit ipſa Chriſti Doctrinâ; ût aliqualiter demonſtratum eſt ſupra, & poteſt totaliter demonſtrari. Et licèt eſſet noviſſima, nullatenus eſſet propter novitatem præſcisè reſpuenda, ût clarè docet idem B. Raymũdus in Lib. de Doctrina puerili cap. 93. de Conſuet. n. 5. dicens: „ Non plùs ames vetę„rem conſuetudinem propter „ ſuam antiquitatem, quàm „ novam, & non plùs ames no„vam conſuetudinem propter „ ſuam novitatem, quàm vete„rem; & ſcis quare? ut eligas „ meliorem, & odias peiorem. „ Et n. 6. „ Si mali mores prop„ter antiquitatem eſſent boni, „ opera dæmonum, qui tamdiu „ perſeverarunt in malo, eſſent „ bona, &, ſi omnes novæ con„ſuetudines eſſent malæ, prin„cipium boni eſſet malum.

Veritate hujus univerſalis Doctrinæ per ſe patenti obſervâta, poteſt quilibet rectiùs per vias novitatis & antiquitatis incedere, ad ſententiarum examen in controverſiis, appellando, quin novitas ad reſpuendum, nec antiquitas ad eligendum ſufficiat; nam ſi novitas eſſet ratio formalis reprobandi, & antiquitas eligendi; diſcurratur, quot, & quanta abſurda in univerſo ſequeren-

tur.

tur. Unde dico, Theologicam Lullianæ Doctrinæ puritatem ex controverſiis occaſionaliter magnam gloriam poſsidere, quia quotidem hucuſque paſſa eſt controverſias, totidem victorias de inimicis reportavit, ût patet ex Sententiis definitivis Authoritate Apoſtolica datis, & per legitimos Judices proTheologica ipſius Doctrinæ puritate, & in Approbationibus ſuprapoſitis, ita ut ipſi non deficiat nisi ultima Definitio & Appobatio S. R. Eccleſiæ. Et mirabile quidem eſt in tot & tam acribus controverſiis nequiviſſe contra dictam puritatem aliquid erroneum in S. Fidem & hæreticale demonſtrari; ſed è converſo inimicorum deceptionem ignorantiam & invidiam fuiſſe detectam, qui, quantò turpius crimen conati ſunt ipſi Doctrinæ inferre, tantò nobiliori occaſionaliter ipſam coronâ donarunt; & tantò glorioſiùs eminere viderunt, quantò magìs ipſi gloriam invidebant: unde Lulliſtæ deberemus avidè controverſias coemere, nisi Charitas ad compatiendum infelicitati contradicentium veritati nos moveret; quia in controverſia plures excitantur ad dubitandum, & dubitantes quærunt, & quærentes inveniunt veritatem: unde ſequitur, Theologicam Lullianę Doctrinæ puritatem magìs eluceſcere, & plures lucrari amicos. Et ideo, quantùm fas eſt, omnes Lulliſtæ noſtro congratulamur Antilulliſtæ, eoquòd hanc dormientem de Theologica Lullianæ Doctrinæ puritate ſpeciem ſuſcitaverit; quia nil magìs deſideramus, quàm venire ad lucem, quàm poſt tenebras, ſperamus.

§. X.

AD 10., Scilicèt; quòd Nicolaus Eimericus in ſuo Directorio Inquiſitorum dicat, Papam Gregorium XI. damnaſſe per Bullam expeditam 25. Januarii 1376. ût hæreticos pluſquam ducentos errores repertos in 20. Libris Raymundi Lulli delatos ipſi Pontifici per ipſum Eimericum; dicitur, de hoc plùſquàm ſufficienter dictum eſſe ſupra in Sententia Definitiva pro innocentia & puritate Theologica B. Raymundi, & ejus Doctrinæ, & contra Eimericanam cum Bullâ fictitia calumniam in Judicio convictam & damnatam; & ſic meliùs eſſet adverſariis tacere, quàm ſibi majorem ig-

nominiam excitare. Nihilominùs ob motivum propoſitæ notitiæ ex plurimis, quæ ulteriùs poſſent dici in demonſtrationem veritatis, præter ſupradicta, adhuc aliquid dicetur, acſi hucuſque nil de hac re dictum eſſet. Quæritur igitur, cujus teſtimonio magis ſtandum eſt, Eimericinè contra B. Raymundum & ejus Doctrinam moti, quia cum ipsâ ſtrenuè defendit & demonſttat Immaculatam Bmæ V. Mariæ Conceptionem, ût infra, vel aliorum majoris Authoritatis Inquiſitorum, de quibus nulla eſt ſuſpicio? Videamus ergo, quid hi ſentiant de hac re, & primatum ducat

Em. S. R. E. Card. Dominus D. Franciſcus Ximenez de Ciſneros Hiſpaniæ Inquiſitor Generalis &c., cujus ſupra laudabilis mentio facta eſt, qui in ſequenti Epiſtola ait: „ Ad „ plurim. Nobiles Dominos „ Juraros Civitatis & Regni „ Majoricarum. Plur. Nob. „ Domini: Secretarius Alfonſus „ de Proaza remiſit ad me veſ„ tram Epiſtolam, & Transüp„ tum Titulorum & Privile„ giorum illius Doctrinæ Ma„ giſtri Raymundi Lullii Doc„ toris Illuminatiſsimi, & ha„ bui maximum placitum ex „ videre illa, & ex omni eò „ quod ſuper hoc ſcribunt ad „ me; quia in veritatè habeo „ magnam affectionem ad om„ nia illius Opera, quia ſunt „ multæ Doctrinæ & utilitatis; „ & ita credant, quòd in quan„ tùm potero, illa favore pro„ ſequar, & laborabo, ut hæc „ Doctrina publicetur & le„ gatur in omnibus ſtudiis &c. „ Compluti die 8. Octob. 1513. „ *Veſter, Cardinalis Hiſpania„ rum.* Hieronymus Yllàn Se„ cret.

Hoc teſtimonium Inquiſitoris tantæ Authoritatis doctrinæ & comprehenſionis eſt efficax perſuaſio nullitatis dictæ Bullæ jam ante decem annos impreſſæ in Directorio Eimericano; & etiam, quia certiſsimum eſt, quòd iſte Emin. Princeps erat B. Raymundi & ejus Doctrinæ devotiſsimus, ita ut in graviſsimis Regni occupationibus, non deſiſteret à Lullianorum lectione Librorum, & ſemper in ſuo comitatu Lulliſtam in Arte peritum puncta Lullianæ Doctrinæ difficiliora ipſi declarantem habebat, ût patet ex ſupradictis. Quis enim rationalium poterit credere, iſtum ſolum Generalem Inquiſitorem ignorare, quid actum eſſet contra

trà B. Raymundum, & ejus Catholicam Doctrinam Eimericano in Directorio? ergo ſignum evidens eſt; tam Bullam, quàm omnia contra B. Raymundum ejuſque Doctrinam machinata jam tunc, & præſertim in Sancto Generalis Inquiſitionis Tribunali, pro nihilo reputari.

Secundus eſt Ilmus Dominus D. Arnaldus Albertinus Canonicus, & Majoricæ, Valentiæ, & Siciliæ Inquiſitor Apoſtolicus, Epiſcopuſque Paſſenſis inter ſapientes ſui ſæculi ſapientiſsimus, ût declarat Cæſarea Caroli V. Epiſtola ipſi gratias reddentis pro ſapientiſsima reſponſione, quam conſultus de graviſsimo puncto diſpenſationis Matrimonii Reginæ Catarinæ, & Enrici VIII. in ſcriptis exhibuerat. Idem declaravit S. P. Adrianus VI. vocans ipſum, ut diſputaret coràm ſe de graviſsima materia ſuper quaſdam propoſitiones Joannis Doria, ſive Magiſtri Orla; necnon ſummopere ejus appretiabat ſapientiam Rmus Generalis Ordinis Prędic. P. Garcia Joayſa poſteà Archiepiſc. & S. R. E. Cardinalis. Iſte igitur Ilmus & ſapientiſs. in rebus præſertim pertinentibus ad S. Inquiſitionis Officium, ût ejus prędclariſsima ſcripta in hac materia teſtantur, in Rub., & cap. 1. de hęreticis Lib. 6. q. 13. editionis anni 1534. ait: „ Et hodie „ habetur impreſſus Catalogus „ hęreticorum: per quorum „ lecturam habebitur abundans „ cognitio. A cujus catalogi „ Authore in farragine illa prę„ ventus fui: ideo illam præ„ termitto. Nec quidem ei aſ„ ſentio: dum hæreticorum „ gregi Magiſtrum Raymun„ dum Lulli Civem Majoricen„ ſem aggregavit. Virum ſa„ nè Catholicum integerrimę„ que vitæ ſpecimen, & exem„ plar, cujus inclyta Doctri„ na, ſanctiſsimique mores to„ ti Hiſpaniæ & Galliæ noteſ„ cunt: ut eum Sanctorum Ca„ talogo potiùs ſcribendum „ ſentiant. Qui hanc mortalem „ agens vitam Zelator Fidei „ Catholicæ fervidus extitit. „ Teſtantibus id ejus Opuſcu„ lis: Divinoque lumine illuſ„ tratus vehementer anhela„ vit ad inſerendum humanis „ mentibus optimos mores, „ Sacramque Fidem Chriſtia„ nam adeò, ut ad Agareno„ rum regna intrepidus pro„ ficiſceretur, quo illos Reli„ gionis noſtræ cultores effi„ ceret. Et dum Verbum Divi-

„ vinum ferventer Infidelibus
„ palamque exponeret, mira-
„ renturque omnes Spiritum,
„ qui in eo loquebatur: non
„ valentes ejus ſapientiæ ver-
„ bis obſiſtere, lapidibus il-
„ lum obruentes, aureolâ Mar-
„ tyrii coronarunt.

„ Cujus corpus non ſinè
„ magno miraculo ad Urbem
„ noſtram Majoricenſem de-
„ latum, & penès Eccleſiam
„ S. Ftanciſci Sacello hono-
„ rificè ſepultum, miraculis cla-
„ ret. Ejuſque Dogma à Doc-
„ toribus Pariſienſibus proba-
„ tum publicè in dicta Urbe,
„ & in aliis Hiſpaniæ Gymna-
„ ſiis diſcendum proponitur:
„ quod ſi legeris, à Deo reve-
„ latum potiùs, quàm ab ho-
„ mine quæſitum, vel elabo-
„ ratum cenſebis. Id enim ſuos
„ Auditores virtutibus imbuit,
„ aut imbutos invenit. Articu-
„ li verò ei temerariè adſcrip-
„ ti, falsò impoſiti ſunt; num-
„ quam enim in ejus Libris re-
„ perti fuere, quamvis ſub-
„ tilis, & ſcrupuloſa indagatio
„ à pluribus Theologis mag-
„ næ lectionis, & Authorita-
„ tis Viris, jubente Summo
„ Pontifice, facta extiterit,
„ prout monumenta, quę vidi
„ apud Archivum Civitatis
„ Barcinonenſis recondita teſ-
„ tantur. Quæ non immeritò
„ prefati Doctoris Diſcipulis
„ anſam conquerendi coram
„ ſummo Pontifice tribuunt;
„ ut hæc ignominia, fallaci-
„ ter tanto Viro irrogata de-
„ leatur de Libris, in quibus
„ hoc crimen hæreſis nefan-
„ dum calumniosè impingitur.
„ Quia, ût inquit ſapientiſsi-
„ mus Ruſinus: eſt quidem
„ glorioſum Chriſti exemplo
„ patienter injurias tolerare,
„ unam tamen notam hære-
„ ſeos, qui ferat, vel diſsimu-
„ let, non eſſe Chriſtianum.
„ Et D. etiam Hieronymus cla-
„ ra voce clamabat inquiens:
„ *Nolo in ſuſpicione hæreſeos,*
„ *quemquam eſſe patientem.* Ne
„ ergo videantur Diſcipuli cri-
„ men Magiſtri agnoſcere, ab
„ eis ſumma ope laborandum
„ eſt, ut illud diluatur. Sum-
„ mumque decet Pontificem,
„ ut breviter hoc negotium,
„ ſi coràm ſua Sanctitate pro-
„ poſitum fuerit concludatur.
„ Et ſciamus, quæ laudanda;
„ quæ verò reprobanda ſunt,
„ ut unumquemque opera ſua
„ ſequantur. Hęc Ilmus Alber-
„ tinus, cujus teſtimonium
„ plùs denotat, quàm per ver-
„ ba exprimatur.

Idque propter maximi mo-
menti notabiles circumſtantias, ſci-

ſcilicèt Dignitatis Perſonæ & tantæ æſtimationis apud Cæſarem, & ipſum Eccleſiæ Oraculum; eminentis ſcientiæ in materiis Dogmaticis, nulli cedentis in Doctrina, quam ſcripſit de modo diſcernendi propoſitiones hæreticas à Catholicis; peritiæ in materiis S. Tribunalis, ût longa experientia in hoc S. Officio ſuadet; eruditio ſuorum operum & præſertim Speculum Inquiſitorum, quod compoſuit; inſtructionis in hoc negotio, quia pluribus annis fuit Inquiſitor in Regno Aragoniæ, ubi ventilabatur, præcipuè Majoricæ, & Valentiæ; & tandem propter principalem tam ſolertis ſolicitudinis circumſtantiam, qua voluit propriis manibus contrectare, & propriis oculis ſcrutari authentica monumenta in ſuis Archivis & originalibus, quibus clarè vidit, quid molitus fuerat Eimericus contra B. Raymundum, & caſum Bullæ anni 6. Gregoriani Pontificatûs, ex qua certitudine, nedùm ſcribit contra Lutzemburgum, verùm contra alium aliquando in Catalonia Inquiſitorem, quin hoc obfuerit, ut ita ſcriberet, quod ſcripſit, quod plùs ſignificat, quàm tale ac tantum teſtimonium declaret.

Tertius eſt Perilluſtris Dominus D. Ludovicus Paramus Apoſtolicus Siciliæ Inquiſitor, cui Generalis Hiſpaniæ Inquiſitio propter ejus eminentia pignora, graviſſima confidit negotia in defenſionem S. Tribunalis Inquiſitionis, & repetitis vicibus illi munus injunxit ſcribendi præclarum Tomum de *Origine & Progreſſu Officii Sanctæ Inquiſitionis, ejuſque Dignitate, & Utilitate* edit. Matrit. anno 1598. Iſte igitur ſapientiſsimus & peritiſsimus Vir in S. Tribunalis muneribus, & Generalis Inquiſitionis Propugnaculum, poſtquam Inquiſitorem Eimericum de Doctrina & ejus pignoribus laudaſſet, Lib. 2. tit. 1. cap. 5. n. 19. de ipſo ait: „ Licèt pe„ tulanter contra B. Raymun„ dum Lullium, & ejus Doctri„ nam, neſcio, quo ſpiritu duc„ tus, invexerit, ût in quæſ„ tione de combuſtione, & „ prohibitione Librorum latè „ diximus. Hæc Paràmus.

Et licèt videre non potuerim id, de quo ſe latè ſcripſiſſe dicit, quo non modicùm gaviſus eſſem; præſens jam ſupereſt teſtimonium; nam, ſi tantus Author in graviſsimis negotiis & materiis S. Tribunalis, & Propugnator & De-

fenſor Generalis Inquiſitionis per ſua præclariſsima Opera & Scripta; non dubitavit vocare Raymundum *Beatum*, & aſſerere, ejus inimicum, contra ipſum & ejus Doctrinam *petulanter* & *ſpiritu neſcito* invexiſſe; evidens ſignum eſt nullitatis dictæ Bullæ, & omnium, quę oppoſuit B. Raymundo & ejus Doctrinæ Eimerici Directorium. Sufficiant igitur dicti tres tantæ Authoritatis Teſtes, quamvis unicus ſupereſſet, ut ſapientes, & inſipientes videant, cui ſit magis credendum, teſtimonio trium Inquiſitorum tam qualificato, vel unius bis depoſiti ab hoc S. Officio, & ex toto Hiſpanię Regno propter hanc contrarietatem depulſi?

Iſte enim unus fuit radix & origo iſtius contraponderis, ût aſſerit R. P. Cuſtureriuſ S. J., noſter Ilmus Cornejo, & alii, & motivum affertur in Tranſumpto Memorialis verſati in Curia Romana pro Canon. B. Raymundi, ût videre eſt apud Cuſtur. Diſſ. 2. c. 6. f. 395. n. 84., ubi legitur ſic: „ Dicitur primò viguiſſe tem„ pore Eimerici ante annum „ 1400. inter Eimericum ip„ ſum, & Lulliſtas contentio„ nem de Conceptionæ puriſ„ ſimæ Virginis, contendente „ Eimerico, conceptam fuiſſe „ cum originali peccato, & „ Lulliſtis cum Lullo oppoſi„ tum defendentibus. Quæ „ contentio eò pervenit, ut „ Eimericus à Raymundo de „ Cortillis Canonico Elmenſi „ coràm Reverendo Patre „ Joanne Anſurre Inquiſitore „ Generali Avinione fuerit ac„ cuſatus de manifeſtis hæreti„ calibus propoſitionibus ab „ eodem Eimerico aſſertis: „ quæ omnes habentur in pu„ blico Inſtrumento accuſatio„ nis authentico anno Domi„ ni 1395. quod apud hujus „Lullianæ cauſæ Syndicum ex„ tat. Et immediatè poſt: „ Hæc planè contentio credi„ tur fuiſſe ſeminarium eorum, „ quæ contra Lullianam Doc„ trinam inciderunt. Sed ta„ men Eimericus exul à Reg„ no pulſus à Joanne Aragonum Rege profugit, ût conſ„ tat ex ejuſdem Regis Epiſto„ lis contra eumdem Eimeri„ cum miſsis ad diverſos. Et „ n. 87. „ Poſtea contra Eime„ ricum pro Lullo tot appro„ bationes, & acta, quot par„ tim ſupra retuli ſancitæ fue„ runt, ut prorsùs extincta „ viderentur omnia contra Lul„ lum attentata uſque ad annum

„ nūm 1503. Nam ante iſtum „ annum ipſimet Libri Lulli, „ quos referebat Eimericus „ fuiſſe damnatos, identidem „ excudebantur, publicè ſer„ vabantur, & legebantur; & „ publicæ Cathedræ de hac „ Doctrina tunc erectæ fue„ runt. Videantur alia non pa„ rùm digna notatu apud Cuſ„ tur. loco citato. At, non minorem facit vim, quòd Inquiſitor Dominicanus ſucceſſor Eimerici poſt rigidum examen aliquorum Articulorum ab Eimerico damnatorum, & comprobationem ipſorum in Libro legitimo B. Raymundi, protulit de ipſis ſententiam, ût ſupra, ſic: *Articuli prædicti... ſunt boni, veri, fideles, & Catholici, nulla rubigine hæreſis maculati.*

At, quæret forſan aliquis: quis diabolorum finxit dictam Bullam anni 6. Pontificatûs Gregorii XI.? ad quod reſpondeo, non eſſe meum de hoc judicare; ſcitur tamen ex authentico Inſtrumento (ût ſuſupra in Sententia Diffinitivâ) dictam Bullam non fuiſſe repertam in Regiſtris Pontificiis, quin in Inſtrumento fiat mentio defectûs alicujus folii, vel alicujus combuſtionis, quod neutiquam omiſiſſet in ſui defenſionem Eimericus tunc præſens Avinione, quando ex mandato Apoſtolico ipſa Bulla perquirebatur; & eſt ſignum, tunc integrum ſervari Regiſtrum dicti anni 6., quia non effluxerant nisi 19. anni à datâ ipſius Bullæ, & ipſæ Ven. Joannes à Bonis, cui commiſſum erat illud Regiſtrum authenticè dicit: *Quòd Litteræ inſæpe dictâ ſchedula contentę* (Bullæ) *in ſuo Regiſtro non fuerunt neque erant regiſtratę.* Quod in veritate non potuiſſet teſtificari, niſi illlud integrum Regiſtrum toto dicto tempore in ſuo poſſe, & ſecurâ cuſtodiâ extitiſſet.

Ecce, qualiter Viris ſapientibus & eruditis in hac controverſia informatis, videtur nil tam magnum Bullę fictitiæ damnatoriæ ſpectrum; multitudo Librorum 20., & plùs quàm 200. Articulorum putatitiè hæreticalium; quod maximum poſſet terrorem mulieribus, pueris & ignaris ingerere. Et hæc una eſt ex cauſis, quare iſta reſponſio latino ſermone exhibetur; quia, ſi Moniales, & aliæ fœminæ hujuſmodi terrificas legerent clauſulas ſinè antecedentis, & conſequentis advertentiâ, putarent B. Chriſti Martyrem,

hominem fuiſſe nequiſsimum, & ejus Doctrinam reverà divinam, diabolicam eſſe. E converſo Viris accidit ſapientibus, & ingenuis veritatis amatoribus, qui, licèt aliquando minùs informati contrarium ſenſerint, perſpectâ veritate, mutant ſententiam; de quibus poſsè plures adhibere teſtes omni exceptione digniores, nisì ſufficeret unus pro omnibus Emin. Cardinalis de Aguirre, qui nedùm retractavit, quod ſiniſtrè conceperat de fama B. Raymundi & Doctrinæ ejus propter Eimerici ſcripta; verùm

§. XI.

AD II., ſcilicèt, quòd alii negent umquam fuiſſe expeditam dictam Bullam, & defendant Lullum ût purum in Doctrina; dicitur, hoc ita eſſe, & jure meritiſsimo cum omni juſtitia & veritate fieri; quia adverſarii ſinè alicujus fundamenti ſoliditate, & prorsùs contra omnem rationem aſſerunt ſuam falſam opinionem; Lulliſtæ verò illam retundunt cum omnimodâ fundamentorum ſoliditate ex certa veritate Inſtrumentorum authenticorum deſumptâ, ex Sententiis Definitivis contradictorio in judicio datis, & ex neceſſariis veritatis intrinſecæ rationibus, quas, qui dignatur legere, non poteſt Sanctitatem B. Raymundi & veritatem Catholicam ejus Doctrinæ non intelligere, nisì viſu careat intellectûs, aut æquilibrio voluntatis. Unde mirum, & non mirum eſt; noſtrum Antilulliſtam in contraria ſententia valde accuratè ſpecificare Bullam Gregorii XI., diem & annum ſuæ expeditionis, numerum Librorum, & articulorum damnatorum pluralitatem, & rubiginem hæreſeos Lullianæ Doctrinæ; in ſententia verò Lulliſtarum ſolùm confusè dicit: alii negant talem Bullam fuiſſe juſsit ſuis imprimi expenſis Bibliothecam veterem Hiſpanam D. Nicolai Antonii, in qua tom. 2. Lib. 9. cap. 3. de B. Raymundo dicitur ſic: *Famâ clarus, ſi quis alius, deſinente ſuperiore, atque ineunte hoc ſęculis apud univerſas Europæ nationes, & ad poſteritatis omnem memoriam Raymundus Lullius fuit Majoricenſis.* Simile quid de ſapientia & ingenuitate noſtri adverſarii, ad imitationem hujus ſapientiſsimi Scriptoris, & tanti S. R. Eccleſiæ Principis, jure merito ſperamus.

fe

ſe expeditam ; & defendunt Lullum ût purum in Doctrina ; & ideò eſt valde mirabile, quòd ita utramque narret ſententiam (ſi fas eſt vocari ſententiam , quòd ſinè fundamento opponitur alicui Sententiæ Definitivæ tanta Authoritate Apoſtolica prolatæ , ût ſupra) ſi in ipſo vigeat æquilibrium voluntatis ; nam , ſi intellectus illi dictavit cum tanta diſtinctione , quid Eimericus molitus ſit contra B. Raymundum, ejuſque Catholicam Doctrinam ; quare cum æquali diſtinctione non ipſi etiam dictavit , ipſum Eimericum fuiſſe in hac Cauſa Authoritate Apoſtolicâ damnatum de falſitate Bullæ , obreptione & ſubreptione , omni jure ſervato , poſt exactiſsimum omnium pro utraque parte allegatorum & approbatorum examen , cum Sententia Definitivâ caſſante irritante & annullante omnia actitata contra B. Raymundum , & ejus Doctrinam per ipſum Eimericum , & quoſcumque alios?

Et ideo , ſi in prima ſententia ſpecificat tantam ignominiam B. Raymundi , & Doctrinæ ejus ; quare in ſecunda ſententia non pariter ſpecificat majorem gloriam & coronam ex tanto triumpho ipſi B. Raymundo , ejuſque Doctrinæ ſecutam ? At , non eſt mirum , quia , quando voluntas ad alteram partium inclinata accedit , præcipit intellectui , ut , neglectis omnibus , quæ opponuntur , quacumque ratione firmatis , ſolùm ea , quę ſuæ favent inclinationi , inquirat, ſpecificet & declaret ; & , cùm noſter Antilulliſta jam ſupra inclinationem ſuæ voluntatis clarè demonſtraverit , non eſt mirum , quòd intellectus illam ita favorabili dictamine proſequatur. Hanc humanæ voluntatis miſeriam paſsim docet experientia , & præcipuè Eccleſiaſticis in hiſtoriis , in quibus legitur , tyrannos ſæpe ſolitos objicere Chriſtianis omnes contumelias & ignominias , quas Chriſtus noſtrî amore dignatus eſt pati , tacentes cum nequiſsima ſagacitate gloriam miraculorum , Reſurrectionis , Aſcenſionis in cœlum , Miſsionis Spiritûs S., & maximorum bonorum toti mundo collatorum ex fructu SS. Paſsionis ejus; quod S. Margaritam obligavit (ût ſupra) ut Tyrannum redargueret dicens:

Quæ-

Quænam verecundia eſt, ut cùm in eiſdem libris legatur & pœna Chriſti & gloria, alterum credatis, & alterum reſpuatis? Sic in Lect. Officii. Similiter fit in caſu præſenti, ubi videtur, ſimilia his, quæ facta ſunt in Capite Martyrum, etiam fieri in membro illius reſpectivè; nam in eiſdem Libris, ubi ſcripta eſt omnis ignominia B. Raymundi, & Doctrinæ ejus, etiam eſt omnis gloria S. vitæ ipſius, operum mirabilium, quæ in S. Fidei defenſionem uſque ad Martyrium operatus eſt, & maximorum bonorum ex hac Doctrina toties triumphanti mundo proventorum, &c. Quare ergo alterum declaratur, & alterum tacetur? & unde provenit, niſi ex diſquilibrio voluntatis? Dignetur igitur noſter Antilulliſta ſuam inæquilibrio ſtatuere voluntatem, & ſuum intellectum in Regula *Utrum*, quæ eſt prima Artis Lullianæ, & nedùm utilitatem & neceſſitatem hujus divinę Artis videbit ad inveniendam veritatem; verùm nobiſcum de inventa veritate, & de gloriâ B. Raymundo, ejuſque Doctrinæ ex ignominiis occaſionatâ, abs dubio, congaudebit.

§. XII.

AD 12., ſcilicèt, quòd Morerius benè notet, aliquos Authores B. Raymundum abſolutè tractantes ut hæreticum, potuiſſe ipſum æquivocare cum alio Raymundo Lullo cognomine neophito, qui ex Judaiſmo fuit in Catholicam Chriſti Religionem converſus; ſed poſteà redivit ad judaizandum addens errores erroribus; dicitur, cum bona veniâ, relationem hanc veritatis diminutione laborare; nam Ludovicus Moreri in omni notitiarum genere eruditiſsimus, non dicit, dictos Authores potuiſſe B. Raymundum cum alio Raymundo æquivocare; ſed de facto fuiſſe hallucinatos, & actu unum cum alio confudiſſe; & ſic ipſe meliùs notat, quàm notetur. Licèt enim, qui errat poſsit errare, quia ab actu ad potentiam valet conſequentia, tamen major defectus eſt error actualis, quàm potentia errandi; nam per potentiam furandi non debet latro ſuſpendi, nec per potentiam peccandi puniri peccator; & ideò, dicere ſolùm potuiſſe errare, qui de facto erravit in damnum tertii, eſt veritas diminuta, & eſt errantes in damnum innocentis excuſare.

Vi-

Videatur igitur ſinceritas Moreri, qui in ſuo Dictionario hiſtorico ultimò augmentato octávę editionis anni 1698. Verbo *Lulle* ſincerè loquitur ſic: „ Raymundus Lullus origine Catalanus natus „ in Inſula Majoricarum, vixit „ ſub finem ſęculi decimi tertii „ & in principio decimi quarti, *& habuit magnam cognitionem Philoſophiæ Arabum & Chimiæ & Medicinæ*, „ quibus feliciter uſus eſt pro „ compoſitione ſuorum Operum, *qui ſunt Generales Artium Libri, Logicales Libri, Philoſophici, Metaphyſici, variarum Artium Libri, Medicinæ, Juris utriuſque, Libri Spirituales, prædicabiles, quodlibetici & Diſputationum*: dicitur, quòd anno „ ætatis quadrageſimo integrè „ ſe converterit ad Deum, & „ intraverit in tertium Ordinem S. Franciſci, & quòd fuerit Prædicator contra Saracenos in Africa, & lapidatus „ ſit in Mauritania 26. Martii „ 1315. ætatis 80. Annorum, „ ſuum Corpus fuit translatum „ Majoricam, ubi honoratur „ tamquam Martyr.

„ Quod de Lullo diximus, „ non omnes approbant, ſed „ quidam illum traducunt ût „ Magum, alii ût hæreticum, „ alii defendunt ipſum, ût dixi, „ quod tamquam Martyr occubuerit, & quòd multitudo „ Miraculorum, quæ fiunt apud „ Sepulchrum illius, ſint teſtimonia ſuæ ſanctitatis; qui „ verò ipſum accuſant hæreſeos, dicunt, quòd Epiſcopus (Archiepiſcopus) de „ Tarragona inveniendo quaſdam ſuarum Propoſitionum „ minùs conformes Fidei Catholicæ illas damnaverit ex „ ordinatione Gregorii XI., „ qui Anno 1372. ipſi illas „ tradidit examinandas. Additur, quòd Raymundus defenderit, Deum habere multas eſſentias, & Patrem eſſe „ ante Filium; ſed multi Authores *hallucinati ſunt, & „ hunc, de quo modò locuti ſumus confuderunt cum alio „ Raymundo, &c.* Hucuſque „ eruditiſſimus Moreri.

Quorum Authorum hallucinationem plurimi alii majoris fidei Authores clariſſimè detegunt, & prę ſertim Inſignis Auditor Peña Comment. 3. in quæſtionem 27. partis 2. Directorii Inquiſit. in clauſulam: *Editum per quemdam Raymundum Neophytum* dicens: „ Hic Raymundus, ſicut conſtat ex regeſto D. Gregorii XI. lo-

„ loco, quem mox adduce-
„ mus, dicebatur Raymundus
„ de Tarraga, qui cùm priùs
„ eſſet Hebræus converſus ad
„ Fidem Chriſti factus eſt Mo-
„ nachus Ordinis &c... vixit
„ autem hic Raymundus circa
„ tempora Gregorii XI. ad an-
„ num Domini 1372. extant-
„ que in unico volumine Re-
„ geſti anni primi Gregorii XI.
„ fol. 225. Litteræ Papæ Gre-
„ gorii ad Archiepiſcopum
„ Tarraconenſem, (ecce Lit-
teræ citatæ apud Moreri, in
quibus fundantur Authores
hallucinati)„ & Nicolaum Ei-
„ mericum Inquiſitorem in
„ Regno Aragonum, quibus
„ præcipitur, ut inquirant &
„ procedant contra Raymun-
„ dum deTarraga Ordinis Fra-
„ trum &c., tenentem quoſ-
„ dam hęreticales errores, &
„ eum puniant. Rursùs in ſe-
„ cundo volumine Regeſti an-
„ ni ſecundi fol. 191. reſcrip-
„ tum quoque habetur ejuſ-
„ dem Domini Gregorii XI.
„ incip. *Dudum ad audientiam*,
„ per quod committitur Archi-
„ epiſcopo Tarracon. & Nico-
„ lao Eimeric Inquiſitori, ut
„ omnes Libros hujus Ray-
„ mundi ſibi faciat exhiberi,
„ atque comburi: jam hæc
„ Raymundi opuſcula quot, &
„ quales errores continerent
„ docet idem Eimericus ſupra
„ in hac 2. parte q. 10. n. 3.
(Nota, Eimericum non nomi-
nare hìc Authorem, licèt il-
lius nominet errores, quod mi-
nimè omiſiſſet, ſi fuiſſet noſter
B. Raymundus.) Proſequitur
Peña: „ Illud obſervandum eſt
„ diligenter, quod Author do-
„ cet in hac quæſtione, vide-
„ licèt, Libellum de dæmo-
„ num invocatione editum
„ fuiſſe per hunc Raymundum
„ Neophytum, in quo planè
„ decepti mihi videntur Ber-
„ nardus Lutzemburgus in ca-
„ talogo hæreticorum lib. 3.
„ verbo Raymundus Lulli, &
„ Prateolus 16. c. 2. de vitis,
„ & ſectis hęreticorum aſſeren-
„ tes Libellum de dæmonum
„ invocatione editum fuiſſe à
„ Raymundo Lull, & ſanè ſuſ-
„ picor hos Authores fuiſſe
„ *hallucinatos in nominis ſimi-*
„ *litudine*.

Et Henricus Spondanus anno 1372. n. 13. loquens de Bzovio ait: „ Illud tamen non
„ omittimus, deceptum fuiſſe
„ prędictum Annaliſtam, ſæpe
„ aliàs decipere ſolitum, aut
„ decipi, cùm hic eidem Ray-
„ mundo Lullio alios errores
„ tribuit, qui fuerunt Ray-
„ mundi Neophyti alius omni-

no

„ nò à Lullio, ût tam ex ipſo „ Lullii adverſario Eimerico, „ quem citat intelligi datur, „ quàm diſertiùs ex ejus Com„mentatore Peña, qui ex Re„geſto Litterarum Gregorii „ XI. docet hunc nomen fuiſſe „ Frater Raymundus de Tar„raga dicto Neophytus, quòd „ converſus fuiſſet ex Judaiſ„mo ad Fidem Chriſti, nihi„lominùs antiquos errores re„tinuiſſe, de quibus inquiri, „ eumdemque tunc in Arago„nia eos docentem puniri „ Gregorius mandavit, quæ ne„quaquam Lullo convenire „ poſſunt, mortuo ſexaginta „ propemodum annis ante. Eãdem deceptionem detegunt Odericus, Raynaldus tom. 15. anno 1315. n. 5. Waddingus t. 3. an. 1315. n. 13., Gubernantis in Orbe ſer. de Miſsionibus Lib. 3. n. 150. D. Nicolaus Antonius in ſua Bibliotheca veteri Hiſpana, Athanaſius Kirker in ſua Arte Magna, Philip. Brietius in ſua Cronolog. anno 1372., Franciſcus Porter in ſuo Syſthemate Decret. dogm. Pontific. ſæculo 13. c. 5. §. 3., cujus eſt Titulus *De cæteris erroribus hujus ſeculi nempe Raymundo Lullo Neophyto &c.* Et poſteà ait: „ Lullus iſte, qui „ non eſt confundendus cum „ Raymundo Lullo Majoricenſi. Et inferiùs: Dixi non eſſe „ confundendum Lullum hunc, „ qui fuit Neophytus, ex He„bræo ad Fidem converſus, „ cum Lullo Majoricenſi, qui „ Martyrio vitam finivit, uti „ erroneè confundunt Prateo„lus, Bernardus Lutzemburg, „ Bzovius.

Ecce fundamentum extrinſecum, nam de intrinſeco Deus judicet, hallucinationis & deceptionis Authorum tractantium B. Raymundum ût hæreticum: ecce cujus furfuris ſint in æſtimatione prædictorum tantę fidei Authorum, quos, cujus farinæ eſſent jam ſupra monſtraveram; & adhuc poſſent adduci alii idem detegentes, niſi iſti noſtro Antilullistæ ſufficerent: unde ipſum ſincerè rogamus, nè minori ſinceritate & veritatis diminutione, hallucinatos & deceptos, in damnum tertii excuſſet, nè ſimilis illis fiat, qui gratis innocentes reprehęndunt, & ſinè cauſa inculpabiles infamant.

§. XIII.

AD 13., ubi dicit noſter Antilullista: „ Et quomodocumque ſit, quamvis *noſter Raymundus* cecidiſſet in va-

„ rios & graves errores, num-
„ quam, ſinè gravi injuſtitia,
„ poteſt tractari ſicut hæreti-
„ cus, quoniam defuit perti-
„ nacia; Reſpondetur, &, omnino rejectâ hac tam ſpontaneâ & facili permiſsione, vel ſuppoſitione adhuc conditionali casûs in graves errores, dicitur, verum & indubium eſſe, hæreſim ſinè pertinacia eſſe non poſſe, cùm hæreſis neceſſariò ſit error pertinax; & cùm conſtet evidenter ex operibus & Libris ejuſdem B. Raymundi admirabilis & humillima ſubjectio, qua ſe & ſua omnia ſcripta ſemper ſubdidit pedibus & indefectibili correctioni S. R. Eccleſiæ; conſequenter evidens eſt, ipſum nullatenùs poſſe hæreticum eſſe; quamvis inimici ipſum nolentem omni iniqua vi inſudent in profundum hæreſeos immergere. Et ſic, qui B. Raymundum de S. Fide Catholica & de tota Dei Eccleſia tam benemeritum ût clariſsimè ejus opera prædicant & ſcripta, non verentur ût hæreticum tractare, vel neſciunt, quid eſt hæreſis, vel omninò quiſnam fuerit ignorant, &, quid ipſe egerit & ſuis in ſcriptis docuerit in defenſionem ipſius Fidei & S. Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ, &, ſi hæc ſciunt, impudentiùs & ſinè omni cauſa graviſsimam ipſi calumniam inferunt. Unde bene cognoſcit, noſter Antilulliſta, & juſto dictamine aſſerit, hoc non poſſe ſinè gravi injuſtitia fieri, de quo omnes Lulliſtæ ipſi juſtas reddimus gratias.

Sed nunc dubium eſt, ſi noſter Antilulliſta cognoſcit & aſſerit, adverſarios B. Raymundi ipſum cum gravi injuſtitiâ calumniari; quare hanc gravem aſſumit injuſtitiam ad conſtituendum ipſum B. Raymundum in mundi theatro problematicum, & ad ſuadendum innocentibus omnimodam ſuæ divinæ Artis vanitatem & inutilitatem? Jam clarè videtur, dictam Artis Lullianæ vanitatem & inutilitatem ſinè gravi injuſtitia non eſſe ſuaſibilem; tum etiam, reſpectu illorum, qui ſciunt & cognoſcunt determinatam injuſtitiam & falſitatem alterius partis contradictionis circa aliquod ſubjectum, id non poteſt eſſe, tutâ conſcientiâ problematicũ; ſed noſter Antilulliſta hìc confitetur, ſe ſcire & cognoſcere gravem injuſtitiam & falſitatem tractantium B. Raymundum ût hæreticum: ergo, tutâ conſcientiâ, non poteſt illum re-

reputare problematicum, nec contra ſuam conſcientiam, aliis proponere ût talem; conſequenter nec turâ conſcientiâ poteſt armis gravîs injuſtitiæ ſe ſtipare ad pugnandum contra famam Viri innocentis, & ipſi verè & evidenter Catholici; quia bonam famam certam cum gravi injuſtitia reddere dubiam, numquam licitum eſſe potuit.

Quin etiam Feijoana confeſsio omnes Lulliſtas B. Raymundum ût Catholicum & purum in S. Fide defendentes valde fortiter confirmat; nam, ſi omnes Authores abſolutè tractantes B. Raymundum ût hęreticum, non poſſunt hoc ſinè gravi injuſtitia facere; evidenter ſequitur inde, Lulliſtas B. Raymundum ût Catholicum & purum in S. Fide defendentes, hoc cum gravi juſtitiâ & veritate efficere; nam, cùm juſtitia ſemper neceſſariò ſit vera, non poteſt eſſe ſinè veritate, ſicut injuſtitia, quia neceſſariò falſa, ſemper eſt cum falſitate. Et ſic noſter Antilulliſta (Deo ſint laudes) jam factus eſt nobiſcum Lulliſta, in eo, in quo, contra maledictam hęreſim, Fidei Magiſter oſtenditur, & in ſua vera & certa confeſsione laudabilis.

At, in ſua tam ſpontaneâ & facili prætermiſsione ſive conditionali ſuppoſitione, ſcilicèt: *Quomodocumque ſit, quamvis noſter Raymundus cecidiſſet in varios & graves errores &c.*; in hoc, inquam, nec eſt nobiſcum, nec cum noſtro B. Raymundo; quia B. Raymundus eſt noſter ſinè erroribus, &, ſi ipſe velit, quod ſit ſuus cum erroribus, credat mihi, quòd B. Raymundus non erit ſuus, quia ipſe eſt contra omnes errores, & non vult poſſedi nec cohabitare cum ipſis; & ſic, ſi graves errores in ipſo permittat, ipſe ſe elongabit ab eo, & ſoli graves errores erunt ſui, & in ipſo, ſine Raymundo manebunt. Deregatur igitur, Divina opitulante luce, eximia ſagacitas, in hujuſmodi laudatoria prætermiſsione ſive conditionali ſuppoſitione, incluſa: experti in hujus mundi ſapientia practicè norunt, quòd volentes alicujus inimici famam graviùs vulnerare, priùs ſolent ſe illius ſimulare amicos, & cum uno *Ave Rabbi*, & oſculo pacis ſolent innocentiam, vel bonam opinionem inimicis, imò & neutralibus tradere infamandam; v. g.: in caſu præſenti, noſter Antilulliſta facit ſe B. Raymundi ami-

cùm illum vocans *ſuum*, & tractans ût injuſtos adverſarios illius, & cum hac amicitia prętermittit vel conditionaliter ſupponit, ipſum in varios, & graves errores cecidiſſe, cùm inde hæreſis non ſequatur propter defectum pertinaciæ. Sed, quid inde poſſunt concipere & arguere inimici & neutrales? Inde, inquam, poſſunt arguere ſic: ſi iſte, qui videtur bonus Raymundi amicus, tam libenter prætermittit, & conditionaliter concedit vel ſupponit; (nam Figuræ Prætermiſsionis officium eſt aliqua *iniqua concedere, ut conſudatur intentum*) graves in Doctrina Raymundi errores; ſignum eſt, quòd inimici ipſos errores illi verè imputent, aliter amicus ſciens contrarium illos mordicùs negaret; & ſic Antilulliſta cum pallio amicitię Raymundum ſtabilit Catholicum, & ejus Doctrinam, vanam & inutilem, & gravibus ſcatentem erroribus; vel ſaltim hoc relinquens in dubio, ſuſpicabile & credibile reddit.

Nullatenùs tamen talis nequitia de noſtri Antilulliſtæ probitate præſumitur; ſed neceſſe omninò fuit damnum pręcavere innocentis, veritatis Catholicæ Doctrinæ, & inſcios & ſimplices reddere à periculo deceptionis immunes, & hoc cum explicatione poſsibîs ſagacitatis in noſtri Antilulliſtę ingenuitate neutiquàm creditæ nec ſuſpicatæ. Hujuſmodi enim ſagacitate uſus eſt noſter eruditiſsimus Waddingus, ubi ſupra, qua extraneis non leve ſuppeditavit motivum errandi contra B. Raymundum, & ejus Divinam Doctrinam; nam poſtquam n. 16. ſatìs ſuam explicaſſet adverſitatem, concludit de Il. Doctore dicens: Quod plurima ubique ſinè ſtudio aut Librorum ſubſidio in itinerum & peregrinationum perpetuo motu, ſcribenti condonandum eſt. Ad quod Lulliſtæ, omninò rejectâ tali condonatione, quia impoſsibili, ût ſtatim videbitur; dicimus, nos reverà poſſe ipſi condonare, & ideò defacto ſuæ condonationis pręſumptionem condonamus propter ſuum judicium minùs informatum ob graves hiſtoriarũ labores, quibus erat in litterarum corticibus ſic præoccupatus ut ipſi non permitterent medullas arcanorum Artis Lullianæ penetrare; & in quantum fas eſt excuſamus, quia ad ipſum non tam profunda Scientia, quàm ad Criticos pertinebat. Hiſtorio-